ACTA
SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XXVII r

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1894-95

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION **JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.**
111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003 **Berkeley Square House, London, W1X6BA**

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

EPISTOLA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Archiepiscopos et Episcopos Brasiliae; qua utilia commendantur ad fidei pietatisque christianae profectum.

Litteras a vobis superiore anno accepimus, communis laetitiae gratique animi nuncias de hierarchia apud vos paulo ante amplificata, altera videlicet ecclesiastica instituta provincia sedibusque episcopalibus quatuor adiectis. — De nova hac Apostolicae in gentem vestram sollicitudinis significatione sane fuit laetandum. In pluribus enimvero causis quibus res catholica aliquantulum apud vos inclinari videbatur, recensendus etiam, impar amplitudini regionis ac frequentiae incolarum, Antistitum sacrorum numerus. Nam inde fiebat ut Episcopi non illa, qua exoptarent, vigilantia in clerum, gregemque creditum uti possent, tum ad incommoda propulsanda, tum ad virtutem dignitatemque catholici nominis provehendam. Quapropter pastoralem navitatem vestram probavistis, quum, Paulopolim congressi, •episcopalis hierarchiae amplificationem a Pontifice romano postulasti^ : quibus Nos postulationibus libenter duximus obsecundandum. — At. enim, Venerabiles Fratres, dum ex Episcopis, numero quam antea pluribus, rei christianae spes nitet uberis incrementi, id tamen ex vestro potissimum cuiusque studio expectandum est, ut gliscentibus undique malis opportuna adhibeantur remedia. Hanc ipsam in partem ne providentia caritatis Nostrae desideretur, aperiendum censuimus quae curis vestris praecipue commendata velimus, ad fidei pietatisque christianae profectum magnopere, ut speramus, utilia.

Elaborandum in primis ut homines sacri ordinis disciplinis optimis instituantur, iis praesertim quibus maxime est opus, ut catholicam veritatem et apte pro officio proponere et strenue ab oppugnationibus possint tutari. Nimis quotidie experiendo patet fidei ac religionis ignoratione ibi fere populos premi ubi administri sacrorum consentanea vacent doctrina. Os etenim sacerdotis est unde legem requirere fideles oporteat ; *Angelus enim Domini est;* ob eamque causam edictum legimus: *Labia sacerdotis custodient scientiam* (1). Apostolus vero ceteris cum rationibus, quibus se exhibuit *sicut Dei ministrum (2),* scientiam

(1) Malach. II, 6.
(2) II, Cor. iv, 6.

quoque commemorat. Quae quidem scientia quum abest, id etiam consequitur ipsis sacerdotibus perniciosum, ut nimirum, Deo neglecti officii poenam repetente, contemnantur a plebe : *Propterea dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis* (1). — Hoc tamen doctrinae ornamentum idem et praesidium nequaquam ad propositum vere conducet, si a vitae sit morumque sanctimonia seiunctum. Praeterquam etenim quod scientia sine caritate *non aedificat, sed inflat* (2), illud fere est hominum ingenium ut, quamvis Christus edixerit doctrinam quidem ab sacrorum ministris accipiendam opera vero eorum non attendenda si a doctrina dissenserint ; proclivius tamen in ea ferantur quae usurpent oculis, quam quae per aures demittantur. Proptereaque de ipso Sërvatore Deo, qui pastorum sui gregis non magister solum, sed forma etiam est factus, praeclare testatum legimus *eum coepisse facere et docere;* ut scilicet quam sacerdos tradit commendatque doctrinam, eam re ipse confirmet. Prae ceteris, qui paroeciis regundis praefectus est, laboris ne sit impatiens, vocatusque in vineam Domini, hanc impigre et constanter exerceat et colat, religiose memor, de animabus sibi creditis rationem se aliquando Domino gravissimam redditurum. Operam vero ne perdat, in omni studeat et tempore et re disciplinae esse retinentissimus. Strenue quidem Christo militandum ; non tamen nisi eorum nutu et auctoritate, quos ipse Christus duces elegit.

Tales vobis, Venerabiles Fratres, adiutores educere, vester est labor : siquidem exploratum, eos demum sacerdotes futuros, quales vos formandos curaveritis. Habetis nempe ubi, ad vestrum et Ecclesiae votum, ministros effingatis *probabiles Deo, operarios inconfusibiles* (3) : in sacris videlicet Seminariis, quae cui bono magno sint instituta, vel ipso nomine apertum est. Huc igitur intendite animos et sedulitatem, sic ut ecclesiastica Seminaria, quae iam sunt, omnino vigeant floreantque, tum ad studia sacrarum disciplinarum quod attinet, tum quod spectat, ad animos adolescentium sancte fingendos. Studia quidem ut recte procedant, optimis doctoribus opus est, non modo sana doctrina imbutis, verum qui illam accommodate tradant et ad Nostra praescripta fideliter. Ut autem adolescens clerus germa-

(1) Malach ib. 9.
(2) I, Cor. ra, 1.
(3) II, Tim. IL 15.

num Ecclesiae spiritum hauriat et excolatur virtutibus, magistri pietatis diligentissime deligendi sunt: quorum tamen operam vestra etiam plena industriae sollicitudo adiuvet et perficiat. At vero in dioecesibus ubi nulla adhuc Seminaria existunt, curent omni ope Antistites ut ea quamprimum quamque optime constituantur; omnia pro potestate exequendo, quae in hanc partem tum a Tridentina Synodo sancita sunt, tum Nosmetipsi praecipimus Apostolicis litteris V cal. maii anno MDCCCXCII datis. Ipsa docendi libertas, quae apud gentem vestram nunc valet, facultatem affert vobis maiorem, ut ea praestetis quae de apta ratione studiorum commendavimus. — Ad haec praeclarum quoque adiumentum paratum est in clericorum Collegio, quod Romae, commodo Americae meridionalis, Pius IX Decessor Noster fel. rec. condendum curavit, quodque Nosmetipsi provehere studuimus valdeque fovemus. Expectationem vero exitus felicius in dies complet: satisque est commemorare, ex ipso vestro numero, Venerabiles Fratres, nonnullos censeri quos habuisse alumnos iure idem Ephebeum laetatur. Iuverit ergo, et auctores praecipue sumus ut, quos egregiae spei adolescentes habueritis Romam formandos mittatis, iisdem postmodum qua ad docendum qua cetera ad munia commode usuri.

Vix attinet dicere de emolumento, quod vobis in sacra re familiae ordinum Religiosorum sunt allaturae. Eas Nos ex providentia Apostolica rati sumus ab iacturis praeteritorum temporum in pristinam institutorum observantiam restituere: quod ut e sententia cederet melius, III nonas sept. anno MDCCCXC Religiosorum indigenorum domus ut Episcoporum auctoritati subessent decrevimus. — In re igitur tam utili ac praestanti partes vestras minime defuturas confidimus. Grata quidem acciderunt quae propterea transacta iam sunt, curante Venerabili Fratre Hieronymo Archiepiscopo Petraeo, Sedis Apostolicae Internuntio apud reipublicae vestrae Praesides. Quo tamen coepta maiores habeant auctus atque optatos ad exitus adducantur, in hoc adhortamur strenuam religioni vestrisque maxime gregibus operam navetis. Gratulandum interea, Religiosas tum virorum tum feminarum familias libenti animo quae a Nobis mandata sunt excepisse et ad primaevi cuiusque instituti restitutionem sese alacres exhibuisse.

Ista Venerabiles Fratres, de clero recte formando adhibendoque ad sacra: neque minus industriam vestram rationes fide-

lium exposcunt. Qua in causa, quod ceteris anteponéndum illud est, ut religionis sanctissimae elementa pueri rudesque homines apposite doceantur, Curionum sacrorum diligentia assidue excitata. Tum vero quandoquidem publice licet, ludi instituantur puerili aetati erudiendae, ne ipsa, grandi cum fidei rectorumque morum detrimento, vel haereticorum, quod usuvenit, adire scholas, vel gymnasia celebrare adigatur, ubi mentio nulla catholicae disciplinae, nisi forte calumniosa, infertur. — Praeterea, quoniam consiliis exemplisque mutuis confirmantur animi et ad fortia pro religione agenda perpetiendaque inflammantur, merebitis idcirco optime de re catholica et publica, si hominibus laicis,, iuvenibus praesertim, suasores auctoresque eritis, ut in societates christiano instituto coeant. Has crebra Nos hortatione lauda vimus, quippe quae, quum curandis religionis rationibus et egenorum utilitatibus promovendis studeant, tum omni ope efficacitatem minuant earum consociationum, quae publicae caritatis appellatione abusae, Ecclesiae et civitatis bono valde adversantur. — Nec vos praetereat, Venerabiles Fratres, quantam, hisce maxime temporibus, in bonum in malum sint nactae vim ephemerides adsimilesque in vulgus editae scriptiones. Ne sit igitur in postremis catholicorum curis, ut his etiam armis in christiani nominis defensionem certetur; rite nimirum observato Episcoporum ductu, atque integra reverentia quae civili debetur potestati. — Denique catholicos omnes meminisse oportet, hoc maxime Ecclesiae interesse quales in coetum legumlatorum cooptentur homines: quamobrem, salvo civilium legum iure, eniti universos necesse est, ut tales suffragio communi eligant, qui cum studio publicae rei studium religionis probatum coniungant. Id autem eo eveniet felicius sr supremae auctoritati rem publicam moderanti obsequium singuli deferant, eaque unanimes constantesque persequantur, quae Nos dudum in litteris encyclicis de Civitatum constitutione christiana ediximus.

Ceterum, Venerabiles Fratres, vigeat in vobis caritas arctissima et animorum concordia, *ut item sapiatis, unanimes, idipsum sentientes* (1). Cuius rei gratia summopere commendamus, ut inter vos frequenter communicetis consilia, atque episcopales conventus, pro locorum intervallis sacrisque muneris officiis, saepius iteretis. Adest vobis Apostolicae Sedis Legatus,,

(1) Philipp, n. 2.

qui mentem Nostram et consilia vobis aperiat; Nos vero, pro paterna qua vos complectimur caritate, ad ferendam studiis vestris opem paratos nullo non tempore habetis.

Caelestium autem bonorum munera, unde ad pastorale officium sancte gerendum suppetant vires, Deus perbenigne largiatur ; eorumque sit auspex Apostolica benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, clero populisque cuiusque vestrum curae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Iulii an. MDCCCXCIIII, Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Thomam Coconnier ex Ord. Praedicatorum doctorem theologum in Universitate Friburgensi de ephemeride *Revue Thomiste.*

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. — Plane congruit cum consiliis Nostris genus tractationis *Revue thomiste,* quam ipse delectique socii instituistis per intervalla edendam. Quod enim iamdiu Nos, nec sine fructu, contendimus de christianae sapientiae instauratione, eo demum spectat ut veritati, per haec tempora graviter afflictae, consulatur: ex quo, non solum ad recte intelligendum, sed etiam ad recte agendum pendent momenta maxima. Quapropter cum Fide, quae veritas est divina, conciliare ingeniosorum studia, per eamque ipsam humanas, quotquot sunt, disciplinas quum ab erroris labe tutari, tum ad veram progressionem munire, hoc magnae quidem praestantiae est opus, nec minoris utilitatis. Feliciter autem iis succedet, qui Aquinate magistro uti sapientissimo, doctrinam eius scrutentur intimam, deducant sinceram, accommodate exponant: ipse enimvero et principiis et philosophandi ratione mire valet ad causas omnes illustrandas, dirimendas, vel si perarduas temporum cursus adduxerit. — Non paucos in hac elaborantes palaestra conspicere magno Nobis est gaudio: vosque ipsos egregio illorum numero adiunctus scripta varia testantur ex ordine e vulgata; quae summo a vobis obsequio exhibita libenter accepimus. Nihil profecto neque Nobis acciderit gratius neque

doctrinae sanae opportunius, quam si, vestra pariter opera, humanae veritatis origo ex veritate divina atque necessaria inter utramque connexio in medio emineat: ita videlicet, ut, suspicionibus sensim dimotis, crescant erga Fidem et reverentia et studia doctiorum. Communis porro veritatis causa, in qua labores vestri versantur, omnino postulat foederata cum similibus defensoribus arma animosque concordes; quod vos, adiuvante Deo, alacres omni tempore praestituros pro certo habemus. Ad ipso praesidia optima accedant aeque tibi, dilecte fili, qui operi praees, atque ceteris in idem adscitis: ea Nos, Apostolica benedictione effusa, singulis imploramus.

Datum Romae apud S. Petrum die 12 Iulii anno 1894, Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FIRMANA

POSTULATUM CIRCA RESIGNATIONES! BENEFICIORUM

Die 20 Ianuarii 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In relatione status Ecclesiae Firmanae exhibitae S. C. C. sub die 19 Decembris, an. 1892, sequens habetur capite IX, primum Postulatum.

« Ex Constitutione Gregorii XIII, *Humano vix iudicio* praescribitur quod resignationes beneficiorum (quae fiant in Ordinariorum manibus) intra tres menses publicatio fieri debeat modo et forma in eadem Constitutione praestita, nempe tum in Ecclesia Cathedrali, tum in Ecclesia Beneficii, *dum frequens populus ad missarum.... solemnia convenerit.* Finis huius praescriptionis, ceu notant Canonistae, est ut auferantur

fraudes et gravia incommoda vitentur, quae ex occultis beneficiorum resignationibus oriri possunt; et praesertim ne resignantes remaneant in beneficiis exercentes actus iurisdictionis inválidos vel fructus indebite percipientes.

« Iamvero dubium exoritur an huiusmodi publicatio, eo modo peracta, quem sub *nullitatis poena* citata Constitutio praescribit, necessària sit etiam in beneficiorum parochialium provisione, quorum resignado et collatio, saltem in mea Archidioecesi, satis evulgatur et publica fit, quin servetur ille modus supra expressus, imo forsan»multo melius et efficacius, quam in Constitutione Gregoriana statuitur, evulgatur.

« Vacante namque parochiali Ecclesia, etiam per renunciationem, fit concursus, nedum mediante expeditione edictorum quae affiguntur ad valvas, tum Ecclesiae metropolitanae, tum ecclesiae vacantis, sed ope literae encyclicae, typis editae, ad omnia oppida Archidioeceseos mittendae, in qua vacatio ecclesiae et causa vacationis exprimitur. Expedita autem infra mensem, a renunciationis acceptatae die computandum, Bulla novae provisionis, haec quando neoparochus possessionem adipiscitur publice legenda est a Cancellario in Ecclesia antequam ritus possessionis compleatur. Et quoniam nunc gubernium differt ad plures menses *regium placet** facile accidit, ut haec neoparochi possessio, nedum ad tres, sed ad sex menses differatur. Stante igitur hac evulgatione, finis Constitutionis Gregorianae certo obtinetur, licet non servetur adamussim modus in ipsa statutus.

« Quod si pubblicatio foret intra Missarum solemnia in Metropolitana, ad quam utpote haud commodi accessus paucissimi conveniunt, publicatio solis fere deserviret Capitularibus. — Verum cum de validitate collationis ecclesiarum agatur, cumque clausulae Gregorianae Constitutionis severissimae sint, peto humiliter ab EE. VV. an exposita praxis retineri possit ; et quatenus modus publicationibus a Gregorio praescriptus etiam pro beneficiis parochialibus *sub nullitatis poena* taxative servandus sit, ac ideo invalidae di-

cendae sint collationes hactenus factae, et quatenus ita sit, oro obtestorque EE. VV. ut dignentur easdem sanare ».

Disceptatio Synoptica

Quoad quaestionis meritum haec animadversa fuerunt. Romanorum Pontificum maxima semper fuit sollicitudo circa beneficiorum resignationes ne redolerent haereditariam successionem, neve alias quamplurimas tegerent simoniacas fraudes. In specie quoad beneficiorum resignationem ex Reg. 35 Cancellariae, ex S. Pii V Constitutione - *Sanctissimus* - ac praecipue ex Const. Gregor. XIII - *Humano vix iudicio* - nonis Ianuarii 1783, solemniter confirmata a Benedicto XIV const. - *Ecclesiastica* - 15 Iunii 1746; statuitur ut beneficii resignati collatio non fiat sine solemni publicatione, sub poena nullitatis.

Gregorius XIII in Constitutione cit. determinavit in specie modum publicationis a Regula Cancellariae et a divo Pio V generatim praescriptum ; et statuit quod ipsa publicatio in cathedrali et in Beneficii Ecclesia vel ecclesiis, si in pluribus illud sit, fiat ubique, dum frequens populus ad Missarum solemnia convenerit. Quod si ecclesia est ruralis, praeter publicationem in cathedrali fiat eadem in parochiali, intra cuius limites consistit. Dicta publicatio debet fieri palam omnibus Litteras Apostolicas exhibendo, claraque et intelligibili voce pronunciando resignationem seu cessionem huiusmodi ac beneficii qualitatem et invocationem, nominaque et cognomina resignantis seu cedentis ac illius in cuius favorem gratia huiusmodi facta est. Suam dispositionem Pontifex hisce sanctionibus munit « Ceterum modus et forma hic tradita semper et ubique debeat observari, nec alia vel aequipollens ullo modo admitti in omnibus huiusmodi resignationibus, cessionibus et retrocessionibus de quibuscumque Ecclesiis. . . . Quod si quicquam praedictorum omnium omissum fuerit, dictis terminis, ut cuicumque praescripti sunt, elapsis, omnes dispositiones et gratiae resignatorum et cessorum beneficiorum ac iurium huiusmodi, cum omnibus inde secutis sive de pacificis sive de litigiosis, sint irritae et inanes, nullaque

alia gratia super huiusmodi beneficio,' sive iure. cessio, iis quibus concessa fuerit, suffragetur, sed ipsi tales inhabiles et incapaces sint ad huiusmodi beneficia sic resignata et cessa, quandocumque obtinenda, illaque sive iura ab ipsa statim prima resignatione vel cessione etiam si illae, alias nullae et invalidae essent vacavisse et vacare censeantur eo ipso, nec resignantibus seu cedentibus si postea iii sua possessione remaneant, constitutiones de annali et triennali possessione, nec praesumptae aut tacitae retrocessiones, etiam propter diuturnam continuatae possessionis huiusmodi tolerantiam nec omnino aliud ius vel beneficium ullo tempore suffragetur, sed ipsa beneficia siveiura sic a principio vacantia, a Sede Apostolica praedicta dumtaxat impetrari valeant et concedi.

In propositam quaestionem animadvertendum est, ex citata Bulla decretorie excludi publicationem *aequipollentem* in qua confidebant postulans Ordinarius, nam Pontifex ait, non admitti, praeter a se constitutam, aliam formam publicationis, *aequipollentem.* Ceterum ipse scopus Gregorii XIII in cit. Const. fuit determinandi ad speciem modum publicationis, quem sui praedecessores indeterminatum reliquerant. Unde consequitur taxative ad *validitatem* servandam esse formam ab hoc Pontifice ordinatam. Innumerae extant S. R. Rotae decisiones hoc confirmantes.

Nec potest recurri ad praescriptionem, saltem ordinariam, pro beneficiis resignatis absque praescriptis solemnitatibus collatis, quia Pontifex nominatim aufert beneficium regulae Cancellariae, annalis et triennalis possessionis.

Ultimum perfugium esset, probare Pontificis Bullam in certa provincia non fuisse promulgatam vel saltem extitisse contraria consuetudine abrogatam. At utrumque perfugium videtur prohibere Parisius Flaminius qui celebres exaravit commentarios in hanc Bullam Greg. XIII in suo tractatu « De resignatione Beneficiorum » probans in lib. II, quaes. 9, hanc legem Romae promulgatam fuisse ea intentione, ut iuxta stylum Curiae promulgata legitime haberetur pro universo orbe. Ait etiam non posse dici usu non receptam, quia con-

trarium constat ubicumque rigorose servari ut argumentatur sub num. 26 dic. q.

Verum ReifFenstuel *tit. 9, lib. 1* cum Garcías de Beneficiis, *Part. IV, cap. 3, n. 289* notat Gregorianam constitutionem quoad huiusmodi publicationes non esse ubique usu receptam : item asserit Schmalzgrueber, *tit. 9, lib. 1*, et ei. Santi in eod. tit. hanc opinionem non reiicit. Quamobrem in casu particulari oportet apertis probationibus demonstrare Gregorii XIII constitutionem in desuetudinem abiisse. Aliunde non posset omnino improbari talis consuetudo quasi corruptela iuris praesertim moderno tempore, ob immutatas conditiones.

In casu, quamvis, nisi contraria probetur consuetudo, debeat dici, invalidas extare et nullas huiusmodi beneficiorum collationes, tamen forsan posset recurri pro nonnullis collationibus ad sanationem praescriptionis *extraordinariae ;* nam Pontifex solummodo exclusit *ordinariam annalem* et *triennalem praescriptionem* ex regulis Cancellariae et extraordinaria iuris remedia et beneficia non censentur ablata nisi expresse excludantur, eo magis quando nonnulla ordinaria taxative exclusa sint. Unde, uti refert Flaminius Parisius in 1. cit., *quaest. 6, n. 76, seq.* S. Rotae decisiones excludentes beneficium praescriptionis ad sanandas collationes beneficiorum resignatorum non legitima praemissa publicatione loquuntur de ordinaria praescriptione.

Quia quaestio est de lege irritante puto opportunum referre haec verba Emi D'Annibale *Summ. Theol. Moral. P. primaj Proleg., Tract. III, Cap. II, De legibus in specie n. 213,* ubi loquens de forma et solemnitatibus actuum in legibus irritantibus haec habet : « Porro haec omnia sunt introducta ad fraudes apprime remo vendas, et leges huiusmodi fraudis praesumptione nituntur. Quaestio igitur, ni fallor, haec est, utra sit haec praesumptio ; facti an periculi ; nam plures (quasi facti), si fraus revera defuit ratum putant quod actum est; plures alii (quasi periculi) irritum semper. Sententia utraque gravis; quocirca alii possessori favendum

putant quoad iudex fori exterioris sententiam dixerit; et iure prorsus ». Sententia declaratoria in casu non solum a iudice lata non est, sed est maxime dubia ob praeiudiciales quaestiones dissolvendas, nempe an decurrerit extraordinaria praescriptio et an de facto in Dioecesi, de qua agitur, sit contraria consuetudine abrogata lex irritans. Quamobrem maxime possessoribus favendum est.

Quoad illam Episcopi incidentem quaestionem, nempe nunc adamussim Gregor. XIII constitutionem servari non posse iubentem, citra montes, intra tres menses a die provisionis computandos beneficii possessionem capiendam esse, quia gubernium ad plures menses differt *regium placet;* facili negotio resolutio videtur repetenda ab illo principio « legitime impeditis tempus non currit » quod principium etiam huic materiae applicari diserte probat Flaminius Parisius 1. cit. *quaest. 13.*

Quapropter ab aequitate et prudentia EE. VV. videtur sperare posse Episcopus quoad praeteritum sanationem, saltem ad cautelam huiusmodi factarum collationum; quoad futurum executuram Gregorii XIII sapientissimam constitutionem, dummodo illi non constet de contraria legitima consuetudine.

Quibus-praenotatis, quaesitum fuit quodnam esset dandum responsum postulato.

RESOLUTIO. Sacra Congreg. Concilii re discussa sub die 20 Ianuarii 1894, censuit sequens dare responsum: *Pro gratia sanationis, iuxta petita quoad praeteritum, f acto verbo cum SSmo ad cautelam; quo vero ad futurum servetur rescriptum Constitutionis Humano vix iudicio.*

EX QUIBUS COLLIGES I. Resignationes beneficiorum, quae fiunt in manibus Ordinariorum, subiiciendas esse modo et formae praestitutis a Gregorio XIII in Constit. *Humano vix iudicio,* ut eliminentur fraudes simoniacae conventionis, et incommoda quamplurima.

II. Modum et formam a Pontifice traditam ubique et semper observari debere, exclusa in huiusmodi resignatio-

nibus, qualibet aequipollenti publicatione sub poena nulli*tatis.

III. In themate videri non fuisse, per contrariam consuetudinem, abrogatas huiusmodi dispositiones pontificias, ita ut adhuc permaneant in suo robore, et omnino observandas esse.

UTINBN.

DECIMARUM ET UNIONIS

Die 20 Ianuarii 1894.

Sess. 25 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Haec controversia primum amplissimo Ordini Vestro proposita in plenis comitiis diei 25 Iulii 1891 sub dubio : « *An sententia Curiae Archiepiscopalis utinensis* sit *confirmanda vel infirmanda in casu;* decisa fuit decreto : « *Sententiam esse confirmandam et ad mentem. Mens est, ut attenta obligatione Capituli pendendi rectoribus Ecclesiarum congruam pro honesta substentatione, Archiepiscopus referat de statu activo et passivo quartesii et nov alium* » (1).

Cum Ecclesiarum Parochialium rectores non acquieverint huic sententiae, petierunt et obtinuerunt novae audientiae beneficium; unde causa iterum S. C. C. proposita fuit die 28 Ianuarii 1893, sed non fuit definita quia ad petitionem Parochorum concessum est - *Dilata.*

Disceptatio Synoptica.

PAROCHORUM DEFENSIO. Defensor breviter enarratis initiis capituli Utinensis, concludit certe usque ad celebre Patriarchae Barbari decretum, eidem Capitulo nullum ius tributum fuisse in institutionem Vicariorum Curatorum, quia praesertim non habebantur vera beneficia parochialia.

(1) Recole Vol. XXIV, 224 et seq.

Postea insistit in decreto Vicarii Martini an. 1446 quo* ait, ob necessitatem curae animarum impendendae fidelibus admodum numero auctis et degentibus in regione imminentibus pluviis et aquarum inundationibus exposita, constituit quatuor alias Ecclesias pro administratione Sacramentorum.

Dein memorata Patriarchae Grimani deliberatione constituendi eadem de causa veras Parochias in obsequium decretorum Tridentinorum, interpretatur decretum Patriarchae Barbari an. 1595 constitutivum Parochiarum, adhuc existentium et concludit, Patriarcham erexisse Parochias vere distinctas et independentes a matrice.

Et hoc probat quia Patriarcha, ad ostendendam necessitatem constituendi novas Parochias, iisdem fere verbis usus est, quae a Vicario Martino fuerant prolata : « Magnitudine loci... tantus populus... in capite Civitatis... inspecta itineris distantia etc. » et a Patriarcha Grimano: « quella Città che per esser ella moltiplicata in gran numero di persone, et non bastando perciò una Chiesa sola alla cura spirituale di tutta ». Cum itaque, inquit, omnes in unam eamdemque sententiam, et quidem longo temporis intervallo conspirarent ; sole clarior apparet ea omnia adfuisse, quae a Conc. Tridentino requiruntur, pro novarum Paroeciarum erectione, ex *cap. IV, sess. XXI.*

Et relatis et examinatis ad demonstrandam veram novarum Parochiarum erectionem aliis verbis dicti decreti, denique defensor citat haec verba : « Tandem vero aliquando favente Dei gratia... distributionis paroeciarum bono, praefati Conc. Trid. Decretum executi universam Civitatem in octo partes, idest in octo parochias dividendam ac distribuendam duximus, ut praesenti Decreto distinguimus, divisam distinctamque pronunciamus », et deducit haec verba clarissime exprimere territorii Utinensis divisionem in plures distinctas parochias; revera, ait, in ipothesi qua iam Paroeciae existèrent, et tunc non ageretur nisi de constitutione seu assignatione finium, in hoc casu Paroecias iam existentes nominare omnino debuerat in ipso Decreto, et fines im-

ponere. Sed contra, quum aliae Parochiae non exstarent, praeter Matricem, sequitur quod verba decreti : « divisa, distincta in octo Parochias » accipi nequeant nisi in sensu Conc. Trid. Cap. IV, sess. XXI, idest de vera et propria erectione novarum Paroeciarum.

Citat etiam Orator haec verba celebris decreti : « Inhibemus autem omnibus et singulis parochis et Curatis et cuiusvis gradus Sacerdotibus, curam animarum quocumque nomine ac titulo, apud aliquam Ecclesiarum parochialium, seu Curatarum in dicta Civitate exercentibus, sub poena suspensionis a divinis, et aliis arbitrio Nostro, iuxta transgressionem irremissibiliter infligendis, ut quisque suis limitatis finibus contineatur, neque terminos parochiae, excepto casu necessitatis, transilire et confundere audeat ». Et animadvertit quod, velint, nolint adversarii, in illis relatis verbis : « cuiusvis gradus Sacerdotibus » intelligere non potuit , nisi canonicos eorumque Decanum. Enim vero, cum ceteri Parochi aequales essent inter se, et gradus vel dignitates non essent nisi penes Capitulum, providere voluit Patriarcha, ne ipsi Canonici et Decanus manus mitterent in alienam segetem, sicut postea apertius declaravit ipse Patriarcha.

Erectionem novarum Parochiarum probat patronus etiam ex subsequentibus ipsum decretum quia, eadem die, qua praefatum decretum sancitum fuit, Cancellarius patriarchalis in Camera audientiae publicavit, praesentibus decem canonicis et Decano, nec quisquam ex eis aliquid in contrarium opposuit; nec non ex publicatione eiusdem decreti facta, convocatis omnibus patribus Prioribus, Custodibus, Vicariis ac Praesidentibus monasteriorum, ut parochias noviter erectas omnino revererentur earumque iura non usurparent, prout explicite loquitur actus publicationis.

Quia adversarii contra haec facta et alia a Parochorum patrono citata, obtrudunt Barbari decretum anni 1597 confirmantis canonicorum ius in institutionem Vicariorum Curatorum, hic patronus movet dubia quoad authenticitatem

decreti an. 1597, auctore quodam Sac. Prof. Aloysio Fabris, Praefecto Archivii archiepiscopalis utinensis, sed maxime adurget aliud decretum anni 1606 eiusdem Barbari correctivum prioris, quo, « inhibuit dicto capitulo quemcumque etiam levissimum actum iurisdictionis spiritualis, nisi ostendat privilegia, et immemorabilem consuetudinem ».

Deveniens vero Defensor ad quaestionem de decimis seu quartesiis, dicit quod nihil melius facere potest, quam quod argumentum istud a sententia ipsius Patroni Capituli inchoare. Unde cum ipse in eius novissimo Restrictu, dicat : « retenta nostra thesi, quod nulla unquam interfuit dismembratio veteris et unicae paroeciae, consequens est, ut ius percipiendi quartesium semper remanserit penes Capitulum, unicum parochum totius civitatis » ; retenta e contra thesi quod revera adfuit vera dismembratio, ex canonica erectione septem novarum Paroeciarum ad tramitem S. Conc. Trid., consequitur, ut ius percipiendi quartesium transierit in unumquemque Parochum, in proprio territorio. Quapropter, pergit patronus, cum animarum cura totius civitatis in octo partes, seu Parochias divisa fuit, pleno iure, ex primaeva institutione, ius percipiendi Quartesium in singulos Parochos transivit. Hoc ex iustitia, ex iure naturali et communi, ex decreto Conc. Trid. Cap. IV, sess. XXI: nam: « dignus est operarius mercede sua » — et « qui sentit onus, sentire debet commodum ».

Ultimo loco advertit Orator quod, in novo Summario Capituli, refertur schedula expensarum annualium Capituli, quas expensas ad summam libellarum 25,164,91 ascendere asseritur. Sed contra, ex testimonio Fisci, diei 13 Februarii elapsi anni, habetur quod: « Dalla denunzia 12 Dicembre 1871 « risultano i seguenti pesi annui, che stanno a carico delle « rendite di Manomorta del Capitolo Metropolitano di Udine, « Totale lire 8,072,24 ». Nec ullo modo retinendum est adnotat, Capitulum minorem summam expensarum denunciasse Fisco; etenim ad hoc tendit denuntiatio onerum, ut servata proportione, exoneretur quis a solutione tributorum. Unde

absurdum esset existimare, quod Capitulum minus quam unam tertiam partem onerum denuntiasset Fisco.

Ex alia parte Parochorum patronus demonstrare nititur eorumdem congruam omnino miseram esse et admodum inferiorem a Canonicis denunciata ex syndici utinensis attestatione.

Ex testimonio vero Fisci et Syndici statum Capituli oeconomicum, detractis oneribus, refert Patronus, computari ad libellas 38,823; provectus autem 8 praebendarum parochialium detractis oneribus attingere summam libellarum 2,404: unde, concludit, plus redituum percipere unumquemque Canonicum, quam 8 Parochos in unum collectos.

Quibus praenotatis favore tantum Parochorum, quum ulteriora documenta Capitulum non adduxerit, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae archiepiscopalis utinensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 20 Ianuarii 1894 censuit respondere : *In decisis, dempta mente, attentis noviter deductis et amplius.*

VARSAVIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 24 Februarii 1894.

Sess. 24 cap. IB De ref.

COMPENDIUM FACTI. Ioseph Ciesielski domo Nowy Devor, in dioecesi Varsaviensi, brevi nuptiali tractatu praemisso, dum 29 aetatis annum ageret, matrimonium die 31 Maii 1891 in pago *Stara-Rawa* contraxit cum Maria Zakrzewska, 19 annos nata. At non par erat sponsorum ingenium; quoniam vir, ceu unanimiter ferunt, pietati ac interiori vitae

deditus, quidquid illecebrarum sensuum sapit in praesenti ex corde aversatur; mulier e contra ab his non abhorret, imo quum 17 annorum esset, a perverso quodam homine illius simplicitate abutente, seducta fuit, ac ex eo infantem habuit, qui tamen brevi mortuus est.

Ioseph votum castitatis emiserat ante nuptias, quod quidem in matrimonio servare volens, tribus ante nuptias hebdomadis, conditionem posuit Mariae, in castitate, tamquam frater cum sorore, vivendi. Maria coeco amore capta atque dissolutionem sponsalium timens, despexit exhortationes D. Sufczynska, ac quaecumque obstacula, et assensum praebuit, sed ut ipsa nunc asserit, ficte, aliter in corde et mente sentiens, sperans 'hanc conditionem non diu post nuptias duraturam esse.

Vix initis nuptiis, mulier, maritalis vitae consortium aggressa, sponsi domum profecta est, ibique mensem circiter, quamvis non continuum, cum viro suo transegit, nunquam tamen, ut videtur, eodem lecto neo-coniuges usi sunt, nec ulla amoris signa inter eos intercesserunt.

Quo tempore elapso vir separatum mulieri conduxit domicilium, et licet ipsa aliquoties in palatio dominae Obeka, cui famulatum praestabat, pernoctaverit, ubi et maritus, seorsum tamen et in tabulatis superioribus una cum ceteris ancillis. Hac de causa Maria aegrotare coepit; Iosephus vero coniugaliter cum ea vivere nolens, Mariam adduxit, ut eum omnino desereret, quod de facto die 11 Novembris anni 1891 accidit.

Paucis elapsis diebus, Maria Archiepiscopum Varsaviensem adiit, dissolutionem matrimonii sui cum Ioseph Oiesielski contracti, ex capite impotentiae viri, quam suspicabatur et nonnulli asserebant, expostulans.

Archiepiscopus iudicium instituit, et processu iudiciali formiter peracto, acta publicavit. Procurator actricis ex iisdem edoctus, conventum Oiesielski impotentia haud laborare, nihilominus copulam carnalem minime attentasse, ob votum perpetuo servandae castitatis, iam ante emissum, petivit ut

huiusmodi processus acta ad Sedem Apostolicam mitterentur pro gratia dispensationis super matrimonio rato et non consummato obtinendae.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM CANONISTAE. EX narratione, ait, factorum in processu pronum est colligere quod casus iste ordinarios huius generis petitionum tramites egrediatur, in quantum momenta rationum ad iudicium efformandum potissima in aliis causis, hic deficiunt omnino. Integritas physica mulieris, argumentum fere certissimum non consummationis, hic non habetur quia violata fuerat ab alio in prima iuventa; neque impotentia ex parte viri ; quae praetensio, si unquam allegata, testimonio Peritorum plane exploditur. Impotentiae perpetuae nulla signa invenerunt hi, nullamque impotentiam admittendam declarant, nisi forsitan aliqualis a mulieribus aversio, nata ex onanismo, cui, cum iunior esset, deditus fuit Iosephus. Verum et haec problematica sunt, parvumque habebunt valorem in determinanda istiusmodi controversia. Remanent tantum depositiones testium, et quidem in re, quae testes oculares vix patitur, et praesumptiones his innixae, ad evertendam praesumptionem iuris et de iure in contrarium. Ex altera autem parte multi testes sunt « omni exceptione maiores » et omnes, omnino optimae sunt indolis. Personae sunt honestae, religiosae, quae Sacramenta frequentare solent. Insuper testes septimae manus unanime proferunt testimonium religionis et summae veracitatis, tum Mariae, tum Iosephi, ita ut mirum non sit, et Theologum et Canonistam Curiae Varsaviensis, post acutam discussionem totius processus, in eam opinionem ivisse quod matrimonium consummatum non fuerit ; quam sententiam fateor me quoque amplecti, licet conscius sim, difficultates quae moveri possunt adversus hanc conclusionem, admodum graves esse.

Ceterum, reliqua in processu omnia ad normam Constitutionis Benedictinae rite sunt peracta, ita ut absque mora,

possumus quaestionem capitalem aggredi, utrum scilicet matrimonium Iosephi et Mariae inconsummatum remanserit.

Id imprimis constanter affirmant coniuges ipsi sub iuramento in confessionibus suis iudicialibus. Immo Iosephus votum castitatis iam antea emiserat. Neque figmentum est hoc, intuitu Processus, excogitatum, nam testatur se *ante* nuptias, de hac re duabus saltem personis loquutum fuisse.

Ceterum confessio coniugum etiam iudicialis, quamvis unum constituat ex probationum in causis matrimonialibus generibus; non statim vim probandi habet; immo ipsa sola et per se omni vi saepe caret, ob periculum collusionis inter ipsos. Expendenda igitur est et conferenda cum sanae critices regulis, et ceteris probandi generibus, ut pateat, an pro veritate, an vero ex collusione, rerum circumstantias exponat. Verum ex altera parte, testimonium a iure suspectum, non eo ipso in iure habetur ut falsum; hoc infertur -ex Instructione S. C. C. 1840 et cap. *Literae Vestrae* De Frigid, et Malef. examen enim septimae manus seu propinquorum septem ab utraque parte, eo unice tendit, ut religione et honestate coniugum stabilitis, comprobetur veracitas confessionis.

Sane Cosci, qui hanc materiam egregie tractat, *De Separatione tori lib. 1, c. 16,* tradit: « Probationem non consummationis facere possunt testes qui deponunt quod coniuges, contracto matrimonio.... coram aliis personis semper permanserint, iisque videntibus se separaverint____eoque magis si eorumdum testium depositioni accedat *assertio* utriusque coniugis, iuramento firmata, quae pariter matrimonii consummationem excluderet ». Et inferius n. *22:* « Omnem fidem merentur (coniuges) si illorum assertio coadiuvetur a testium depositione, cohabitationem excludente ». Immo, idem praeclarus scriptor affert Card. De Luca *De Matrim, diss. 2, n. 16,* et S. Rota *Decis. 101, n. 5,* ut ostendat, quomodo in certis quisbusdam circumstantiis, depositio coniugis, praesumptionem violentam iuris et de iure destruere potest, et revera destruxit. Verba Rotae sunt: « Licet enim praesum-

ptio sit violenta et iuris et de iure, tamen admittit probationem in contrarium ex *confessione* in praeiudicium ipsius confitentis ». Praesumptio in casu Rotae fundabatur in *eondormitione* Iulii cum Olympia per tres noctes in eodem lecto, qua maior vix excogitari potest, et nihilominus cum circumstantiae ostenderent confessionem fuisse *probabilissime* vendicami, praevaluit ipsa contra praesumptionem violentam iuris.

Revera in casibus similibus circumstantiae, quaecumque sint, non valent certitudinem producere metaphysicam ; in certitudine morali seu in gradibus probabilitatis oportet absolute et necessario, ut res tota agatur ; proinde licet inferre, possibilem esse gradum aliquem probabilitatis qui certitudini morali aequivaleat, qui propterea sufficiens foret factum quodvis sustinere adversus praesumptionem contrariam etiam violentissimam.

Minus violenta est praesumptio in casu praesenti. Paucis tantum noctibus in eodem cubiculo sponsi simul permansere, nequaquam vero in eodem lecto ; immo transacta prima nocte non videntur fuisse soli relicti per totam primam hebdoma^dam post matrimonium ; et etiam postea, quoties convenerunt, circumstantiae, ut videbimus, excludunt consummationem; ita ut, si excludatur pro primis coniugii diebus, videtur conclusio moraliter certa, eam nunquam locum habuisse. Quaenam afferri possunt rationes, quae suadent nullum fuisse commercium carnale inter sponsos primis his noctibus? Argumentum fortissimum est dispositio Iosephi, sat superque demonstrata in antecedentibus, concomitantes et subsequentibus suum matrimonium; dispositio nempe continentiam semper servandi. Parum ad rem refert utrum intentio haec ex simplici devotione vel religione exaggerata oriatur, seu potius excogitata fuerit ad tegendam impotentiam suam prout insinuât Maria. Quod interest nobis in praesenti est simplex factum huius intentionis, et constantia Iosephi in illa servanda. Audiamus testes qui loqui possunt de indole et dispositione Iosephi; et primum omnium studentem ecclesiasticum Ryniewicy, non solum quia testis est

omni exceptione maior, sed etiam quia Iosephum iam ab 1884 noverat. « Ab anno 1884 Iosephum Cielscelium novi in op. Nowo Minsk : innotuit mihi in ecclesia ubi quotidie assistebamus missae, in qua Iosephus fere quotidie ad S. Communionem accedebat, et familiares fuimus. — Persuasum mihi est Iosephum esse hominem devotum, moralem, honestumque. Neque in re ulla mendacium, nedum periurium committere posse. — Deinde ad rem, amici Iosephi in op. Nowo Minsk et Varsaviae degentes admiratione affecti sunt ob matrimonium contrahendum Iosephi, quum *ipse* saepe omnibus se nunquam matrimonium initurum esse, si autem müsset, victurum cum uxore, ut frater cum sorore dixerit ». Optime concordant haec cum iis quae passim ab aliis testibus enarrantur de alienatione Iosephi a consortio muliebri — de praedicta infelici sorte Mariae in matrimonio cum viro huiusmodi — de titulo S. Iosephi illi a sociis attributo. Constat eum virum esse non religiosum tantum, sed rigide talem, pharisaicum, ut unus ex testibus affirmat.

Haec de indole et intentione Iosephi mire confirmantur testimonio matris suae, mulieris apud omnes summae religionis et probitatis.

Nemo non videt quam abnormalia sint haec ad matrimonium praeliminaria, quam mire probabilem reddant praesumptionem contra consummationem. Iosephus in fama erat non ordinaria sanctitatis apud notos et vicinos et potissimum apud socios suos in servitio domestico. Et secreto et palam non uni sed multis, non una vice sed pluries, protestatus est se vitam continentem voluisse servare. Sponsatus vult resilire, cum Maria titubantem quoad intentionem servandi castitatem se exhibet, et nonnisi accepta denuo hac conditione, sub impulsu D. SufFczynska ad matrimonium se accingit. Haec omnia certissima sunt, testata et contestata in processu, quibus admissis, exurget probabilitas maxima non consummationis, quae cohonestat et confirmat depositionem iudicialem Iosephi. Revera, quis sibi persuadebit, virum pium et religiosum in momento temporis, mutasse votum vel propo-

situm plurium annorum, renovatum paucis diebus antea? Vel si missa faciamus dicta de religione eius, quis credet illum obviam iturum ludibrio et irrisionibus amicorum, qui certe « Sancto » Iosepho non parcerent, insidiis muliebribus succumbenti, post tot in contrarium repetita proposita? Salvo meliori EE. PP. iudicio, haec sufficiunt ad infirmandam « praesumptionem iuris et de iure » quae oriri potest circa cohabitationem coniugum in casu, et insuper confirmant depositiones contra consummationem, non coniugum solum, sed et domesticorum palatii, ubi ipsi domiciliati fuere.

Insuper ex depositione omnium constat Iosephum esse virum animi devotissimi ac pii, conscientiae timoratae, immo scrupulosae, levis mendacii, nedum periurii incapax. Fatetur se iuvenem in vitio secreto misere lapsum, sed conversus, ad placandam vindictam divinam, voto castitatis se obstrinxit; huic proposito contribuii forsitan aversio a carnali cum mulieribus congressu, qua declarat se semper affectum, quaeque ex vitio praedicto oriri potuit, medici opinantur. Votum hoc nullatenus celavit. Illud affirmat coram uxore, amicis et Iudice Ecclesiastico. Igitur admittendum videtur ut certum; et si ad eius pietatem in Deum et conscientiam timoratam attendatur vix potest credi illum, spreto voto, suum consummasse matrimonium. Neque huic conclusioni obstat quaedam vacillitas in suis de hac re dictis e. g. quando una vice videtur impotentiam quamdam admittere « volunt lupum arare » — « quod impossibile est a me exigunt » et aliis vicibus « se corde laborare et nolle se morti subitaneae exponere », nam praeterquamquod huiusmodi locutiones confirment factum « non consummationis » facile reconciliantur cum voto. Ex relatis iam ex processu satis evidens est, miserunt sponsum pressuras et forsitan graves, subiisse ex parte sponsae, et praesertim patronae sponsae « magniflcae » Sufczynska. In circumstantiis matrimonii contracti probabiliter dixerunt, votum parum valere, quum petitionem tantum impedit, non redditionem debiti, cum salvum remansit ius alterius coniugis. Nil mirum si vir timoratus alias excogita-

verit excusationis, ut se ex his difficultatibus extricaret. Et sic omnia quae circa hoc punctum afferuntur cohaerentia sibi sunt, et omnia in unum conspirant, nempe matrimonium non fuisse consummatum.

Quam conclusionem veram esse ex alio capite, scilicet ex analisi vel examine periodi temporis quo simul vixere coniuges. Tum circumstantiae, tum testes excludere videntur possibilitatem, moraliter loquendo, consummationis matrimonii.

Attentis his omnibus et opinione vel fama communi apud omnes qui sponsos noverunt de « non consummatione » difficile videtur recedere ab opinione iam enuntiata. Verum est hic non haberi certitudinem sive physicam, sive metaphysicam, sed verum quoque est tot ac tanta esse adminicula, in circumstantiis omnibus, in testibus numerosis, omnes unum dicentes, et nullus cuivis suspicioni obnoxius, ut ex cumulo testimoniorum exurgat certitudo moralis summa, qualis requiritur et sufficit, etiam in causis matrimonialibus, ut constat ex pluribus SS. CC. decisionibus.

Primo quaesito igitur respondendum censeo, constare de non consummatione matrimonii Iosephi et Mariae in casu.

Secundum quaesitum brevi sermone expedire potest, utrum causae adsint sufficientes pro impetranda a SS. dispensatione.

Sicuti hodie extra omne dubium est RR. PP. posse, iusta existente causa, dispensare in matrimoniis ratis, certum quoque causam hanc non semper respicere debere « bonum publicum » prout antiquitus a pluribus docebatur. Haec opinio iam a scholis Theologiae et Iuris exulatur. Eam iam respuebat Caietanus, *Opera, tom. 1, tract. 28,* et postea Pignatelli, qui haec habet: « Et licet aliqui velint causam concernere debere bonum publicum... verior et communior opinio est, ut sufficiat illam concernere bonum privatum^ ac privatam utilitatem ». *Tom. I, Consult. 148, n. 9.* Sed nullum bonum privatum magis haberi potest, quam certum scandalum auferre et periculum salutis aeternae. Utrumque habetur in casu: Maria iam deperdita fuit, et ad vitam coniugalem anhelat, valde iuvenis adhuc est, et nulla, quod sciatur, in-

firmitate detinetur. Ex alia parte nulla spes affulget propositum Iosephi mutandi, praesertim post tot declarationes ab ipso, decursu processus factas. Quis ergo non videt, obligare Mariam ad hanc unionem infaustissimam, esset simpliciter ipsam in periculum incontinentiae immittere?

VOTUM THEOLOGI. Consultor longam praemisit historiam factorum quae matrimonium praecesserunt, et ait : duxi eam ante oculos ponere ut ipsa pro se loquatur et dicat omnes revera adesse conditiones ad dispensationem a matrimonio non consummato obtinendam. De veritate inconsummationis nihil dico. Et ex Actis ipsis manifeste ea apparet, et Canonista cum Theologo Varsaviae omnia argumenta validissime exhauserunt, ut nihil dicere restet. Aliquid tantum addere velim quantum ad causas dispensationis a matrimonio de quo hic agitur.

Si matrimonium ratum non consummatum, initum etiam sine conditione servandae perpetuae castitatis dissolvatur, tamen iure divino ob propositum unius coniugum observandae evangelicae perfectionis, post nuptias factum, quod ecclesia restrinxit deinceps ad solemnem in religione approbata professionem, Perrone *De matrimonio, t. III, jp. 498 ;* eo magis dissolvendum sane esset matrimonium non consummatum, quod ob antecedens propositum conservandae perpetuae castitatis dubie validum sit. Atqui, ni fallor, tale est matrimonium in causa. R. P. Wernz *in IV libro Decretalium de iure matrimoniali (Romae, 1890-91 p. 257)* habet: « Si conditiones de futuro contra substantiam matrimonii.... contractui matrimoniali *saltem ab uno* e contrahentibus ita apponantur, ut deducantur in pactum tamquam pars constitutiva contractus____matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu ipsoque iure naturali et divino, est nullus et irritus ». Signavi *saltem ab uno,* sed teneo et Mariam in conditionem consensisse, quamvis speraret eam « non diu post nuptias duraturam ». — Sed conditio apposita a Iosepho sitne contra substantiam matrimonii? R. P. Wernz ita explicat ibidem qualis conditio invalidet matri-

monium : « Quodsi contractus matrimonialis ita celebretur, ut ne ipsum quidem ius in corpus mutuo concedatur, aut conditio nunquam consummandi matrimonium ad instar cuiusdam conditionis suspensivae vel resolutoriae principali contractui matrimoniali apponatur, non existit ulla controversia, huiusmodi matrimonium non esse validum ». Hic videtur esse omnino noster casus. Ioseph cum Maria matrimonium contrahere sibi proponebat « ob hunc solummodo finem, ut praeterita eius celaret, ab illecebris huius mundi defenderet » ; sub hac unice conditione « ut praetextu matrimonii securius suam et Mariae perpetuam castitatem servaret ». Sed audiamus ulterius R. P. Wernz : « Si stipulatio quaedam secundaria antecedenter principali contractui matrimoniali adiiciatur , qua salvo vero iure mutuo in corpora coniuges renuntient tantum licito usui illius iuris, sane multi et graves auctores etiam talem stipulationern accessoriam et antecedentem, quantumvis de re in se honeste factam, repugnare substantiae matrimonii opinantur, ut Sánchez, Schmalzgrueber, Pirhing aliique. At contraria sententia, quam non pauci ex adversariis saltem probabilem esse putant et cui » multum probabilitatis « inesse fatetur Benedictus XIV ab aliis viris doctis v. g. a Palmieri, Ballerini, Lehmkuhl aliisque merito sustinetur ». Si igitur quis contenderet conditionem appositam a Iosepho fuisse huius secundi generis, et tunc saltem dubium esset de validitate matrimonii. Quod vero Ioseph Mariae aliquando dixisse fertur « si alterutri hoc detrimento valetudinis fiat, propositum nostrum mutabimus » nihili est. Haec vel transeunter dixit persuasus, ut erat, non posse continentiam valetudini obesse, ideoque postea asserenti uxori se ob continentiam aegrotare credere noluit; vel eo sensu dixit quo deinde : « eam deserere ipsum posse, si libuerit ». De conditione absoluta, certa, manifesta ex eius parte nemo ex testibus, neque ipsa Maria dubitat.

Video hic unam fieri posse exceptionem, ita ut non dispensandum sed potius consulendum foret ut matrimonium consummetur, neque ad hoc ut renovetur consensus ad dubii

matrimonii revalidationem alio necesse esset, neuter enim coniux dubium aliquod de matrimonii validitate ob appositam conditionem habebat, sufficeret igitur ad revalidationem ipse usus matrimonii. Exceptio haec esset. Unus ex medicis in relatione sua dicit: « ex dubiis explicationibus censeo, eum etiam hoc tempore praesenti onanistam esse forte. — Causa non adimplendi debiti coniugalis onanismus antea et probabiliter nunc quoque a Iosepho exercitus, esse mihi videtur. Certum enim est I° onanistas difficile a consuetudine recedere, 2° onanistas abominationem ad actum cum muliere naturalem sentire >. — At, certum est etiam I° legitimum usum matrimonii optimum esse remedium onanismi, et 2° si revera Ioseph etiam nunc deditus esset huic vitio, sane melius esset ut dispensantur a voto castitatis. Sed cum cognita devotione Iosephi et cum manifesta eius sinceritate, suspicium medici illius stare non potest.

His itaque omnibus perpensis, quum de ipsa validitate matrimonii possit dubitari, inconsummati vero per utriusque coniugis iuratam confessionem morali certitudine probetur, quum depositiones testium omnia dicta coniugum confirment et omnes circumstantiae temporum et locorum quam minutissime et accuratissime perpensae sint et in nullo aliqua contradictio deprehendatur, quum graves iustaeque causae habeantur quae dispensationem exposcerent nimirum : firmum propositum viri servandae castitatis quam Deo voverat, amissio valetudinis uxoris et periculum incontinentiae ; ultimo quum uterque coniux conveniat in dispensatione a matrimonio imploranda, — « Romam se genibus proficisci, si posset, cupere, dicebat maritus, ut divortium obtineret » — consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione matrimonii in causa censeo.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Abnormia prorsus et inverosimilia existimo quae coniuges Ciesielski dictant , ut matrimoniale foedus rite initum die 31 Maii 1891 abrumpant. Maria, quae actricis partes viro suo Iosepho consentiente sustinet, nullum imprimis denun-

tiavit matrimonium sive ob suspicatam viri impotentiam, sive ob assertam conditionem virginitatis *(sic)* in matrimonio servandae. Sed actorum progressu perspiciens unum et alterum impactum impedimentum tenues in auras abire, ad dispensationem demum super matrimonio rato et non consummato tamquam ad ultimam naufragii tabulam, confugit; quin tamen meliorem ex hoc suam causam faciat, cum de matrimonii inconsummatione et de dispensationis causis minime in themate constet.

Re quidem vera pacificum est sponsos a die 31 Maii 1891 usque ad diem 11 Novembris eiusdem anni vixisse sub eodem tecto et in eodem cubiculo simul dormi visse. Talem autem conversationem vehementissimam parere consummationis matrimonii suspicionem, imo praesumptionem iuris et de iure indubitatum prorsus est. « Nihil enim, ait Glossa in *can. 4, caus. 3,* in iure et omnibus tam exploratum est, quam quod ex cohabitatione coniugum non minus est iuris praesumptio, matrimonium fuisse consummatum ; *non solum inquam iuris, sed etiam de iure* ».

Non inficior tamen contra huiusmodi praesumptionem contrarias probationes dari posse: sed quanti ponderis esse debeant, colligitur ex doctoribus, qui uno ore conclamant illas *vehementes, violentas* esse debere. Pignat. *to. 1, consult. 149, num. 1** ibi : « Non consummationem probandam esse *concludentissimis argumentis, imo super abundantibus* ». Et S. C. in *Comen. Matrim. 17 Bec. 1768,* postquam docuit ex coniugum cohabitatione *non oriri praesumptionem tantum,* sed PLENISSIMAM PROBATIONEM, declarat eam non *esse elidibilem* nisi per contrarias CONCLUDENTISSIMAS PROBATIONES.

Porro concludentissimae huiusmodi probationes a casu exulant omnino : nam nullum virginitatis suae specimen dare valet Maria, cum mater iam fuerit ante matrimonium; Iosephum vero nulla prorsus impotentia laborare testantur tres periti medici, qui de iudicis mandato eiusdem Iosephi corpus perlustraruni. Quibus deficientibus, mulieris nempe virginitate et viri impotentia, nullo in pretio habeo coniugum con-

fessionem vel viciniae rame-rem, prouti docuit Coelestinus III *in Cap. 5 de eo qui cogn.,* ibi: « Tuae fraternitati respondemus quod propter eorum confessionem tantum vel ramorem viciniae separari non debent, cum et quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere— Rumor autem viciniae non adeo est iudicandus validus, quod, nisi rationabiles et fide dignae probationes accedant, « possit bene contractum matrimonium irritari ». Et iure meritoque, quia coniuges, testes cum sint in causa propria, excludere haud possunt metum collusionis et mendacii; alii testes vero in causa vocati quamvis de coniugum honestate et religione fidem faciant, eorum dictis se credere fateantur, nonnullaque adminicula ad id referant, probationem nihilominus, quae *coarctata* appellatur, praebere haud valent, ac proinde nec vehementem consummationis matrimonii praesumptionem excludere.

Ceterum decantatam sponsorum religionem et sanctitatem minime confirmant facta, quae sequuntur. Mulier equidem de seipsa in iudicio testata est : « Tempore nostrae cohabitationis liberos non habui, sed uno anno ante nuptias infantem habui qui aliquot mensibus ante nuptias mortuus est ». Vir autem deposuit : « Tempore pueritiae meae per aliquot annos continuos saepe onanismi reus fui, forte quotidie ».

Antonina SufFczynska Stara-Rawa de eodem viro iurata deposuit quod : « Famuli huius palatii Iosephum esse PHAPJSAICE DE VOTUM me admonebant, atque ante nuptias Mariae Zakrzewska eam ex marito tam devoto gaudium non percepturam esse aiebant, *qui ubi eam osculatus esset,* ad sacramentum Poenitentiae accederet.... » — « Praeterea admitto, eum ab obligatione maritali abhorrere ac verosimiliter esse impotentem (?), *cum usque ad vigesimum annum onanista fuisset:* de qua consuetudine ac peccatis peractae vitae mihi et Mariae loquutus est. Dein *certa vestigia habeo hanc consuetudinem forte usque ad hodiernam diem perdurare,* ex quo sequitur abominatio erga mulieres. Ipse Iosephus semel mihi dixit, *se inhabilem esse ad immutandam vitae consue-*

tudinem cum uxore, quamquam postea se in alio sensu locutum esse interpretatus est ». Peritus medicus Sierpinski iudici scripto retulit: « Iosephus Oiesielski confessus est se in iuventute (an. 17), per aliquot annos *onanistam* fuisse; ex dubiis explicationibus censeo, *eum etiam hoc tempore praesenti onanistam esse forte,* tamen non tam frequenter passioni indulgere ». Et in iudiciali examine idem peritus medicus fassus est: « Multa afferre possum argumenta, EUM ETIAM NUNC *onanismum exercere** quam ob rem copulam cum muliere adimplere non vult, quod in onanistis fieri solet ».

Inutile post haec foret de dispensationis causis disputare. Obiter tamen animadvertere non praetermittant, quod si Ioseph onanismi vitio deditus adhuc esset, prouti sentit testis Antonina Suffczynska Stara-Rawa et medicus Sierpinski, melius profecto aeternae et temporali eiusdem Iosephi saluti prospiceretur, si ad legitimum matrimonii usum Curia Varsaviensis eum hortaretur, dispensato, quatenus opus sit, castitatis voto ante matrimonium forte emisso. Atque huc eo vel magis insistere puto, quia asserta conditio castitatis in matrimonio servandae nullum mihi ingerit dubium de matrimonii validitate. Etenim praefata testis Antonina Suffczynska Stara-Rawa, de hac re apprime instructa, ita respondit: « Maria conditionem mariti solum simulata mente suscepit, vim eiusdem non diu post nuptias duraturam esse sperans. De qua re mihi aliquoties dixit ante nuptias et ipsa die nuptiarum, quum ad ecclesiam proficisceretur. Cum Maria, vota castitatis etiam in monasteriis emitti nonnisi ad tempus, donec perseverantia in virtutibus per sat diuturnam probationem consequatur, Iosepho dixisset; Iosephus Oiesielski respondit: *Nos etiam tali modo vivere conabimur initio ad tempus, et si alterutri hoc detrimento valetudinis fiat, propositum nostrum mutabimus* ». Ex quo patet decantatam castitatis conditionem in matrimonio observandae haud respicere perpetuam abdicationem usus matrimonii, minusque vero attingere radicale ius utendi matrimonio.

Quibus praemonitis, suppositum fuit diluendum

Dubiam

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 24 Februarii 1894, censuit respondere : *Affirmative.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. Non consummationis probationem confici posse per utriusque coniugis assertionem iuramento firmatam, et eo magis si accedat testium depositio cum iuramento.

II. Condormitionem coniugum per plures noctes constituere praesumptionem consummationis violentam, et *iuris* et *de iure;* quas tamen destrui posse videtur per confessionem *probabilissime* veridicam, praesertim si confessio sit in praeiudicium ipsius confitentis.

III. Praesumptionem consummationis in themate minus esse violentam eoquod sponsi paucis noctibus soli permanserint in eodem cubiculo, numquam vero in eodem lecto ; et cum sint vere abnormalia praeliminaria ad hoc matrimonium.

IV. Ex quo extat causa iusta pro dispensatione in matrimonio rato, veriorem et communiorem opinionem esse, hanc iustam causam non debere semper respicere bonum publicum, sed sufficere si illa respiciat bonum privatum, ac privatam utilitatem.

CASTRIMARIS

POSTULATUM QUOAD BAPTISMI ADMINISTRATIONEM

Die 20 Ianuarii 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Castrimaris in relatione suae Ecclesiae S. C. C. transmissa, haec habet in cap. *De Postulatis:*

Tertio reperi hac in Dioecesi consuetudinem indulgendi, aequis de causis, ut baptisma administretur domi, explendo

omnes ritus, praecipue apud familias conspicuas. Ego rem ad Ritualis legem revocavi; qua id permittitur tantum in discrimine salutis infantuli; quo casu permitto ut domi aqua tantum tradatur, differendo alias ceremonias ad tempus quo puer ad Ecclesiam deferri valeat. Res aeque toleratur ob inolitam contrarium consuetudinem ; proinde exposco utrum sic prosequi debeam, vel permittere possim exceptiones, quoad alias ceremonias quoque, domi explendas.

Disceptatio Synoptica.

CONSUETUDO REPUDIANDA VIDETUR. Ut aliquid pro recepto more breviter utrinque animadvertatur, praestat in primis recolere quod *ex Extravagante Clement, unie. h. t.* prohibetur ne baptismus in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus conferatur, sub poenis ab Episcopo indicendis, sed in Ecclesiis, in quibus sunt fontes ad id specialiter deputati; quod vetitum manet etiamsi ibidem baptizati postea ad sacrum fontem afferantur, ut consuetae ceremoniae ac ritus in ecclesiis celebrentur. Tantummodo in hoc exceptio duplex est, nempe primo quoad liberos Regum et magnorum principum, quibus, si isti petant, potest conferri baptismus in eorum domibus, nempe in capellis eorum vel oratoriis, aqua tamen de more benedicta. Altera exceptio est si infantes absque periculo ad ecclesiam deferri nequeant, quod periculum a Glossa huius cap. explicatur nedum respectu baptizandorum, quando nempe sunt in mortis articulo, quam respectu eorum, qui illos deferre deberent ad ecclesiam, Ritual. Rom. *Be Bapt. cap. 8, § 3;* D'Annibale *Sum. 1h. mor. lib. 3, num. 137 etc.;* De Angelis *Prael. Iur. can. lib. 3; tit. 42 n. 3.*

At vero in themate, si attendantur ea quae Episcopus retulit, haud rationes adessent, quae taxative ad veniam inducendam ex iuris dispositione requiruntur. Re sane vera non de necessitate, cui iam a Rmo Praesule provisum est, sed de commoditate tantum agi videretur. Neque familiae nobilitatem ad ius derogandum sufficere opinarer, cum iuxta

Glossam in *dict. Clement.,* ac veriorem Doctorum sententiam, nomine Principum non veniant nisi Principes potentes, qui regibus aequiparantur. Riganti, in *Reg. Cariceli. 42, num. 117;* Suarez *Dist. 31, sect. 2;* Rituale Roman, *loc. cit.;* S. Alph. De Ligorio *Theol. mor. lib. 6, num. 118.*

Praeterquamquod Ciernen, et Rit. Rom. extra Ecclesiam Regum aut magnorum Principum filios baptizare indulget, dummodo tamen id fiat in eorum capellis seu oratoriis; quae oratoria saepe saepius in casibus, quos Castrimaris Ordinarius proponit, profecto deessent; proindeque in his adiunctis verendum est ne debitum divinis rebus obsequium praestetur; et, quod gravius est, ne ansa praebeatur, ut in posterum quaelibet familia baptismum in suis aedibus fieri praesumat.

CONSUETUDO MANUTENENDA VIDETUR. Tandem commemorandum etiam videtur populi fidem, devotionem quam maxime excitare ac augere nobilium baptismata in ecclesiis pompose administrata.

Attamen ex adverso perpendendum est in dioecesi Castrimaris consuetudinem invaluisse a Praesule facultatem indulgendi baptismum domi administrandi. Neminem autem latet consuetudini tantam vim ex utriusque iuris censura inesse, ut scriptae legi aequiparetur. *Textus in leg. sine script. Instit. tit. de iur. nat. et gent.* Peretius in *Comment. Instit. ad dict. leg.* Voet in *Comment, ad Pandect. tit. 1 num. 30; et lib. 3 De praescript. in 6°.* Hinc mirum haud est doctores unanimi consensu tradidisse, quod consuetudo praesumere facit titulum de mundo meliorem, supponit privilegium, Apostolicum beneplacitum etiam in actibus ecclesiae praeiudicium divinique cultus decrementum inferentibus, ut post Urbanum VIII in *Constitut. Romanus Pontifex* docet Barbosa *De pot. Episcopor. alleg. 25, n. 72;* Rota in *Romana Oblationum* 25 Ianuarii 1725 § 5 ;* S. C. C. in *Amnionen. Capellaniae 16 Sept. 1780.*

Neque huiuscemodi consuetudo in dioecesi Castrimaris abroganda videretur, dummodo pro subiectae materiae gra-

•vitate eas induat conditiones, tum ratione durationis, tum ratione aliorum adiunctorum necessarias in huiusmodi casibus. Siquidem hisce funestis temporibus, fide deficiente, damnum bono spirituali puerorum obvenire posset, prout si eorum baptismum nimis procrastinaretur; cui accedit etiam, attenta praesertim locorum adiacentium consuetudine, contemptus Praesulis iussorum periculum.

Hisce animadversis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii re cognita sub die 20 Ianuarii 1894 censuit respondere: *Servetur Rituale Romanum; salvis exceptionibus, quas ex rationabilibus causis Episcopus concedere pro suo prudenti arbitrio censuerit.*

MELEVITANA

DUBII QUOAD MISSARUM REDUCTIONEM

Die 24 Februarii 1894.

Sess. 25 cap. 4 De reform.

COMPEDIUM FACTI. In dioecesi Mele vi tana taxa synodalis pro missarum eleemosynis, anno 1892 erat constituta ex novem « *tare* » correspondentibus uni nostrae libellae cum dimidio. Episcopus, instante clero, ob admodum auctum rerum vitae necessariarum pretium, ratus est taxam synodalem elevandam esse ad *scutum melevitanum** aequale duobus nostris libellis et aliquid amplius (f. 2, 15). Quam taxam volens Episcopus applicare etiam missis non manualibus seu impositis per pia legata supplicem libellum obtulit S. Congregationi Rev. Fabricae Div. Petri, quo exposuit eleemosynam Missarum esse L. 1,50; cum tamen necessitates vitae sint nunc maiores, ideo indultum expetivit elevandi eleemosynam Missarum ad libellas 2,15; et iuxta hanc normam moderandi legata pia tam *taxative,* quam *demonstrative* iam fundata.

Idque fecisse ait, ut cleri desideriis obsecundaret.

Cui petitioni Summus Pontifex dignatus est confirmare et approbare hoc rescriptum:

« Ex Audientia SSmi — Die 20 Maii 1892 — Ssmus, attentis ab Episcopo oratore expositis, nec non peculiaribus enunciatis circumstantiis, benigne introscriptorum Legatorum reductionem iuxta petita per septennium indulsit. Eidem Episcopo facultates necessarias et opportunas pro executione. - Contrariis quibuscumque minime obstantibus L. f S. f. Ir. M. Archiep. Melitênens.

Sed Episcopus Melevitanus rescriptum mandans legitimae executioni nonnullas nactus est difficultates, praesertim sibi obiectas a legatorum administratoribus et piorum locorum. Has difficultates spectantes interpretationem exequendi Rescripti, Episcopus significavit eidem S. Congregationi Rev. Fabricae, quae tamen Episcopo reposuit se hisce quaestionibus non respondere. Quapropter Melevitanus Ordinarius ad S. C. C. recursum habuit, sequentibus verbis suam exponens quaestionem: post relatum rescriptum Rev. Fabricae, dubitatur quomodo intelligenda sit haec reductio, quoad legata taxativa, quando reditus alicuius fundi, super quo onus missarum positum fuit, aucti taliter fuerint ut missarum numerus constitutus tempore fundationis manuteneri possit absque diminutione beneficii, quod aliquando manebat favore haeredum, aut loci pii ex. gr. Titius reliquit onus quinquaginta Missarum cum eleemosyna supradicti temporis supra fundum A qui quotannis reddebat 40 scuta melitensia seu libellas 86; tribuens reliqua favore haeredum, aut loci pii. Posito quod eleemosyna tempore fundationis fuerit dimidium scuti melitensis, pro dictis 50 Missis erogabatur summa 25 scutorum, ex quo superessent 15 scuta favore haeredum aut loci pii. Nunc praedictus fundus reddit 100 scutos et Missae stipendium elevatur ad unum scutum: quaeritur:

I. An numerus Missarum constitutus, uti dictum est, redigi debeat iuxta auctam eleemosynam, nempe ad 25, linquendo redituum auctionem favore haeredum aut loci pii;

aut manutenendos sit idem Missarum numerus in fundatione praescriptus.

II. Et in casu quo reditus auctus fuerit, sed non ita ut adimpleri possit totus Missarum numerus constitutus in fundatione, absque discrimine beneficii relicti in origine favore haeredis, aut loci pii, utrum et quomodo reductio facienda «it?

Disceptatio Synoptica

In primis advertendum, S. C. Congregationem quamplurimas resolvisse quaestiones respicientes usum potestatis, Episcopis per speciale indultum concessae ad reducenda onera missarum. Ita non solum post celebre decretum Conc. Trid. *sess. 25 cap. 14. Be reform,* indulgens Ordinariis plenam facultatem circa relicta ad pios usus, habita est S. C. Cong/ resolutio in Mediolanensi *(lib. 5 decret, pag. 38)* interpretans Tridentini dispositionem solummodo pro prima Synodo post idem Concilium celebrata ac de oneribus missarum ante idem Concilium impositis; sed postquam Episcopi habuerunt facultates sibi specialiter delegatas reducendi onera missarum uti factum est in Conc. Romano anni 1725 in quo singulis Episcopis ibi sive per se vel per procuratorem assistentibus illud concessum fuit, ut missarum legata iuxta Instructionem ibidem traditam imminuere possent. S. O. Cong. plures dedit resolutiones circa limites potestatis ita concessae et causas sufficientes usui eiusdem potestatis : uti videre est apud Benedictum XIV in oper. de Syn. dioec. *lib. 13. cap. ult.* At alia est quaestio nunc definienda, quae non versatur circa vim et naturam *concessionis generalis,* an scilicet aliquis casus in eadem comprehendatur, sed quaeritur an *reductio particularis* missarum a Summo Pontifice iam concessa ad certum casum se extendat. Aliis verbis, in applicatione concessionis generalis Episcopus est *iudex;* in hoc casu est *merus executor* quia gratia iam facta est.

Quam animadversionem Melevitanus Episcopus, in sua sapientia, semper prae oculis habebit, ne sententiae EE. PP.,

quaecumque erit, nec maiorem neve minorem tribuat extensionem.

Hisce praemissis, planum est hic agi de Rescripto gratiae legitimae executioni demandando. Proinde, qua favorabile, latam et benignam meretur interpretationem, uti exploratissimi iuris est.

In hoc rescripto Summus Pontifex « benigne introscriptorum legatorum reductionem iuxta petita per septennium indulsit ». Verum Episcopus executioni manus admovens vidit in nonnullis legatis, *taxative* conceptis, actum iri ut notabiliter diminuerentur onera missarum, quamvis pro haeredibus vel legatariis reditus fundorum non modo diminuti, sed aucti evadere uti patet ex facti specie. Quocirca Illmus Executor vehementer dubitavit ne executio excederet *petita* et *concessa.*

Haec dubitandi ratio innititur capiti *Super Uteris, De Rescript.,* in quo Innocentius III ait: « Si vero per huiusmodi (seu ex ignorantia absque malitia) falsitatis expressionem vel suppressionis etiam veritatis literae fuerint impetratae,. qua tacita vel expressa, nos nullas prorsus literas dedissemus, a delegato non est aliquatenus procedendum ». Et omnes auctores conveniunt, uti videre est apud Fagnanum in commentario ad hoc caput, quod haec iuris praescriptio fortior et severior est pro rescriptis gratiosis, in quibus, stante defectu obreptionis vel subreptionis, nullitas certe ipso iure procedit.

Insuper hoc proprium est huius subreptionis, non ex malitia provenientis ut vitiet tantum rescriptum in ea parte in quam cadit, et haec habet Fagnanus 1. c. n. 72 « Subreptio per simplicitatem seu ignorantiam, quae non fuit causa totius concessionis, sed partis illius dumtaxat, rescriptum non vitiat in totum, sed eatenus tantum, quatenus fuit causa concessionis » ; et postquam hanc doctrinam pluribus auctoritatibus et decisionibus S. Rotae confirmaverit, ita ratiocinatur : «quia vitium eatenus actum vitiare debet, quatenus ingreditur actus substantiam, ut sic quantitas infirmitatis actus,

mensuretur quantitate vitii; et hoc rationabile ». Quapropter iure merito Melevitanus ordinarius dubitavit ne subreptionis vitium inficerei tantum partem concessionis respicientem legata *taxative* concepta.

Praeterea dubitandi ratio hoc in casu alio ex capite provenire potest ; ex animadversione nempe, legata *taxative* concepta, institui per contractum vel quasi contractum inter fundatorem et haeredes vel legatarios initum, quo certus missarum numerus statuitur in certo fundo, ex cuius nonnullis reditibus missarum oneri haeredes vel legatami satisfaciendi assumunt obligationem. Atqui indultum a Sede Apostolica concessum pro moderandis missarum one-r ribus non suffragari quoad onera per contractum suscepta; ideoque factam reductionem non sustinendam esse, rescripsit S. C. Cong. in Macerat. *15 Nov. 1687,* Mont. Polit. *3 Sept. 1716,* Bergom. *10 Iul. 1728,* Mediolan. *7 Áp. et 1 Sept. 1731,* Rom. *18 April. 1733,* Favent. *Febr. 1734* No Ian. *14 Maii 1739.* — Benedictus XIV in Opere *De Syn. Dioec. lib. 13, cap. ull., n. 26,* ita ratiocinatur in hoc propositum: « Cumque nos ipsi, aliqua etiam adhibita diligentia, perlustraverimus decreta post Concilium Romanum a Cong. emanata, ut agnosceremus an ipsa, exceptas non videns Missas per contractum acceptatas a reducendi facultate per saepe dictum Concilium tributa, novum sibi systema novamque iudicandi regulam statuisset, certo deprehendimus quoties suborta fuit controversia super Missarum reductionibus, per Generales Ordines factis, in vim praedictae facultatis a Concilio Romano ipsis tributae, ex eo quod ad minorem numerum reduxerint Missas per contractum acceptatas, Congregationem, nullas irritasque huiusmodi reductiones declarasse; quemadmodum videre est in Rom. *18 Ap. 1733.* Quapropter tuto concludi posse censemus, Episcopos quibus facultas est reducendi onera Missarum... non posse Missarum numerum in contractu praescriptum ac vicissim acceptatum minuere seu reducere, quamvis imminuti fuissent reditus ob eum finem assignati, sed, hac proposita facti specie, *opor-*

*tere ut iudicis partes assumant, investigantes an talis sit quae obvenit redituum rmminutio, ut iuxta recepti iuris regulas, ad sufficiat rescindendum contractum vel saltem ad eumdem ad iusti et aequi normam redigendum*_____» Ergo ex doctrina nuper exposita videretur facultas concessa ad reducenda onera legatorum *taxative* conceptorum extendi *ad ea tantum huiusmodi Legata quae, praevio maturo examine, appareant reducenda proportionaliter iuxta imminutos fundi gravati reditus.*

Verum ex alia parte non desunt rationes suadentes, reductionem missarum in casu fieri debere absolute et *indiscriminatim*, tum in Legatis *demonstrative*, tum *taxative* conceptis. — Nam in primis hic non agitur de *gratia facienda* ab Episcopo, sed de *gratia* a Summo Pontifice iam *facta.* Rescripta vero gratiae sunt favorabilia.

Nec in verbis Rescripti sua genuina significatione assumendis nulla adest distinctio facta inter utrumque genus Legatorum , ubi vero lex non distinguit nec nos distinguere debemus, uti fert effatum.

In hoc propositum nec deest regula authentice promulgata in exequendis huiusmodi concessionibus Ordinariis attributis. Nam haec S. Congregatio efformavit -instructionem Episcopis communicandam praeditis his facultatibus. Instructionis tenorem refert Benedictus XIV in *Op. De Syn. Dioec. lib. 13, cap. ult., n. 32:* « Quomodo autem (en verba instructionis) se gerere debeat in executione, quoad legata *taxative* vel *demonstrative* concepta, S. S. Amplitudini tuae notificandum iussit, quod mature pensatis ac perlectis dispositionibus et fundationibus quibuscumque, quibus praefata missarum onera annexa reperiuntur (exceptis instrumentis seu contractibus super quibus manus apponere non debeat, nisi in casu iudicialis instantiae pro illorum rescissione titulo laesionis) illa legata seu fundationes erunt *taxative* conceptae, si fundatores legando aut aliquo modo disponendo orationem seu dispositionem prius inchoaverint ab assignatione fundi et subinde missarum onus adiecerint, et *hoc casu*

huiusmodi onera ad rationem eleemosynae manualis, ut supra, moderari possit; secus vero si fundatores orationem seu dispositiones inceperint ab impositione oneris et subinde fundum assignaverint, tunc enim onus dicitur *demonstrative* conceptum ac fundatorum haeredes per Amplitudinem tuam cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris manutentionem et ad supplendam summam deficientem tam pro praeterito, quam pro futuro ». Eodem modo S. C. O. quoad legata taxative et demonstrative concepta iudicavit in Mediolan. *9 Septembr. 1702; 9 Apr. 1718; 1 Apr. 1719;* Venet. 4 *Febr. 1719.*

Ex his sequitur, S. C. Congregationem in Legatis taxative conceptis ita interpretari fundatoris mentem, ut ex redditu certi fundi *certa earumdem pars* tribuatur pro celebratione missarum; unde, auctis eleemosynis missarum, numerus earumdem decrescat oportet. Proinde potest argui a fortiori, a concessione facta pro reducendis legatis demonstrative conceptis ad concessionem reducendi legata, taxative concepta, ita ut quando indiscriminatim possint reduci utriusque generis legata, in exequendo rescripto est maior favor in reducendis legatis *taxative* quam *demonstrative* conceptis.

Aliunde haec interpretatio in Legatis *taxative* institutis est admodum conformis etiam rationibus oeconomicis haeredum vel legatariorum. Nam idem motivum quo augetur eleemosyna, viget etiam pro reliquis reditibus qui supersunt fundi gravati possessoribus. Hi reditus enim *numero* plures tamen *valore* non augent, si ratio habeatur maioris pretii rerum acquirendarum. Unde, debita servata proportione, non mutatur primitiva fundatoris voluntas, quamvis missarum numerus decrescat, et fundi reditus augescant.

Praeterea Ecclesia providet ne missarum onere reducto, fructus spiritualis pii fundatoris deficiat. Supplet enim de infinito meritorum Christi et Sanctorum omnium thesauro quod deest ex parte minoris numeri celebratarum Missarum. Hoc perficere expresse intendit Sacra Cong. Rev. Fabricae, uti refert Card. De Luca in *Mel. Cur. Rom. dis. XX*, ubi advertit, Rev. Fabricae congregationem commutare vel redu-

cere onera piorum legatorum, ut eius dispensatio « loco illorum operum vel suffragiorum, quae fieri debebant, ex ecclesiastico thesauro, plena potestate Apostolica, succédât ».

Quibus rationibus in utramque partem libratis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An numerus Missarum absolute pro aucta Missarum eleemosyna reduci debeat* in casu.*

II. *Et quatenus negative* an reduci possit proportionaliter* habita ratione augmenti eleemosynae et redituum in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 24 Februarii 1894, censuit respondere: *supplicandum SSmo. pro moderatione rescripti iuxta, mentem.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

Normae pro musica sacra.

PARTE I.

Norme generali per la musica da usarsi nelle funzioni ecclesiastiche.

1. Ogni composizione musicale informata allo spirito della sacra funzione che accompagna, rispondendo religiosamente al significato del rito e delle parole, muove a devozione i fedeli, e quindi è degna della Casa di Dio.

PARS PRIOR.

Normae quaedam generaliores in musice, quae in ecclesiasticis functionibus solet adhiberi, omnino sequendae.

i. Omnis sonorum vocumve musica compositio, spiritu sacrae functionis cui consociatur, informata, quum ritus et verborum significationi respondeat, fideles sancte percellit, atque ideo Domo Dei digna est.

2. Tale è il Canto Gregoriano, che la Chiesa riguarda come veramente suo, e quindi il solo che adotta nei libri liturgici da essa approvati.

3. Il Canto Polífono eziandio, come anche il Canto cromatico, purché forniti delle suddette doti, possono convenire alle sacre funzioni.

4. Nel genere polifonico viene riconosciuta degnissima della Gasa di Dio la musica di Pierluigi da Palestrina e dei suoi buoni imitatori ; come, per la Musica cromatica, si riconosce degna del culto divino quella che ci venne trasmessa fino ai nostri giorni da accreditati Maestri di varie Scuole italiane ed estere, e specialmente dai Maestri Romani, le cui composizioni furono lodate più volte dalla competente Autorità siccome veramente sacre.

o. Essendo ben noto che una composizione anche ottima di musica polifonica può divenire sconveniente per una cattiva esecuzione; in tal caso si adoperi nelle funzioni strettamente liturgiche il Canto Gregoriano.

6. La musica figurata da organo deve in genere rispondere all'indole legata, armonica e grave di questo strumento. L'accompagno istrumentale deve sostenere decorosamente il canto, e non opprimerlo. Nei preludii ed interludii così l'organo come gli strumenti

2. Huiusmodi est cantus Gregoriana , quem Ecclesia uti proprium reipsa spectat, quemque idcirco solum in libris liturgicis ab se comprobatis, adoptât.

3. Item cantus polyphonus, et cantus cromaticus, si modo iisdem sint dotibus praediti, possunt et hi sacris functionibus convenire.

4. In genere polyphonico aptissima Domui Domini existimatur musice Petri Aloisii Praenestini, ac praestantiorum ex eius discipulis ; quemadmodum in genere cromatico, divino cultui idonea musice habetur, quae ad nos usque in praesens ab praeclarissimis variarum italicanain, tum etiam exterarum scholarum Magistris, praesertim vero romanis, transmissa est ; quorum musicae lucubrationes fuerunt ab ecclesiastica Auctoritate, uti vere sacrae, saepenumero commendatae.

5. Quum apprime constet, quamlibet, etsi optime lucubratam, mu sices polyphonicae compositionem, si perperam pronuncietur, domum Domini dedecere, id si contingat, cantus gregorianus in functionibus pure liturgicis omnino adhibeatur.

6. Musicus concentus, qui Organo personante conficitur, huius indoli uniformi, armonicae, gravique respondeat. Instrumentorum vero musicorum comitatus cantum decorose sustineat, non opprimat. In praeludiis interludiisque cum Organum, tum vero etiam musica

conservino sempre il carattere sacro corrispondente al sentimento della funzione.

7. L'idioma da usarsi nei cantici durante le solenni funzioni strettamente liturgiche sia la lingua propria del rito, ed i testi ***ad libitum*** si prendano dalla Sacra Scrittura, dall'Officiatura, o da inni e preci approvate dalla Chiesa.

8. Nelle altre funzioni si potrà usare la lingua volgare, prendendo le parole da divote ed approvate composizioni.

9. È severamente proibita in Chiesa ogni musica per canto, o per suono d'indole profana, specialmente se ispirata a motivi, variazioni e reminiscenze teatrali.

10. Per provvedere al rispetto dovuto alle parole liturgiche, ed escludere la prolissità della sacra funzione, è proibito ogni canto, nel quale le parole si trovino anche in minima parte omesse, o trasportate fuori di senso, o indiscretamente ripetute.

11. È proibito il dividere in pezzi affatto staccati quei versetti, che sono necessariamente collegati fra loro.

12. È vietato l'improvvisare, detto ***a fantasia,*** sull' organo a chiunque noi sappia fare convenientemente, cioè in modo da rispettare non solo le regole del-

instrumenta sacrum characterem ecclesiasticae functionis indoli respondentem conservent.

7. Idioma quo in canticis, dum sacrae functiones strictim liturgicae peraguntur omnino utendum est, sit lingua ritus propria : textusque pro libito decarttandi ex Sacra Scriptura, ex ecclesiastica Liturgia, ex hymnis demum precibusve ab Ecclesia comprobatis excerpantur.

8. In ceteris, quae fieri solent, functionibus, vulgari lingua uti licebit, ex piis riteque probatis catholicorum libris, excerptis verbis.

9. In templis severissime interdicitur musicus, sive cantus, sive sonus, cuius sit profana indoles ; praesertim vero si concentus, modulationes, allusiones denique factis modisque theatralibus praeseferat.

10. Quo debitae verbis liturgicis reverentiae consulatur, nimiaque sacrarum functionum prolixitas devitetur, quilibet cantus vetatur, in quo vel vocula sacrae liturgiae omissa sit, aut verba extra fuerint sensum translata, aut demum aequo plus repetantur.

11. Item inhibetur in frusta, prorsus disiuncta, secare vel dividere versus qui sunt inter se necessario nexu colligati.

12. Ex improviso, atque, ut aiunt, ad **«pavTasiav,** fundere cantus nemini liceat qui id iuxta musicae artis regulas facere nesciat; eo videlicet modo, quo et eaedem

l'arte musicale, ma quelle altresì che tutelano la pietà ed il raccoglimento dei fedeli.

PARTE II.

Istruzioni per promuovere lo studio della Musica Sacra, e per allontanarne gli abusi.

Ï. Essendo la Musica Sacra parte della Liturgia, si raccomanda ai Rmi Ordjnarî di prenderne cura speciale, e di farne argomento di opportune prescrizioni, soprattutto nei Sinodi Diocesani e Provinciali, sempre però conformi al presente Regolamento. Il concorso dei laici è ammesso sotto la vigilanza e dipendenza dei rispettivi Ordinari. Non si possono formar comitati, nè tenere congressi senza l'espresso consenso dell'Autorità ecclesiastica; la quale per la Diocesi è il Vescovo, per la Provincia il Metropolita coi suoi Suffraganei. I periodici di Musica Sacra non possono pubblicarsi senza ^***imprimatur*** dell'Ordinario. È al tutto proibita qualsiasi discussione sugli articoli del presente Regolamento. Nelle altre materie poi risguardanti la Musica Sacra, essa è lecita, purché I° si osservino le leggi della carità : 2° nessuno si eriga a maestro e giudice altrui.

regulae serventur, et fidelium pietas ac religio neutiquam offendatur.

PARS ALTERA.

Documenta ad studium musices sacrae promovendum, et abusus arcendos.

I. Cum Sacra Musice quaedam sit Ecclesiaticae Liturgiae pars, Rmos Dioecesium Italiae Episcopos enixe adhortamur, ut praecipuam eiusdem curam suscipiant, atque opportuna super illa idemtidem, nacta occasione, praesertim vero in Synodis sive Dioecesanis, sive Provincialibus, praescripta edant; at semper hisce legibus conformia. Laicorum concursus permittitur ; quibus tamen advigilet ac praesit cuiusque Dioeceseos Episcopus. Comitatus instituere et Comitia habere non liceat sine exprèsso Ecclesiasticae Auctoritatis assensu r quae quidem pro unaquaque Dioecesi Episcopus est; pro qualibet provincia Métropolites cum suis Suffraganeis. Musices sacrae Ephemerides publicae, nisi a proprio Episcopo potestate facta, typis edi non possunt. In iisdem vero quaevis super harum praescriptionum articulis controversia inhibetur: in reliqua vero ad sacram Musicen materia spectante permittitur ; dummodo I° Christianae caritatis leges serventur: 2° Ceterorum se Magistrum ac iudicem constituat nemo.

II. I Rmi Ordinari faranno esattamente adempiere dai. Chierici l'obbligo di studiare il canto fermo, quale specialmente si rinviene nei libri approvati dalla Santa Sede. Quanto poi agli altri generi di musica ed al suono dell'organo, non ne prescriveranno ai Chierici l'obbligo, per non distorglieli dagli studi più gravi, ai quali debbono attendere. Se però alcuni di essi siano già istruiti in tal genere di studi, o ne mostrino particolare disposizione, potranno loro permettere di perfezionarsi nei medesimi.

II. Rmi in propria quisque Dioecesi Episcopi sedulo curabunt, ut Clerici officio, quo hi adstringuntur Cantum Gregorianum addiscendi, satisfaciant ; qui praesertim in libris a S. Sede approbatis utique prostat. Quod vero pertinet ad alia Musices genera, atque ad Organi sonitum, Clericis nequaquam eamdem addiscendi necessitatem imponant, ne a gravioribus studiis, in quae incumbere debent, forte abstrahatur. Si qui vero huiusmodi studiis iam instructi sint, aut specialem in illa animi propensionem praeseferant, eis permittere poterunt, ut in iisdem perficiantur.

III. Invigilino assai i medesimi Rmi Ordinari sui Parrochi e Rettori di Chiese, affinchè non permettano esecuzioni musicali contrarie alle norme del presente Regolamento; valendosi ancora secondo il loro arbitrio e prudenza, delle pene canoniche contro i disobbedienti.

III. Porro maximopere advigilent iidem Rmi Episcopi, ne Parochi, neve Ecclesiarum Rectores, musicos concentus fieri permittant his legibus oppositos, etiam, si quidem opus fuerit, pro sua prudentia et arbitrio canonicis poenis in contumaces adhibitis.

IV. Colla pubblicazione del presente Regolamento, e sua comunicazione ai Rmi Ordinari d'Italia, è abrogato qualsiasi atto precedente sullo stesso argomento.

IV. His praescriptionibus rite promulgatis, iisque Rmis Episcopis quarumcumque Dioecesium in Italia consistentium legitime denuntians atque exhibitis, quaelibet alia praecedens super hac eadem re praescriptio hactenus edita, abrogata censeatur.

La Santità di Nostro Signore LEONE PAPA XIII, in seguito di relazione fattale dal sottoscritto Cardinale Prefetto della Sacra Con-

SSmus D. Noster LEO PAPA XIII post relationem subscripti Cardinalis S.R.Congreg. praepositi, hasce Praescriptiones legesve, edicta earum

gregazione de' Riti, si è degnata confermare e sanzionare in ogni sua parte il precedente Regolamento, ordinandone la pubblicazione, il di **6** Luglio **1894.**

G. Card. ÀLOISI-MASELLA, *Pref.*

L. * S.

Luigi Tripepi, ***Segretario.***

promulgatione benigne probavit, confirmavit: die YI Iulii **1894.**

C. Gard. ALOISI-MASELLA *Praef.*

L. * S.

Aloisius Tripepi ***Scriba a Secr.***

Litterae encyclicae ad Ordinarios Itaiiae super nuperrimis normis sacrae musicae.

Illmo e Rmo Signore

Benché il Regolamento per la Musica Sacra, comunicato con autorizzazione Pontificia dalla S. Congregazione de' Riti all'Episcopato Italiano il **24** Settembre **1884,** contenesse molte savie norme per questa imoortante parte della liturgia ecclesiastica; pur tuttavia nò poche nè lievi difficoltà si opposero nel maggior numero delle Diocesi alla sua esatta osservanza.

A rimuovere siffatti ostacoli, ed a procurare che in ciascuna Chiesa la musica sia degna della Casa di Dio, il Santo Padre, dopo aver fatto interrogare i principali Maestri dell'arte musicale, e conosciuto il parere di molti Ordinari delle diverse parti d'Italia, dispose che la stessa S. Congregazione in plenaria adunanza sottoponesse a maturo esame il grave argomento, e

ai) Recole Vol. XVII, 340.

Illme Rme Domine.

Quamvis Norma Musices Sacrae peragendae iam tradita et Pontificia auctoritate ab hac Sacrorum Rit. Congregat. Italiae Episcopis die XXIV Sept. an. MDCCCLXXXIV exhibita, plerasque affatim opportunas praescriptiones, huiusmodi satis praecipuam ecclesiasticae Liturgiae partem spectantes, contineret ; attamen nec paucae, nec leves in plerisque Dioecesibus, quominus illae plene atque integre in effectum deducerentur, difficultates sese obiecerunt.

Quibus removendis obstaculis, utque in qualibet Ecclesia Musice sacra Domo Domini digna sit, Sanctissimus Pater, primis artis huius Magistris serio consultis, ac plurium Episcoporum e variis Italiae Dioecesibus opinione percognita, decrevit ut eadem Sacra Congregatio, plenis Comitiis, grave huiusmodi argumentum novo et accurato examini subiiceret; signifi-

indicasse quali delle prescritte regole dovessero meglio chiarirsi, quali modificarsi, e quali istruzioni aggiungersi per ottenere più facilmente il bramato intento.

Frutto di questa ben ponderata discussione è il nuovo Regolamento, che, dopo la formale approvazione di Sua Santità, s'invia qui accluso alla S. V. Illma e Rma.

Delle due parti, in che esso si divide, la prima contiene le norme generali da osservarsi nella composizione ed esecuzione della musica Ecclesiastica; l'altra le istruzioni per promuoverne lo studio, e insieme per impedire che si oltrepassino i limiti assegnati ai cultori di quest' arte e si menomi comechessia l'autorità della Chiesa in tutto ciò che concerne il culto divino.

Inoltre, essendosi in questi ultimi anni ravvivate le antiche discussioni sul canto fermo, non ostante i molteplici atti della Santa Sede che lo riguardano, la Santità Sua volle altresì che questo argomento fosse di nuovo trattato, e le insorte questioni esaminate e risolute dalla S. Congregazione. La quale, tenuto presente tuttociò che all'uopo erasi proposto, ha giudicato non doversi recedere dalle già emesse prescrizioni. Ciò rilevasi dal Decreto, che, sanzionato anch' esso dalla Suprema Autorità Pontificia, è parimenti unito alla presente Circolare.

caretque, quaenam ex praescriptis regulis magis declarari, quaenam reformari, quaenam denique alia documenta adiici deberent, quo facilius id, quod adeo expetimus, obtineatur.

Huius accuratae discussionis fructus leges sunt nuper editae, quas Romano Pontifice expresse approbante, Tibi, Mme Rme Domine, hic complicitas mittimus.

In duas universa tractatio partes dispescitur; quorum prior generaliores normas in compositione et exsecutione Musices ecclesiasticae observandas complectitur: altera vero institutiones quasdam ad eiusdem studium promovendum opportunas; atque impertiendum, quominus termini eximiae artis huiusce cultoribus praestituti transcendantur, atque Ecclesiae auctoritas, in iis quae ad Dei cultum spectant quidquam imminuatur.

Praeterea quum postremis hisce annis veteres super cantu Gregoriano quaestiones iterum excitae fuerint, tametsi pleraque hac super re a S. Sede idemtidem acta prodierint, Sanctissimus Pater omnino praecepit, ut huiusmodi argumentum denuo pertractandum susciperetur, atque exortae quaestiones a S. R. Congregatione serio perpenderentur ac discuterentur. Cui quidem prae oculis habenti ea omnia, quae in hunc scopum sibi proposita fuerant, visum est ab editis praescriptionibus haudquaquam esse recedendum.

Id quidem ex Decreto eruitur, quod et ipsum suprema Pontificia auctoritate confirmatum, his encyclicis Literis pariter includitur.

La S. Congregazione invita quindi la S. V. Illma, anche in nonae dei Santo Padre a procurare col suo ben noto zelo l'esatto adempimento di queste disposizioni, le quali mentre giovano ad allontanare ogni cagione di spiacevoli controversie, rendono più facile nelle diverse funzioni ecclesiastiche l'uso della musica corrispondente al sacro rito.

Sacra igitur Congregatio, verbis etiam SSmi Patris, te Mme ac Rme Domine, hortatur ut quo flagras zelo, apprime cuique noto, etiam atque etiam curare velis, ut hae praescriptiones istic atque integre in effectum deducantur; quae dum omnem satis tristium controversiarum causam removent, Musices, quatenus sacro ritui in quibuslibet ecclesiasticis functionibus respondet, rectum usum longe faciliorem reddunt.

Adempito così all'ufficio che gli incombeva, il sottoscritto gode di confermarsi con perfetta slima ed osservanza

Officio igitur, quo adstringebatur, perfunctus subscriptus, optima cum tui aestimatione, plenaque in te observantia, se tibi profiteri gestit

Di V. S. Illma e Rma.

Mme ac Rme Domine

Dalla Segreteria della S. Congregazione dei Riti il **21** Luglio **1894.**

Ex Scribarum Curia S. R. C. die XXI Iulii **1894.**

Affmo come Fratello

G. Card. ALOISI-MASELLA, ***Prefetto.***

Luigi Tripepi, ***Segretario.***

Addictissimum uti fratrem

C. Card. ALOISI-MASELLA, ***Praef.***

Aloisius Tripepi, ***Secret.***

DECRETUM quoad uniformitatem cantus choralis servandam.

Quod S. Augustinus ceterique Patres saepenumero docuerunt de cantus ecclesiastici decore et utilitate, *ut, per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat* (1); id Romanorum Pontificum auctoritas sibi integre eximieque perficiendum semper attribuit. — Quapropter in hoc Catholicae Liturgiae munus ita Gregorius cognomine Magnus curas ac studia contulit, ut vel ipsam appellationem ab eo sacri concentus sint mutuati. Alii vero, processu temporum, Pontifices, quum nescii non essent quantam huius rei partem sibi divini cultus vindicaret dignitas, immortalis decessoris sui vestigiis insistentes, Gregorianum cantum non modo ad receptam, eamdemque probatissimam, numeri formam revocandum, sed etiam ad aptiorem melioremque exemplaris rationem exigendum indesinenter curarunt. Praesertim, post Tridentinae Synodi vota et sanctiones, atque Missalis Romani diligentissime exarati emendationem, Pii V praecepto et auctoritate peractam, de promovendo liturgico cantu magis in dies assidua excelluit solertia Gregorii XIII, Pauli V ac ceterorum, qui, ad incolume Liturgiae decus tuendum, nihil potius et antiquius habuerunt, quam ut Rituum uniformitati, sacrorum etiam concentuum uniformitas ubique responderet. Qua in re illud Apostolicae Sedis sollicitudinem iuvit praecipue, quod ipsi curae fuerit Graduale, accurate recognitum et ad simpliciores modos reductum, Ioanni Petro Aloisio Praenestino elaborate praeclareque adornandum committere. Nam mandatum, ut erat dignum homine officii sui perstudiose, docte ille complevit: et celeberrimi magistri praestare valuit industria, ut iuxta prudentissima^ normas, servatisque genuinis characteribus, liturgici concentus reformatio iure conficeretur. Opus tanti momenti illustres Petri Aloisii Praenestini discipuli, insigne eius magisterium et documenta secuti, typis Mediceis Romae excudendum, Pontificum voluntate, susceperunt. — Incoepta tamen huiusmodi experimenta et conatus non nisi aetati huic demum nostrae absolvere est concessum. Quum enim sa. me. Pius IX liturgici cantus unitatem feliciter inducere

(1) Confess. 1. x. c. 33, n. 3.

quam maxime in votis haberet, a S. R. C. assignandam, eiusdemque ductu et auspiciis muniendam, peculiarem virorum Gregoriani cantus laude praestantium Commissionem in Urbe instituit; eiusque examini editionem subiecit, qua denuo in lucem evulgaretur Graduale Romanum, typis olim Mediceis impressum et Apostolicis Pauli V Litteris approbatum. Hanc dein editionem saluberrimo opere absolutam, parique studio et opportunis inductis emendationibus, ad normas a Commissione praescriptas, revisam, sibi valde probari haud semel ostendit, atque authenticam declarare non dubitavit suis Brevibus Litteris, die 30 Maii anno 1873 datis, quarum illa est sententia: *Hanc ipsam dicti Gradualis Romani editionem Reverendissimis locorum Ordinariis, iisque omnibus, quibus Musices sacrae cura est, magnopere commendamus; eo vel magis, quod sit Nobis maxime in votis, ut cum in ceteris, quae ad Sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una, cunctis in locis ac Dioecesibus, eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia.* — Antecessoris Sui approbationem decreto confirmare atque extendere e re esse duxit Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, Litteris enim Apostolicis, die 15 Novembris anno 1878, primae Antiphonarii partis, quae Horas diurnas complectitur, novam editionem, ab iisdem viris per S. R. C. deputatis, egregie sane, ut decebat musicos eruditos, atque intelligenter revisam, peculiari commendatione est prosequutus, his sapienter ad Episcopos omnesque Musicae Sacrae cultores verbis usus: *Itaque memoratam editionem a viris ecclesiastici cantus apprime peritis, ad id a SS. Rituum Congregatione deputatis, revisam probamus atque authenticam declaramus, Reverendissimis locorum Ordinariis ceterisque, quibus Musices Sacrae cura est, vehementer commendamus, id potissimum spectantes, ut sie cunctis in locis ac Dioecesibus, eum in ceteris, quae ad Sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia.*

Verum, quemadmodum post Pontificium Pii IX Breve de Graduali, ad ipsam editionis approbationem in dubium vocandam, controversiae pluries subortae et obstacula sunt permota, ob quae S. R. C, die 14 Aprilis anno 1877, sui muneris esse persensit editionem authenticam asserere, suoque suffragio penitus -confirmare; haud aliter, post Apostolicas etiam Leonis XIII Litteras, quin finem contentionibus facerent, sibi adhuc integrum

putaverunt nonnulli consilia et decreta negligere de instituto cantus ecclesiastici, constanti Romanae Liturgiae ratione et usu comprobati. Immo, choricis Ecclesiae libris in lucem prolatis, totaque hac re ad exitum egregie perducta, largiores evasere disputationes; et, in conventu cultorum liturgici cantus an. 1882 Aretii habito, validius excitatae censurae eos moerore affecerunt, qui, in ecclesiastici concentus uniformitate, Apostolicae Sedi unice obtemperandum iure meritoque existimant. Quum autem qui Aretium hanc ob causam contenderant, vota quaedam seu postulata de eadem re non tantum in populum prodiderint, verum etiam Sanctissimo Domino nostro Leoni XIII formulis concinnata exhibuerint, Pontifex idem, negotii gravitate permotus, ut sacrorum concentu um, potissimum verb Gregoriani cantus, unitati et dignitati consuleret, vota illa seu postulata in examen adducenda assignavit peculiari Coetui ab se.delecto quorumdam Patrum Cardinalium, Sacris tuendis Ritibus Praepositorum. Qui, omnibus mature perpensis, exquisitisque insignium quoque virorum sententiis, die 10 Aprilis anno 1883 sine ulla dubitatione decernendum censuerunt: *Vota seu postulata ab Aretino Conventu superiore anno emissa, ae Sedi Apostolicae ab eodem oblata pro liturgico cantu Gregoriano ad vetustam traditionem redigendo, aeeepta uti sonant recipi probarique non posse. Quamvis enim ecclesiastici cantus cultoribus integrum liberumque semper fuerit ae deinceps futurum sit, eruditionis gratia, disquirere quaenam vetus fuerit ipsius ecclesiastici cantus forma, variaeque eiusdem phases, quemadmodum de antiquis Ecclesiae ritibus ac reliquis Sacrae Liturgiae partibus eruditissimi viri eum plurima commendatione disputare et inquirere consueverunt ; nihilominus eam tantum uti authenticam Gregoriani cantus formam atque legitimam hodie habendam esse, quae, iuxta Tridentinas sanctionesa Paulo V, Pio IX sa. me. et Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII atque a Sacra Rituum Congregatione, iuxta Editionem nuper adornatam, rata habita est et confirmata, utpote quae unice eam cantus rationem contineat, qua Romana utitur Ecclesia. Quocirca de hac authenticitate et legitimitate, inter eos, qui Sedis Apostolicae auctoritati sincere obsequuntur, nec dubitandum neque amplius disquirendum esse.*

Attamen postremis hisce annis, diversas ob causas, pristinae difficultates iterum interponi, recentesque immo concertatione&

instaurari visae sunt, quae vel ipsam quum huius Editionis tum cantus in ea contenti genuinitatem aut infirmare aut penitus impetere aggrederentur. Neque etiam defuere qui ex desiderio, quo Pius IX et Leo XIII, Pontifices Maximi, ecclesiastici cantus uniformitatem summopere commendatam habuerunt, alios quoscumque cantus, in Ecclesiis peculiaribus iampridem adhibitos, omnino vetari inferrent. Ad haec dubia satius enucleanda, omnesque in posterum ambiguitates arcendas, Sanctitas Sua iudicium hac de re deferendum constituit Congregationi Ordinariae omnium Patrum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus Praepositorum, qui, in coetibus ad diem 7 et 12 Iunii nuper elapsi convocatis, resumptis omnibus ad rem pertinentibus aliisque mox exhibitis mature perpensis, unanimi responderunt sententia : *Servandas esse dispositiones sa. me. Pii IX in Brevi « Qui choricis » diei 30 Maii 1873; Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII in Brevi «Sacrorum Concentuum» diei 15 Novembris 1878 ; ac S. R. C. in Decreto diei 26 Aprilis 1883.* — Quod autem ad libertatem attinet, qua Ecclesiae peculiares cantum legitime invectum et adhuc adhibitum possint retinere, Sacra eadem Congregatio decretum illud iterandum atque inculcandum statuit, quo, in coetu die 10 Aprilis anno 1883 habito, plurimum hortabatur omnes locorum Ordinarios aliosque ecclesiastici cantus cultores, ut Editionem praefatam in Sacra Liturgia, ad cantus uniformitatem servandam, adoptare curarent, quamvis illam, iuxta prudentissimam Sedis Apostolicae agendi rationem, singulis Ecclesiis non imponeret.

Facta autem de his omnibus per infrascriptum S. R. C. Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavit, et publici iuris fieri mandavit die 7 Iulii an. 1894.

CAIETANUS CARD. ALOISI-MASELLA
S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI S. R. C. *Secretarius.*

RESOLUTIONES S. Rituum Congregationis circa usum linguae Slavicae.

Die 13 Februarii 1893.

Nonnulla dubia super usu linguae palaeoslavicae in sacra liturgia, Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione nuper exhibita sunt. Quum vero Sacra eadem Congregatio circa istud sane grave negocium iampridem suum studium impenderit, ut quaedam normae Rmis locorum Ordinariis hac in re traderentur, tandem in Ordinario Coetu die 13 Februari 1892. coadunato, post maturum examen attentisque praescriptionibus S. Sedis ac potissimum Apostolica Constitutione *Ëœ pastorali munere* Summi Pontificis Benedicti XIV, diei 26 Augusti 1754, insequentes resolutiones elicere censuit, nimirum :

I. In Functionibus liturgicis lingua slavica, ubi legitime in usu est, debet esse antiqua slavica, non moderna sive vulgaris.

II. Non licet Missam legere vel cantare utendo partim lin^gua latina, partim slavica ; sed permitti potest, ubi lingua slavica invaluit, ut cantatis latino sermone Epistola et Evangelio, utrumque canatur etiam lingua palaeoslavica.

III. Sacerdotes, qui ius habent Missas celebrandi et horas persolvendi lingua slavica, debent non solum uti lingua slavica liturgica, sed etiam si addicti sunt Ecclesiae, ubi lingua latina adhibetur, Missam solemnem latine celebrare et horas latino sermone cantare. Idem dicatur de Sacerdotibus, qui latine Missam celebrantes, et horas persolventes, ministrant Ecclesiae ubi slavica lingua legitime introducta est.

Sancti Iacobi de Chile.

RESCRIPTUM quoad benedictionem dandam facturo sacram concionem.

Die 13 Iulii 1894.

Rmus Dnus Marianus Casanova Archiepiscopus Sancti Iacobi de Chile a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit, nimirum:

Sub die 1 Iulii 1874 Sacra Rituum Congregatio declaravit servari posse consuetudinem in Archidioecesi Sancti Iacobi de Chile vigentem, ut a celebrante presbytero saeculari vel regulari, benedictionem petat ille qui concionem facturus est inter

Missarum solemnia. Praesente autem Episcopo in presbyterio cum rochetto et mozzetta, utri competit benedictio, presbytero celebranti an Episcopo ?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito dubio rescribendum censuit: *Negative ad primam partem ; Affirmative ad secundam.* Atque ita rescripsit et servari mandavit die 13 Iulii 1894.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPBPI *Secretarius.*

PARISIEN. Decretum beatificationis et canonizationis servae Dei Ludovicae de Mari I lac viduae Le Gras confundatricis societatis puellarum a charitate.

Scripta, quae praefatae Servae Dei attribuuntur, quaeque ex perquisitionibus rite peractis Sacrae Rituum Congregationi exhibita fuerunt, ut super iis revisio et examen ad tramitem decretorum institueretur, in sequenti elencho describuntur, videlicet : *(sequitur elenchus).*

Proposito autem a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto et Causae Ponente in Ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis Dubio super revisione peracta horum Scriptorum, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, omnibus mature perpensis, et audito R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : *Nihil obstare quominus ad ulteriora procedi possit, resérvala tamen facultate Promotori Fidei opponendi si et quatenus de iure.* Die 10 Iulii 1894.

Factas postmodum de his SanctissimoDomino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum subscriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 23 iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

RHOTOMAGEN. Decretum canonizationis Beati ioannis Baptistae de La Salle fundatoris Congregationis fratrum scholarum christianarum.

Quum Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. iam per Decretum diei 27 Augusti 1893 benigne induxisset, ut in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis absque interventu et voto Consultorum agi posset de validitate processuum Apostolica Auctoritate constructorum super assertis miraculis a Deo per intercessionem praedicti Beati Ioannis Baptistae de la Salle patratis; ideo ad instantiam Fr. Robustiani Procuratoris Generalis Congregationis Fratrum Scholarum Christianarum atque huiusce causae Postulatoris, Emus et Rmus Dnus Lucidus Maria Parocchi Causae ipsius Ponens in speciali Ordinario eiusdem Sacrae Congregationis Coetu iuxta peculiares Sanctitatis Suae dispositiones die 20 Novembris 1878 editas constituto, subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens Dubium proposuit, nimirum : *An constet de validitate Processuum Apostolica Auctoritate constructorum in Dioecesibus Ruthenemi, Apamiensi et Marianopolitana super Miraculis, quae supervenisse dicuntur post indultam eidem Beato venerationem ; Testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata, in casu et ad effectum de quo agitur ?* Sacra porro eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, post auditum voce et scripto R. P. D. Augustinum Caprara, S. Fidei Promotorem, rescribere rata est: *Affirmative seu Constare et ad mentem.* Die 10 Aprilis 1894.

Quibus ab eodem S. Fidei Promotore Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habuit et confirmavit die 16 Iulii eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. B. C. Secretarius.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM quo indultum conceditur peragendae Confessionis ad lucrandam Indulgentiam de Portiuncula nuncupatam die 30 Iulii.

Die 14 Iulii 1894.

Beatissime Pater

Fr. Raphael ab Aureliaco Proc. Gen. Ord. Min. S. Franc el Delegatus Generalis, ad pedes S. T. humiliter provolutus, sequentia exponit: pro lucrandis Indulgentiis de Portiuncula nuncupatis in multis totius Orbis locis ob ingentem populi concursum, simulque ob inopiam Confessariorum contingit, ut die 2 Augusti et in pervigilio huius diei omnibus qui ad Sacramentalem confessionem peragendam accedunt satisfieri nequeat. Quamobrem humilis Orator S. T. enixe rogat, quatenus ad maiorem Fidelium, nec non animarum, quae in Purgatorio detinentur, consolationem benigne concedere dignetur Indultum generale vi cuius confessio sacramentalis peracta septem infra dies ante praedictam diem 2 Augusti sufficiat ad fruendum In dulgentiis, de Portiuncula nuncupatis.

Et Deus.

SS. D. N. Leo Pp. XIII in Aud. habita die 14 Iulii 1894 ab infrascripto Secretario S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, audita relatione expositorum attentisque Decretis ab hac eadem S. C. pluries editis, quibus indultum est, ut tum confessio dumtaxat, tum Confessio et Communio peragi queat in pervigilio festivitatis, cui adnexa est Indulgentia, vel die qui immediate praecedit sequentem pro quo concessa fuerit Indulgentia, qualibet ex causa, benigne tantum indulsit ut Confessio sacramentalis peracta etiam die 30 Iulii, nimirum die immediate praecedenti pervigilium diei quo a primis Vesperis datur perfrui Indulgentia de Portiuncula, suffragari valeat in posterum ad memoratam Indulgentiam acquirendam pro universis Christifidelibus, servata tamen in adimplendis aliis piis operibus regula generali circa modum et tempus in concessione praedictae Indulgentiae praescriptum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 14 Iulii 1894.

IGNATIUS CARD. PERSICO *Praefectus.*

L. ✠ S.

✠ ALEXANDER ARCHIEP. NIGOP. *Secretarius.*

EX SEGRETARIA BREVIUM

LITTERAE in forma Brevis, quibus in Borussia instituitur dies pro precibus solemnibus agendis.

Die 9 Decembris 1892.

Qua ex singulari Divinae Providentiae consilio totius catholici gregis cura urgemur Nos admonet ut sedulo attentoque studio praestemus, quae in exploratam Christifidelium utilitatem cedant. Iam vero Praedecessores Nostri Romani Pontifices, etsi nihil iis unquam antiquius visum sit, quam ut christianus populus veneretur Sabbata Domini, tamen cum gravis momenti rationes id suaserint, in praescribendis festis diebus eorumque celebratione, non spirituali tantum emolumento gentium consulere, verum etiam temporalibus earum necessitatibus opportune ac salubriter, pro temporum ac locorum circumstantiis, obvenire non renuerunt. Hac mente Leo PP. XII fel. rec. Praedecessor Noster Apostolicis litteris, eadem hac forma, ad Praedecessorem tuum Ferdinandum Augustum Archiepiscopum Coloniensem die 11 mensis decembris anno 1828 datis, ipsi aliisque regni quoad tum patebat Borussici Sacrorum Antistitibus, nempe Trevirensi, Monasteriensi et Paderbornensi et Posnaniensi, Culmensi, Wratislaviensi necnon Varmiensi mandavit, ut in sua quisque dioecesi eumdem festorum ordinem, auctoritate Apostolica, ediceret, qui in provinciis regni Borussici orientalibus ex Apostolicis Clementis PP. XIV et Pii PP. VI Nostrorum Praedecessorum litteris tum vigebat. Porro cum per similes litteras ad Antonium Episcopum Paphensem Vicarium Apostolicum et Decanum Wratislaviensem die XIX mensis aprilis anno 1788 datas Pius PP. VI rec. mem. Praedecessor Noster Borussici Regis optatis annuens statuendum curaverit, ut pro dioecesanis Borussico Regi eidem subiectis designaretur quotannis dies pro solemnibus Deo supplicationibus peragendis ad uberes ex agris fructus obtinendos, hicque dies, scilicet feria quarta tertiae hebdomadae post Pascha, ex tunc sicuti festivus habitus fuerit, hinc factum est ut tam praedictus Praedecessor tuus Archipraesul Coloniensis, quam alii supradictarum dioecesium Antistites, in disponendis festis pro iisdem Borussici Regni dioecesibus, inter alia idipsum Pii PP. VI decretum pro lege habuerint, et festo-

rum ordini, quem, Friderico Gulielmo III Rege Borussico auspice, earumdem dioecesium praesules anno 1829 promulgarunt, feriam quartam tertiae post Pascha hebdomadae tanquam festum diem pro solemnibus Deo supplicationibus ad uberes ex agris proventus obtinendos inseruerint Huic autem feriae quartae deinceps solemniter celebrandae in singulis dioecesibus eisdem festum aliquod addixere, nempe: L Pro Archidioecesi Coloniensi, Patrocinium S. Iosephi; II. Pro dioecesi Trevirensi, festum Tunicae et Lanceae Domini Nostri Iesu Christi; III. Pro dioecesi Monasteriensi, festum S. Ludgeri; IV. Pro dioecesi Paderbornensi, festum S. Liborii; V. Pro Archidioecesi Gnesnensi et Posnaniensi, festum S- Adalberti; VI. Pro dioecesi Culmensi, festum item S. Adalberti; VII. Pro dioecesi Wratislaviensi, Patrocinium S. Iosephi; VIII. Pro dioecesi denique Varmiensi, festum S. Adalberti. Verum cum in praesentia Serenissimus Imperator ac Rex Gulielmus II admodum cupiat ut dictus poenitentiae precumque dies « Buss-und Bettag » vulgo appellatus, qui in variis Regni partibus variis diebus hucusque celebrabatur, uno eodemque pro toto Regno die in posterum celebretur, nempe feria quarta hebdomadae anni ecclesiastici penultimae, neque graves officiant rationes, quin optatis huiusmodi obsecundemus, et in dioecesibus supradictis e feria quarta tertiae post Pascha hebdomadae, idem festum ad uberes ex agris obtinendos fructus vel potius in gratiarum actionem pro fructibus iamiam perceptis, interposita Nostra auctoritate in quartam hebdomadae anni ecclesiastici penultimae feriam transferamus, imo peropportuna Nobis eadem immutatio visa sit, hinc quae infra scripta sunt decernenda in posterum existimavimus. Nimirum votis Serenissimi Imperatoris ac Regis Gulielmi II, qui in catholicos suae ditioni obnoxios et propensam gerit voluntatem et eorum utilitati sapienti consilio prospicit, quantum in Domino possumus, annuentes Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, ac de certa scientia et matura deliberatione Nostris, omnibus rei momentis attento ac sollicito studio perpensis cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus supremae Inquisitioni praepositis, feriam quartam hebdomadae tertiae post Pascha, hucusque in archidioecesi tua Coloniensi et in aliis supramemoratis dioecesibus Treviren., Monasterien., Paderbornen., Gnesnen, et Posnanien., Culmen., "Wratislavien. ac Varmien. festive in foro celebratam, negotiis saecularibus per-

agendis reddimus, ac festa pro singulis iis dioecesibus huc usque in eamdem diem translata, ut suis quaeque locis restituantur, edicimus. Praeterea, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium item vi, feriam quartam penultimae anni ecclesiastici hebdomadae in diem festum pro supradictis dioecesibus evehimus, adiecta Christifidelibus tum sacro adstandi, tum a servilibus operibus abstinendi obligatione. Tandem praecipimus ut hac feria quarta penultimae anni ecclesiastici hebdomadae solemnes eaedem preces instituantur, quae huc usque quarta feria hebdomadae post Pascha tertiae fieri solebant, necnon ut pro singulis praefatis dioecesibus festum Praesentationis Beatae Mariae Virginis Immaculatae e loco suo, nempe a vigesima prima novembris mensis die in ipsam feriam quartam penultimae anni ecclesiastici hebdomadae deinceps similiter Apostolica Nostra auctoritate transferatur. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Tuae autem, Venerabilis Frater, curae committimus, ut aliis praedictis sacrorum Antistitibus ceterisque, ad quos pertinet, hanc Nostram voluntatem signifiées, Tibique et gregi Tibi concredito Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 9 decembris 1892, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI.

Veneràbili Fratri Philippo Archiepiscopo Coloniensi.

EX AEDIBUS VICARIATUS

Responsa quoad erectionem associationum a s. Familia (1).

Reverendissime Domine,

Eminentissimus Cardinalis Parocchi, Archiconfraternitatis S. Familiae Praeses, per me infrascriptum propositis dubiis respondet:

(1) Recole Vol. XXV, pag. 8 seqq. et 567.

I. An requiratur in singulis paroeciis erectio canonica ab Episcopo ad instar Confraternitatum proprie dictarum?

Resp.: *Negative; fit per diploma quod Emus Praeses mittet.*

II. An requiratur declaratio authentica, per diploma in scriptis vel alio modo, ab Episcopo vel Moderatore de erectione consociationis in singulis paroeciis ?

Resp.: *Negative; sed moderator servet quae in Regulis habentur* (III, *b).*

III. An pro lucrandis Indulgentiis requiratur ut a singulis parochiis obtineatur pagina aggregationis a Cardinali Praeside subscripta, uti innuere videntur Regulae (II, *a)* ad modum aggregationis Confraternitatum proprie dictarum ?

Resp.: *Affirmative et ad mentem.* Mens vero est, *ut Episcopus uno accepto ab Emo Praeside diplomate, reliqua ipse curabit imprimi ad normam illius, et singulis familiis consociatis tradet.*

IV. An Festum S. Familiae, associationis primarium, die Dominica infra octavam Epiphaniae, etiam in iis dioecesibus recoli debeat, in quibus ea die fit in choro solemnitas Epiphaniae ?

Resp.: *Affirmative; sed Episcopus aliam festivitatem seligere potest pro sua prudentia.*

Romae, ex Aedibus Vicariatus, die 7 aprilis 1892.

RAPHAEL CHIMENTI, *Pro-Secret. Conf. S. Fam.*

Rmo Dño Karst, Vic. gen. Dioec. Meten.

Dub. I. An sufficiat ut Parochus solum nomen patris vel capitis familiae in tabulas Consociationis Sacrae Familiae referat, vel singula familiae membra inscribere debeat?

Resp.: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Dub. II. An parochus pro inscriptione familiarum alterum sacerdotem delegare possit?

Resp. : *Nil vetat quominus parochus in familiarum inscriptione sacerdotem adhibeat adiutorem.*

Dub. III. An sufficiat ut familiae in sociorum numerum adscisci cupientes hoc suum desiderium per litteras vel interpositas personas parocho intiment, vel omnino requiratur ut caput familiae vel eiusdem membrum quoddam coram parocho eum in finem personaliter compareat?

Resp.: *Omnino decet ut caput familiae* se *personaliter sistat apud parochum.*

Alia dubia et resolutiones.

Eminentissimus Cardinalis Parocchi, Piae Associationis a S. Familia Praeses, per me infrascriptum, responso dimittit alia nonnulla dubia eidem proposita.

Ad Dubium III. praecedenti pagina relatum, videlicet: « An pro lucrandis indulgentiis requiratur, ut a singulis Parochis obtineatur pagina aggregationis a Cardinali Praeside subscripta, uti innuere videntur Regulae (II, *a)* ad modum aggregationis Confraternitatum proprie dictarum?» Responsum est « *affirmative et ad mentem.* Mens vero est, *ut Episcopus, uno accepto ab Emo Praeside diplomate, reliqua ipse curabit imprimi ad normam illius, et singulis familiis consociatis tradet ».*

Nunc autem quaeritur:

Utrum haec responsio sit *imperativa vel directiva* tantum ?

Resp. *Directiva tantum et ad mentem.* Mens vero est, quod *nullo modo indigeant Episcopi nec parochi talibus diplomatibus (quae frequentiora fuerunt requisita), quum in Brevi neminem fugit res apprime definiantur. Unde responsio mere directiva fuit ad unitatem scilicet, a Summo Pontifice commendatam magis magisque servandam.*

II. Ad 2um Dubium in eadem praecedenti pagina relatum «An sufficiat ut parochus solum nomen patris vel capitis familiae in tabulas Consociationis S. Familiae referat, vel singula familiae membra inscribere debeat? » Responsum *est: Negative ad primam partem affirmative ad secundam.*

Nunc quaeritur : Quid sit intelligendum per *singula familiae membra ?*

Resp. *Intelligi debet pro totali numero membrorum, non autem pro singulis eorumdem nominibus.*

III. Utrum, negligente vel invito patrefamilias, possit mater

vel aliqua ex praecipuis familiae personis, v. gr. avus, familiam adscribere Piae Associationi?

Resp. *Affirmative.*

IV. Utrum possint *filii familias, servi, milites,* sese adscribere Piae Associationi seorsim a propria familia?

Resp. *Negative et ad mentem.* Mens vero est *ut singuli eum suis simul adscribantur; quibus negligentibus vel reeusantibus, poterunt seorsim sese adscribere.*

V. Utrum aliquis possit *valide* sese adscribere in aliena paroecia?

Resp. *Negative. Nec proinde potest parochus valide alienos adscribere, et qui taliter fuerunt adscripti, debent denuo in propria paroecia adscribi.*

VI. An saltem possit parochus adscribere suos propinquos usque ad quartum consanguinitatis gradum, qui alibi domicilium habent?

Resp. *Negative.*

VII. Possetne saltem Director Dioecesanus independenter a parochis indiscriminatim Dioecesanos adscribere?

Resp. *Negative, quia ex Brevi Apostolico adscriptio solis parochis committitur.*

VIII. Sufflcime quasi domicilium pro valida adscriptione?

Resp. *Affirmative.*

IX. An parochi vel Directores Dioecesani in Rituali Romano possint apponere formulas et orationes assignatas pro consecratione et renovatione consecrationis?

Resp. *Negative, usquedum S. Rituum Congregatio ipsa per se provideat.*

X. Utrum in tabulis (imagines) vel statuis S. Familiam repraesentantibus possint exhiberi ante pectus Corda D. Infantis, B. M. V. et S. Iosephi?

Resp. *Non expedire quoad corda D. Infantis et B. Matris ; Quoad S. Iosephum, non licere.*

Romae, ex Aedibus Vicariatus, die 12 Decembris 1893,

RAPHAEL CHIMENTI, *Pro-Secret. Conf. S. Familiae.*

APPENDIX L

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 4 Iulii 1776. Vic. Ap. Tunk. Orient. De altaribus tempore persecutionis.

Utrum liceat altaria et mensas tempore persecutionis ab ecclesiis auferre.

R. Affirmative, dummodo non adsit scandalum et contemptus religionis.

S. C. SS. Rituum. 22 Martii 1882. — De octava diei dedicationis ecclesiarum.

Quoniam in Dioecesi (Vallispratensi) dies Dedicationis seu potius Benedictionis ecclesiarum variarum memoria excidit, quaeritur an octavam Sancti aut Sanctae, in cuius honorem benedictae fuerant, cum ***Credo*** liceat celebrare; et cum iuxta easdem ecclesias non resideant rectores, sed solummodo semel in mense eas visitent, ob angustiam loci, num in talibus circumstantiis a celebratione Dedicationis seu Benedictionis fideles vicini excusentur.

R. Detur Decretum in una Oppiden. diei 19 Augusti 1634, exclusa tamen Die Octava Sanctorum Titularium Ecclesiae.

« ***Oppiden.*** Dubiis per Episcopum Oppidensem transmissis, et ad » relationem Emi da Torres S. C. respondit: Ad 1. Consecrationem » probari concludenter ex signis deductis, et signa probari per testes » deponentes de visu. Ad 2. ***An per celebrationem Missae in ecclesia » polluta, dicatur reconciliata,*** S. G. respondit: Negative, et ideo » debere reconciliari iuxta formam praescriptam in Pontificali. Ad dubium : ***An ecclesia reconciliata ab Episcopo non habente iurisdictionem in loco dicatur bene reconciliata vel non,*** respondit : Affirmative. » Quo vero ad diem consecrationis, cum ignoretur dies certus ipsius » consecrationis, S. G. censuit Episcopum, constituere debere ex nunc » certum diem qui deserviat quotannis pro Consecratione ecclesiae. »

Litt. encycl. S. C. S. Officii 16 Septembr. 1864 (ad Episcopos Angliae). De iis qui nomen dederunt societati ad procurandam christianitatis unitatem institutae.

Apostolicae Sedi nuntiatum est, catholicos nonnullos et ecclesiasticos quoque viros societati ***ad procurandam,*** ut aiunt, ***christianitatis unitatem*** Londini anno 1857 erectae nomen dedisse, et iam plures evulgatos esse ephemeridum articulos, qui catholicorum huic societati prudentium nomine inscribuntur, vel ab ecclesiasticis viris eandem societatem commendantibus exarati perhibentur. Et sane quaenam sit huius societatis indoles vel quo ea spectet, nedum ex articulis ephemeridis cui titulus ***The union review,*** sed ex ipso folio quo socii invitantur et adscribuntur facile intelligitur. A protestantibus quippe efformata et directa, eo excitata est spiritu, quem expresse profitetur, tres videlicet christianas communiones romano-catholicam, graeco-schismaticam et anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen iure catholicum nomen sibi vindicare. Aditus igitur in illam patet omnibus ubique locorum degentibus tum catholicis, tum graeco-schismaticis, tum anglicanis, ea tamen lege ut nemini liceat de variis doctrinae capitibus in quibus dissentiunt quaestionem movere, et singulis fas sit propriae religiosae confessionis placita tranquillo animo sectari. Sociis vero omnibus preces ipsa recitandas, et sacerdotibus sacrificia celebranda indicit iuxta suam intentionem ; ut nempe tres memoratae christianae communiones, utpote quae, prout supponitur, Ecclesiam catholicam omnes simul iam constituunt, ad unum corpus efformandum tandem aliquando coeant.

Suprema S. O. Congregatio, ad cuius examen hoc negotium de more delatum est, re mature perpensa, necessarium iudicavit sedulam ponendam esse operam, ut edoceantur fideles ne haereticorum ductu hanc cum iisdem haereticis et schismaticis societatem ineant. Non dubitant profecto Emi Patres Cardinales praepositi Sacrae Inquisitioni, quin istius regionis Episcopi pro ea, qua eminent charitate et doctrina, omnem iam adhibeant diligentiam ad vitia demonstranda, quibus ista societas scatet, et ad propulsanda quae secum affert pericula: nihilominus muneri suo deesse viderentur, si pastoralem eorumdem Episcoporum zelum in re adeo gravi vehementius non inflammarent: eo enim periculosior est haec novitas, quo ad speciem pia, et de christianae societatis unitate admodum sollicita videtur.

Fundamentum cui ipsa innititur huiusmodi est, quod divinam Ecclesiae constitutionem susque deque vertit. Tota enim in eo est ut supponat veram Iesu Christi Ecclesiam constare partim ex Romana Ec-

desia per universum orbem diffusa ei propagata, partim vero ex schismate photiano, et ex anglicana haeresi, quibus aeque ac Ecclesiae romanae unus sit Dominus, una fides et unum baptisma. Ad removendas vero dissensiones, quibus hae tres christianae communiones cum gravi scandalo, et cum veritatis et caritatis dispendio divexantur, preces et sacrificia indicit, ut a Deo gratia unitatis impetrelur. Nihil certe viro catholico potius esse debet, quam ut inter christianos schismata et dissensiones a radice evellantur, et christiani omnes sint ***solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*** (Ephes. 4). Quapropter Ecclesia catholica preces Deo O. M. fundit, et Christifideles ad orandum excitat, ut ad veram iidem convertantur, et in gratiam cum Sancta Romana Ecclesia, extra quam non est salus, eiuratis erroribus restituantur quicumque omnes ab eadem Ecclesia recesserunt: immo ut omnes ad agnitionem veritatis, Deo bene iuvante, perveniant. At quod Christifideles et ecclesiastici viri, haereticorum ductu, et quod peius est, iuxta intentionem haeresi quam maxime pollutam et infectam, pro christiana unitate orent, tolerari nullo modo potest. Vera Iesu Christi Ecclesia quadruplici nota, quam in symbolo credendam **asserimus,** auctoritate divina constituitur et dignoscitur: et quaelibet ex hisce notis ita cum aliis cohaeret, ut ab iis nequeat seiungi; hinc fit, ut quae vere est et dicitur catholica, unitatis simul, sanctitatis et apostolicae successionis praerogativa debeat effulgere. Ecclesia igitur catholica una est unitate conspicua perfectaque orbis terrae et omnium gentium, ea profecto unitate, cuius principium radix et origo indefectibilis est beati Petri Apostolorum Principis, eiusque in Cathedra Romana Successorum suprema auctoritas et potior principales. Nec alia est Ecclesia catholica nisi quae super unum Petrum aedificata in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit: quod beatus Cyprianus in ep. 45 sincere professus est, dum Cornelium Papam in hunc modum alloquebatur: ***ut Te collegae nostri et communionem tuam, idest catholicae Ecclesiae unitatem pariter et caritatem probarenl firmiter ac tenerent.*** Et id ipsum quoque Hormisdas Pontifex ab Episcopis acacianum schisma eiurantibus assertum voluit in formula totius christianae antiquitatis suffragio comprobata, ubi ***sequestrati a communione Ecclesiae catholicae*** ii dicuntur, qui sunt non consentientes ***in omnibus Sedi Apostolicae.*** Et tantum abest quin communiones a Romana Sede separatae iure suo catholicae nominari et haberi possint, ut potius ex hac ipsa separatione et discordia dignoscatur quaenam societates et quinam christiani nec veram fidem teneant nec veram Christi doctrinam; quemadmodum iam inde a secundo Ecclesiae saeculo luculentissime demon-

strabat S. Irenaeus lib. 3. contra haeres, c. 3. Caveant igitur summo studio Christifideles ne hisce societatibus coniungantur, quibus salva fidei integritate nequeant: et audiant Sanctum Augustinum docentem, nec veritatem nec pietatem esse posse ubi christiana unitas et Sancti Spiritus charitas deest.

Praeterea inde quoque a Londinensi Societate fideles abhorrere summopere debent, quod conspirantes in eam et ***indifferentismo*** favent et scandalum ingerunt. Societas illa, vel saltem eiusdem conditores et rectores profitentur photianismum et anglicanismum duas esse eiusdem verae christianae religionis formas, in quibus aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum sit : et dissensionibus utique christianas huiusmodi communiones invicem urgeri, sed citra fidei violationem, propterea quia una eademque manet earumdem fides. Haec tamen est summa pestilentissimae indifferentiae in negotio religionis, quae hac potissimum aetate in maximam serpit animarum perniciem. Quare non •est cur demonstretur catholicos huic societati adhaerentes spiritualis ruinae catholicis iuxta atque acatholicis occasionem praebere, praesertim quum ex vana expectatione ut tres memoratae communiones integrae et in sua quaeque persuasione persistentes simul in unum coeant, societas illa, acatholicorum conversiones ad fidem aversetur, et per ephemerides a se evulgatas impedire conetur.

Maxima igitur sollicitudine curandum est, ne catholici vel specie pietatis, vel mala sententia decepti, societati, de qua hic habitus est sermo, aliisque similibus adscribantur vel quoquomodo faveant, et ne fallaci novae christianae unitatis desiderio abrepti ab ea desciscant unitate perfecta, quae mirabili munere gratiae Dei in Petrisoli ditate consistit.

S. C. S. Officii il Iunii 1866 — Archiepisc. Leopolien. De puellis schismaticis educandis cum catholicis.

Domus Religiosarum SS. Cordis D. N. I. C. fundata est Leopoli anno 1844, et a quatuordecim annis puellae schismaticae ex Moldavia una cum catholicis in eadem non solum in scientiis profanis sed etiam in religione catholica educantur, cum parentes earum schismatici id diserte petierint et petant. Proportio inter numerum puellarum catholicarum et schismaticarum non semper fuit eadem: nunc vero a quinque iam annis schismaticae tertiam circiter partem omnium illius domus •alumnarum efficiunt. Praeter institutionem catholicam, oommunem quoque habent praefatae puellae schismaticae cum catholicis lectionem piam et communia exercitia spiritualia; atque simul cum illis sacrificio Missae

quotidie intersunt; communiter quoque omnes orabant, sed ego praedisposui, ut separatim catholicae puellae orent lingua polonica, schismaticae vero gallica. Iuxta petitionem parentum schismaticorum aliae puellae, sub inspectione personae fide dignae, semel vel bis in anno ad ecclesiam schismaticam ducuntur, ut Sacramenta secundum suam confessionem percipiant, aliae vero ab iisdem percipiendis abstinent. Haec praxis in instituto Sororum SS. Cordis non fuit quidem ab Ordinariis loci approbata, quia Religiosae nunquam Ordinariatui officiosam de ea extabuerunt relationem; sed tamen privatim ad Ordinariorum loci notitiam pervenit, qui eam tolerarunt ***etc.***

R. Tolerari posse ut puellae schismaticae in collegium admittantur quod Leopoli Sorores a SSmo Corde D. N. I. C. nuncupatae dirigunt, dummodo bonam praeseferant indolem, iuxta exposita instituantur, nec tamen obligentur ad assistendum Missae Sacrificio aliisque functionibus ecclesiasticis, verum id earum arbitrio relinquatur, vetito quidem ne unquam disputationes cum puellis catholicis habeant de rebus ad religionem spectantibus; ne templum adeant schismaticum a ministris schismaticis sacramenta recepturae: quod si in aliquo casu id impediri nullo modo possit, Sorores passive se habeant; et pariter vetito, ne puellae ab amicis et coniunctis, exceptis parentibus et tutoribus, absque licentia Ordinarii visitentur; de quibus omnibus clare et explicite instructi fiant et in iis consentiant parentes vel tutores earumdem puellarum antequam ipsae ad Collegium admittantur. Idque scribatur R. P. D. Archiepiscopo Leopoliensi Latinorum cum advertentia ut curet omnium horum executionem, et bonum spirituale puellarum quoad fieri poterit etiam post egressum e Collegio; ***et instruantur Sorores quod si aliqua ad fidem catholicam converti petat, res ad ipsum Archiepiscopum erit deferenda^ qui iuxta casus adiuncta prudenter providebit,*** et sedulo caveat, ne ex admissione schismaticarum ullum ne minimum quidem perversionis vel indifferentismi periculum puellis catholicis subsit.

Litt. Emi. Secr. S. C. S. Officii, 8 Nov. 1865 (ad quosdam puseistas angiicos).

Quod vos litteris datis, ***corde sincero et voce non ficta*** hoc tantum optare profiteamini, ut secundum Domini Iesu Christi verba unum ovile fiat, et unus pastor, id spem affert huic S. Congregationi iucundissimum^ vos tandem divina eiusdem Iesu Christi gratia ad veram unitatem esse perventuros. Cavendum tamen vobis est, ne ipsam quaerentes deflectatis a via. Id porro Sacra Congregatio vobis contigisse vehementer dolet existimantibus, ad veram Iesu Christi Ecclesiam pertinere, tamquam

partes, christianos illos coetus, qui ***sacerdotii et catholici nominis hereditatem*** habere se iactant, licet sint ab Apostolica Petri Sede divisi ac separati. Qua opinione nihil est, quod magis a genuina catholicae Ecclesiae notione abhorreat. Catholica enim Ecclesia, ut in meis ad Episcopos Angliae litteris monetur, ea est quae super unum Petrum aedificata in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei caritatis assurgit (1). Equidem hanc fidei et caritatis seu communionis unitatem ex irreformabili Christi institutione , non modo praecipuam esse ac fundamentalem verae Ecclesiae proprietatem, sed certissimam quoque semperque visibilem notam, qua ipsa Ecclesia ab omnibus sectis tuto ac facile distinguatur, evidentissime vobis, si rem sedulo inspicere pacatoque animo considerare volueritis demonstrabunt tum Sacrarum Scripturarum diserta testimonia insignesque metaphorae, parabolae et imagines, quibus delineatur ac veluti repraesentatur Ecclesia, tum praeclarissima sanctorum Patrum antiquissimarumque synodorum documenta, tum constans agendi ratio, quam Ecclesia a suis usque primordiis sequi consuevit adversus cuiusque generis haereticos et schismaticus, tametsi ex iis complures sacerdotii et catholici nominis hereditatem sibi arrogarent. Quemadmodum igitur Ecclesia Christi propter summam, quam per omnes gentes et in omne tempus diffusam firmissime retinet, fidei -communionisque unitatem catholica est et dicitur, ita propter unitatem eamdem sancta et apostolica praedicatur; et quemadmodum absque tali unitate desineret et iure et facto esse catholica, ita sanctitatis etiam et apostolicae successionis insignibus continuo privaretur.

At Christi Ecclesia suam unitatem nunquam amisit, nunquam ne brevissimo quidem temporis intervallo amittel; quippe quae perenniter, iuxta divina oracula, duratura sit. Quomodo vero Ecclesia perenniter duratura credatur, si in essentialem eius statum aetas aetati succedens non secus atque fit in mundanarum rerum mulabilitate, novam induceret speciem et formam, et ipsa adeo Ecclesia ab illa fidei et communionis unitate desciscere aliquando posset, qua et a Iesu Christo fundata •est, et ab Apostolis deinde propagata ? Ideo enim, ait s. Ambrosius, regnum Ecclesiae manebit in aeternum, quia individua fides, corpus est unum **(2).** Quod si Ecclesia Christi indefectibilis prorsus est, sponte sequitur, eam infallibilem quoque dici et credi debere in evangelica doctrina tradenda; quam infallibilitatis praerogativam Christum Dominum Ecclesiae suae, cuius ipse est caput, sponsus et lapis angularis, mirabili munere contulisse , inconcussum est catholicae fidei dogma.

(1) S. Ambros. de offic, ministr. lib. III, c. 3, num. 19.
<2) In Luc. lib. VII, n. 91.

Et profecto quis sanus sibi persuadeat, errorem subesse posse publico* ac solemni Ecclesiae magisterio, quod Christus eo consilio instituit, ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris (1) \ quod sui praesentia nunquam deserendum, atque a Spiritu Sancto de omni veritate edocendum pollicitus est; a quo voluit universas gentes ad obedientiam fidei vocari, et rerum credendarum agendarumque doctrinam ita accipere, ut qui Apostolis legitimisque eorum successoribus praedicantibus non credidisset, condemnaretur; cui munus auctoritatemque attribuit sanorum verborum formae praescribendae, in qua omnes docibiles Dei convenirent? Hinc Paulus Ecclesiam appellat columnam et firmamentum veritatis (2). Sed quo pacto Ecclesia esset firmamentum veritatis, nisi tuto ab ea veritas peteretur? Sanctissimi quoque Patres una voce loquuntur ac praedicant, in unitate Ecclesiae unitatem fidei ac doctrinae Christi sic defixam esse ut una disiungi ab alia non valeat; quo spectat aurea illa s. Cypriani sententia, Ecclesiam esse unitatis ac veritatis domicilium (3). Neque catholica Ecclesia dubitavit unquam de hac praerogativa sibi promissa et per iugem Christi praesentiam Sanctique Spiritus afflatum communicata, quoties subortas fidei controversias dirimere, sacrarum Scripturarum sensum interpretari, erroresque commisso revelationis deposito adversos profligare aggressa est; suas- enim dogmaticas definitiones edidit semper ac proposuit tamquam certam et immutabilem fidei regulam: quibus, ut fidei regulae, intimum quisque assensum sine ulla dubitatione, suspicione, haesitatione praestare deberet ; qui vero iisdem definitionibus contumaciter obsisterent, hoc ipso circa fidem saluti consequendae necessariam naufragavisse, nec amplius ad Christi ovile pertinere censerentur. Atque haec magis magisque absurditatem produnt illius commenti de catholica Ecclesia ex tribus communionibus coalescente, cuius commenti fautores infallibilitatem Ecclesiae necessario inficiari coguntur.

Iam non minus certum atque exploratum est, Christum Iesum, ut fidei communionisque unitas in Ecclesia gigneretur ac perpetuo servaretur, utque capite constituto schismatis tolleretur occasio (4), beatissimum Petrum prae ceteris Apostolis, tamquam illorum principem et eiusdem unitatis centrum et vinculum conspicuum, singulari providentia elegisse; super quem Ecclesiam suam aedificavit, et cui totius gregis

(1) Ephes. IV, 14-.
(2) 1. Timoth. III, IB.
(3) Epist. VIII. ad Com. ap. Coustant. n. 1.
(4) S. Hieronym. lib. I, adv. Iovin. n, 26.

pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam auctoritatemque contulit in successores omni aevo prorogandam. Catholicum dogma hoc est quod ore Christi acceptum, perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores Summorum Pontificum Conciliorumque decretis confirmavit. Quare catholica Ecclesia illa solum semper credita est, quae fide et communione cum Sede Romanorum Pontificum Petri successorum cohaeret, quam propterea Sedem s. Cyprianus nuncupat catholicae Ecclesiae radicem et matricem (1) ; quam unam Patres et Concilia per antonomasticam appellationem ***Apostolicae Sedis*** nomine designant e qua sacerdotalis unitas exorta est (2) et in omnes venerandae communionis iura dimanant (3) ; in qua Petrus iugiter vivit et praesidet et praestat quaerentibus fidei veritatem (4). Certe s. Augustinus, ut schismatis convictos Donatistas ad radicem et vitem, unde discesserant, revocaret argumento utitur ab antiquioribus Patribus frequentato: «Venite, fratres, si vultis ut inseramini invite. Dolor est, cum vos videmus praecisus ita iacere. Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo patrum, quis cui successit, videte. Ipse est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae » (5). Quo uno satis ostendit, in catholica Ecclesia eum non esse qui non inhaereat, illi petrae, in qua fundamentum positum est unitatis catholicae. Neque aliter sensit s. Hieronymus, cui profanus erat quisquis non Cathedrae Petri et Pontifici in ea sedenti communione consolaretur: «Nullum primum (sic ille ad Damasum) nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communione consocior; super illam petram aedificatam esse Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio. Quicumque lecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est (6). Neque aliter s. Optatus Milevilanus, singularem illam cathedram celebrat, omnibus notam, Romae constitutam, in qua unitas ab omnibus ita servari debet ut schismaticus et haereticus sit qui contra illam singularem cathedram aliam collocet (7).

(1) Epist. IV. ad Cornelium ap. Coustant, n. 3.

(2) S. Cypr. epist, XII. ad Corn. ap. Coustant, n. 14.

(3) Epist. Concilii Aquileiensis ad Gratianum lmp. an. 381 inter epistolas s. Ambrosii.

(4) S. Petrus Chrysol. epist, ad Eutych. Act. III, Concilii Ephes. ap. Harduin. I, 1478.

(B) Psalm, in part. Donati.

(6) Epist. 14. al. B7. ad Damas, n. 2.

(7) De schism. Donatisi, lib. II, n 2.

Et merito quidem ; in Romanorum enim Pontificum ordinatione et successione, uti denunciai aperte omnibus s. Irenaeus, ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos; et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate (1).

Itaque si proprium est ac perpetuum verae Christi Ecclesiae insigne, ut summa fidei caritatisque socialis unitate contineatur, efflorescat ac veluti civitas supra montem posita omnibus hominibus omni tempore patefiat; et si, alia ex parte, eiusdem unitatis originem, centrum ac vinculum Christus esse voluit Apostolicam Petri Sedem, consequens fit, coetus prorsus omnes ab externa visibiIique communione et obedientia Romani Pontificis separatos, esse non posse Ecclesiam Christi, neque ad Ecclesiam Christi quomodolibet pertinere, ad illam scilicet Ecclesiam, quae in symbolo post Trinitatis commendationem credenda proponitur, Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica (2); quae catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis (3), sicque ipsum catholicae nomen sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere (4) ; per quam Christus veluti per corpus sibi penitissime coniunctum beneficia redemptionis impertit, et a qua quisque fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disiunctim est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum (5): eiusmodi proinde coetibus catholicum nomen tum iure minime competere, tum facto attribuì nullatenus posse citra manifestam haeresim. Inde autem perspicietis, honorabiles ac dilectissimi Domini, quare sacra haec Congregatio tanta sollicitudine caverit, ne Christifideles societati a vobis recens institutae ad promovendam, ut dicitis, christianitatis unitatem cooptari paterentur aut quoquomodo faverent. Perspicietis etiam in irritum necessario cadere quamcumque conciliandae concordiae molitionem , nisi ad ea principia exigatur, quibus Ecclesia et ab initio est a Christo stabilita et deinceps omni consequenti aetate per Apostolos eorumque successores una eademque in universum orbem propagata; quaeque in celebèrrima Hor-

(1) Lib. ITI. contra haeres, cap. 3. n. 3. ex vet. interpr.
(2) S. Aug. de Symb. ad cateen, cap. VI.
(3) S. Aug. de vera Relig. ea#. VII.
(4) S. Aug. contr. epist, fundam, cap. IV. n. 5.
<5) S. Aug. ep. 141. al. 152, n. 5.

misdae formula, quam certum est a tota catholica Ecclesia comprobatam esse, dilucide exponuntur. Perspicietis denique, oecumenicam illam quam memoratis , ***inter communionem*** ante schisma photianum , ideo viguisse quia orientales ecclesiae nondum a debito Apostolicae Cathedrae obsequio desciverant; neque ad optatissimam hanc intercommunionem restaurandum satis esse, simultates et odia in Romanam Ecclesiam deponere, sed omnino, ex praecepto et instituto Christi, oportere Romanae Ecclesiae fidem ac communionem amplecti; quandoquidem, ut ait venerabilis Beda splendidissimum vestrae gentis ornamentum: « Quicumque ab unitate fidei vel societate illius (beati Petri) quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possint regni caelestis ingredi » (1).

Atque utinam, honorabiles et dilectissimi Domini, quoniam ***Ecclesia catholica una esse, nec scindi, nec dividi posse monstrata est*** (2), non amplius dubitelis, vos eiusdem Ecclesiae condere gremio quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones episcoporum , frustra haereticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit (3). Utinam quod in vobis per inditam benevolentiam erga hanc Ecclesiam Spiritus Sanctus coepit, ipse complere et perficere sine mora dignetur. Id vobis una cum hac sacra Congregatione toto ominatur animo et a Deo misericordiarum et luminum Patre enixe adprecatur sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, ut vos tandem omnes ab exheredata praecisione fugientes in hereditatem Christi, in veram catholicam Ecclesiam, ad quam certe spectarunt maiores vestri ante lugendam saeculi sextidecimi separationem, accipere feliciter mereamini radicem caritatis in vinculo pacis et in societate unitatis (4).

(1) Hora. in natale ss. Petri et Pauli.
(2) S. Cypr. ep. VIII. ad Corn. apud Coustant, aum. 2.
(3) S. Aug. de util, credendi, cap. XVII. n. 35.
(4) S. Aug. ep. 61. al. 223, n. 2. ep. 69, al. 238, num. 1.

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Ioannem Baptistam Ayroles e Soc. Iesu; quibus laus et hortatus eidem impertiuntur ob opus aggressum ad illustrandam memoriam Ioannae De Arc.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Rem tu amplam et operosam dudum aggressus, ut memoriam Ioannae De Arc, virginis venerabilis, illustrares, iam doctorum hominum expectationem probe sustines et eruditionis copia et iudicii prudentia. Licet vero, ut institutum constanter pergas, nihil tibi hortatu sit opus et laude, utrumque tamen, pro. ipsa rei praestantia, ultro impertimus. Nam istud patriae vestrae insigne decus, decus idem est religionis catholicae; cuius praesertim consilio et ductu, magna gloriae verae ornamenta sibi in omni aetate peperit Gallia. Sic igitur procedat opera tua, ut, quod praecipue spectas, haec tota causa ab hostium religionis ictibus, non invulnerata modo, sed confirmata et auctior emergat. Sunt prae ceteris qui res gestas magnanimae pientissimaeque virginis omni exuant divinae virtutis instinctu, eas dimetientes ad humanae tantum opis facultatem; vel qui de iniqua eius damnatione, irrogata nempe ab hominibus Apostolicae huic Sedi maxime infensis, ipsam criminari Ecclesiam non vereantur. Ista et similia ad lucem fidemque monumentorum sapienter refellere, interest magni : idque genus optimum est de religione simul ac de civitate benemerendi. In quo tu quidem, dilecte Fili, versari ne cesses alacer; eo nunc magis quod sacrae eiusdem causae cursus, proximo decreto Nostro, rite ac legitime coepit. Interea par tibi in reliquo opere in omnique consilio tuo auxilium adsit bonitatis divinae; quod, apostolicae benedictionis munere, peramanter optamus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv iulii anno MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

BREVE quo indulgetur tuto procedi posse ad solemnem beatificationem ven. Servi Dei Ioannis de Avila.

Apostolicis operariis, quos Evangelicus Dominus ad vineam suam excolendam providentissime mittit, nullo unquam tempore caruit Ecclesia Dei, et quod Redemptor humani generis discipulis suis salutare praeceptum dedit « Euntes docete omnes gentes » illud omni aetate ipsa in Ecelesia ita viguit, ut nunquam in ea strenuissimi desiderati sint Christi administri qui divinam Sapientiam late populis nuntiarent. Hos inter praestantes supernae veritatis praecones sapientiae simul ac sanctimoniae laude conspicuos, iure recensendus est Venerabilis Dei famulus Ioannes de Avila, presbyter saecularis, qui in nobilissima Hispana terra, tot Sanctorum virorum attrice, decimosexto saeculo floruit, et cui propter singularem asceseos tradendae artem Magistri cognomentum adhaesit. Natus est in oppido « Almodovar » Prioratus Cluniensis die sexta Ianuarii Mensis, An. MD, honesto loco Alphonso de Avila et Catharina Chicona genitoribus. Mirifica in puerulo virtutis indoles ; pietatis studio, innocentia vitae, modestia et virtutis custode verecundia inter aequales suos ad exemplum enitebat. In humanitatis ac litterarum studiis versatus est diligenter, ac tantos brevi iisdem in liberalibus disciplinis, aeris ingenii adulescens, progressus nactus est, ut quatuordecim annos natus Salamantinum Athaenaeum ingressus sit. Verum ibi dum sedulam iuri operam navaret arcano Dei munere tactus ad cor sibi loquentis, atque, ut superius adscenderet amica voce invitantis, omnia statim quae terram saperent despiciens, studiorum Universitate relicta, paternam repetiit domum, atque in humili et secreto conclavi, poenitentiae ac solitudinis amore ductus, vitam cum Christo in Domino absconditam agere coepit. Quare peculiarem Divini illius Agni, qui inter lilia pascitur, dilectionem quaerens, innocens corpus ieiuniis, vigiliis, flagellis compescuit, ingenuam animi simplicitatem morumque candorem omnibus pietatis exercitationibus aluit. Iam tres sese verterant anni ex quo Venerabilis Dei famulus Joannes, tam asperam vitae rationem susceperat, cum pii cuiusdam patris Ordinis S. Francisci Asisiensis adhortationibus permotus, ad studia philosophiae et sacrae theologiae animum

adiecit, et ineundi Sacerdotii consilium accipiens, in arduas easdem disceptationes adeo processit, ut ipsi antecessores, inspectis acuto intellectu, tenaci memoria, atque impigra diligentia, brevi illum Hispaniae totius sapientissimum fore, sint ominati. Studiorum curriculo absoluto, ac Sacerdos inunctus, virtutum omnium perfectioni se penitus dedit, et apostolici ministerii desiderio flagrans, sacras extremos ad Indos expeditiones mente molitus est. Quare patrimonium suum vendit, donatque pauperibus seque ultro exhibet comitem primo Tlascalensi Antistiti ad Mexicum maritimo itinere solventi. Sed dum Hispali tempestivum ad navigandum mare expectat Alphonsus Manrique Civitatis illius Archipraesul, ac Supremus Sacrae Hispaniarum Inquisitionis moderator, aegre ferens quod eximiae pietatis ac doctrinae vir, natalem terram desereret, Venerabilem Dei famulum ad se arcessitum, ac frustra renuentem, in Hispania iubet manere. Dicto audiens et ipsius Antistitis votis obsecundans, qui commissi sibi gregis spirituali emolumento prospiciens, eum ad apostolicos in patria labores exantlandos vocabat, provinciam illam coepit maxime difficilem, in qua multorum operariorum animos gerens quinque et quadraginta annos constantissime desuda vit. Et sane Hispalim, Cordubam, Granatane, Astigim, Biatiam, Montiliam aliasque Vandalitiae Civitates sacris concionibus lustrat; populum audiendi cupidum et catervatim ad eum confluentem, eloquio diserto, et exemplo sanctitatis ad divinarum rerum studia revocat; ubicumque concionator christianorum morum laus reviviscit. Videre erat pendentem ab ore plebem, dum sacer orator vultu oculisque mirandum in modum emicantibus, acerbis vitia verbis increparet, et modo lacrymas cieret, modo salutari audientium corda timore percelleret. Neque uberes defuere fructus. Sublatae enim sunt eius opera simultates non paucae ; factionum partes extinctae; non raro inter domesticos parietes restituta pax; vitia saepe inveterata radicitus evulsa; invecta morum integritas, aut pietas, et aeternae animarum salutis studium excitatum; ac tot tantaeque ad eas regiones, utilitates ex sacris ipsius Ioannis expeditionibus manarunt, ut iure meritoque Venerabilis Dei famulus de Avila Magister, ac Vandalitiae Apostolus habitus dictusque sit. Nec verbo tantum et piis ex suggestu habitis concionibus quae Catholico nomini bene, prospere ac feliciter evenirent curavit, verum etiam operibus ac typis editis scriptis, ut

in via spiritualis perfectionis fidelium animae dirimerentur consuluit. Idcirco solitus erat aegrotos invisere; animam agentibus usque ad extremum spiritum assidere; egenis familiis nec requirentibus opem ferre; solari calamitosos; consilio et opera prout res postularet, proximos quotidie iuvare. Conscientiae onus ponentibus, benignas in piaculari exedra aures praebebat; ac modo eruditis commentariis Sacras Scripturas ex cathedra illustrabat, modo pueris ac villicis pedestri sermone Catechesim tradebat; et mira in epistolis quas scripsit, sanctimoniae ac sapientiae suae extant documenta. Quum vero aliorum saluti curandae tam sedulo deditus esset, nihil siquidem praetermisit ut perfectionem absolutionemque virtutum quas complexus erat assequeretur, recte iudicans seipsum abundare oportere iis omnibus laudibus ad quas excitaret alios, et plus valere sermonem si confirmaret exemplo. Quamobrem tantam de se famam excitavit, ut Romani Pontifices Decessores Nostri amplissima illi munera commiserint, ac viri eminenter Sancti, quos iamdiu in Caelitum ordinem adscriptos veneratur Ecclesia, eius consiliis se regi voluerint, Magistrumque appellaverit. Venerabilis enim Dei Servus de Avila, ad honestam primum vitae rationem traductum Sanctum Ioannem de Deo, ad perfectionis et sanctimoniae semitam decurrendam verbo et exemplo excitavit; Sancto Ignatio Loyolaeo usus est familiariter, et in Hispania nascentem Societatem Iesu fovit peramanter. Sanctum Franciscum Borgia ut imperatoris aula relicta illecebris mundi valediceret, hortatus est denique Sancto Petro ab Alcantara et Sanctae Theresiaea Iesu sapientibus monitis ac consiliis praeluxit. Verum dum stola decoris tam splendida indutum illum Hispania universa tamquam divinae voluntatis oraculum mirabatur, annum agens aetatis suae septuagesimum Venerabilis Dei famulus Ioannes de Avila apostolicis laboribus, ac diutino morbo confectus, Montiliae die decima Maii mensis anno MDLXIX, placidissimo exitu, cum suavissima Iesu et Mariae nomina intermortuis labiis insiderent, obdormivit in Domino. Cum morte tamen haud periit Venerabilis Servi Dei memoria, corpus quidem conditum sepulchro est, virtutum vero notitiam consequentes etiam aetates acceperunt. Itaque sanctimoniae fama quam et vivus praeclaram habuerat, maior post eius funera facta est, succrevitque in dies innumeris probata portentis quae Sancti viri patrocinium gratum Deo acceptumque ostendebant. Quare de eiusdem Venerabilis Dei

famuli Beatificatione et Canonizatione in Sacrorum Rituum Congregatione causa agitari coepta est. Praemissis iis omnibus actis quae Apostolicae Constitutiones in causis huiusmodi servari iubent, recolendae memoriae Clemens PP. XIII per Decretum Sexto idus Februarias anno MDCCLIX datum virtutes quibus vivens ipse Venerabilis Dei Servus inclaruerat heroicum attigisse gradum testatus est. Deinceps in eadem Sacrorum Rituum Congregatione institutum iudicium est de miraculis quae deprecante Ven. Dei famulo Ioanne de Avila a Deo patrata ferebantur, rebusque omnibus severissime ponderatis tria miracula vera atque explorata sunt habita, Nosque per decretum pridie Idus Novembres superioris anni datum, eorumdem veritatem miraculorum declaravimus. Illud supererat nempe, ut Ven. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationi Sacris tuendis Ritibus praepositi rogarentur, num stante, ut superius dictum est, heroicarum virtutum et miraculorum approbatione, tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores eidem Dei famulo decernendos; hique in generali conventu IV Calendas Décembres eiusdem anni coram Nobis habito, tuto id fieri posse unanimi consensione responderunt. Attamen in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus e Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem Dominica prima Quadragesimae huius vertentis anni solemni decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad solemnem Venerabilis Dei famuli Ioannis de Avila Magistri nuncupati Beatificationem. Quae cum ita sint Nos Hispaniensium Sacrorum Antistitum votis annuentes, auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabilis Dei famulus Ioannes de Avila presbyter saecularis Magister nuncupatus, Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque lypsana sive reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae publicae fidelium venerationi proponantur, atque Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate nostra concedimus ut de illo recitetur officium et Missa de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta Rubricas missalis et Breviarii Romani. Huiusmodi vero officii recitationem, Missaeque celebrationem, fieri dumtaxat praecipimus intra fines Dioecesium Toletanae, Cordubensis, et Prioratus Cluniensis ab omnibus Christifidelibus qui horas canonicas recitare tenentur, et quod ad Missas at-

tinet ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias in quibus agitur confluentibus. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis Venerabilis Dei Servi Ioannis de Avila supradictis in templis celebrentur cum Officio et Missis duplicis Maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium definienda, intra primum annum postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint, et Sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VI Aprilis MDCCCXCIV. Pontificatus Nostri Anno Decimoséptimo.

M. CARD. RAMPOLLA

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SANCTI GALLI (in Helvetia)

MATRIMONII

Die 14 Aprilis 1894.

Sess. 24 cap. 1 De refor. matrim.

COMPENDIUM FACTI. Die 16 Maii anni 18ST in ecclesia paroeciali pagi Flums, dioecesis S. Galli in Helvetia, iustas nuptias inibant Antonius Kurath agricola, novem supra viginti annos natus, et Dorothea Hobi, vicesimum secundum aetatis annum agens. At Dorothea, ut ipsa et nonnulli asserunt, haud spontaneo animi motu ad has nuptias consensit, sed ut parentum, praesertim patris, qui et paternam exhaeredationem comminabat, voluntati deferret.

In his conditionibus sponsi per quatuor hebdomadas vitam in Antonii aedibus duxerunt; eodem cubiculo quater tantum aut quinquies, eodem lecto vero, teste viro, nunquam, fatente uxore, semel usi sunt quin tamen amore, benevolentia mutuoque studio eorum animi unquam calèrent. Narrant imo et iuramento affirmant, se matrimonialibus iuribus numquam usos fuisse : et addit mulier, id sibi esse imputandum, quae ut famae suae consuleret, rumor enim ante nuptiarum celebrationem percrebuerat, Dorotheam alterius opera uterum gerere, idque Antonius resciverat; firmo animi consilio a copula abstinendum ad tempus, viro, ipsa asserit, assentiente, proposuit, decrevit idque constanter servavit. Vir vero, ait, nihil de ista mala fama et pacto scivisse, secus ne Dorotheam quidem duxisset.

Transactis circiter tribus mensibus, per quos saepe saepius maritus extra pagum, uxor apud parentes degebat, Dorothea obiurgationes Antonii in sorores aegre ferens, viro valedixit, abiit nec ad eum amplius reversa est.

Deinceps mulier edocta facilius infausti matrimonii solutionem a Romano Pontifice obtenturum fore, post civilis divortii sententiam, illud apud tribunalia laica petiit ; ac etsi vir praefatae iudiciali petitioni resisteret et veritatem causarum a muliere allatarum negaret, obtinuit die 22 Iulii 1889; et subinde ad Senium confugit rogans, ut sacramentale coniugium vel nullum declararetur, vel saltem qua ratum et non consummatum, benigne dispensantur. Interea et Antonius quum reconciliationis spes nulla amplius affulgeat, et nuptias novas, ut videtur, inhians cum vidua fratris sui, ex qua illegitimum iam procreavit filium, consilium mutavit et per parochum suum solutionem matrimonii et ipse postulat.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. In censu eorum quae ne matrimonia contrahantur impediunt, contracta dirimunt, vim et metum collocandum esse, nemo est qui nesciat. Id enim aperte tradit

Alexand. III cap. 14 *De sponsalibus* et confirmatur, aliis iuribus omissis, ex cap. 15 et 28 eiusdem tituli. Verum talem efficaciam vis et metus omnis minime habet, sed is solum qui vel consensum ipsum destruit vel necessariam consensus libertatem ; id autem solum metus operatur gravis cadens in virum, aut, ubi de sequiori sexu agitur, in feminam. Sánchez *De matr. lib. IV disc. 3 num. 3* constantem *cap. 6 de iis quae vi metusque causa fiunt,* seu cuius causa est malum vel instans vel futurum quod homo facile sustinere non posset, et persuasum ipse simul habeat illud sibi revera imminere, v. g.si timeatur mors, cruciatus corporis, bonorum fere omnium amissio, paternae haereditatis frustratio etc— Qui huiusmodi metu actualiter coactus contraxit, nihil utique effecisse dicendus est. Ast sic coniugium contraxisse non praesumitur, sed ab allegante iuridice probandum est; */. cum te non solum ff. de iis quae vis metusque causa* quippe « in foro externo matrimonium praesumitur validum, cum de consensu exterius praestito Ecclesiae constat » *De Iustis de dispens, matr. I. 2 cap. 12 num. 90.* Et quidem probari debet metus « ex depositione testium; deponentes de metu, una cum existente coniectura, attestentur de minis, verberibus vel similibus illati metus indiciis. Nam testes debent reddere rationem sui dicti *C. Cuius causam iuncta Glossa vers, de causis.* Et alioquin, si simpliciter deponerent super metu non allegatis actibus seu indiciis externis metum inducentibus, eiusmodi testes deponerent de actu mere interno, soli Deo cognito, qualis et metus, utpote in mentis trepidatione consistens unde ipsis non foret magis credendum. » Ita recte Mascard *De prob, conci. 1057 num. 4.* Et Sacra Rota *Decis. 334 n. 9part. 11* sic habet: « Metus tamen pro annullando matrimonio non probatur per testes non concludentes de circumstantiis minarum ; deponere namque debent de metu et circa metum de quo in specie agitur, alias nihil relevant. »

Istaec autem in facti specie eo magis premenda esse autumo, quod de matrimonio agatur, cuius in celebratione nihil ex processualibus actis apprehendatur vel levem metum ma-

nife stans. Sane vix aut ne vixjquidem contingere posse videtur, sponsam vi et metu gravi coactam ad aras accedere, consensum exprimere, nuptialibus conviviis interesse, quin ullus testium apud eam coactionis seu invitae voluntatis signum animadvertat. Similiter nec parochus, qui nuptiali benedictione sponsos iungebat, aliquid vim et metum significans, in casu, suspicatus est. Ipse utique in praesenti causa, cum iam ad Americanas regiones sit migrat us, tamquam testis citari non potuit ; sed, fatente oratrice, neque de matrimonii firmitate unquam dubitasse videtur. Sane interrogata « cur tamdiu cum sua postulatione expectasset, » ista respondit « Iam antea rogavi hac de re parochum Dom. Frei, at ille mihi consentire noluit, cum postulabat ut ambo, ego et vir, idem proferremus petitum. » Utique si parochum causam de nullitate matrimonii et non solum de obtinenda dispensatione super matrimonium ratum et non consummatum moveri posse putasset, mulieris postulationi statim et libenter consent isset. Ceteroquin quaenam reapse mens parochi fuerit, in sequenti viri testimonio perspectum habemus :« Sponsa, ait, nuptiis celebrandis omnino consentiebat et in votis habuit, has adhuc ante festum Paschatis esse celebrandas, *quae parochiis antecedens contestan posset* ».

Haec cum ita se habeant, quaenam ad vim et metum adstruendum valere videntur, ex actis nunc transcribere iuvat. Imprimis uxorem audiamus de animo erga virum atque de metu proprio in eodem ducendo testantem: « Ab initio, ait, maximam aversionem adversus matrimonium cum Kurath habui. Nullam sentiebam erga eum animi inclinationem ; quem adversum animum meum haud semel et signis et verbis manifestavi. » — Interrogata utrum vere timuerit ne parentes, nisi hoc matrimonium iniret, ipsam haereditate privarent, respondit : « Censebam parentes revera facturos esse quae minabantur circa privationem haereditatis. Dixerunt parentes se hanc privationem adhuc vivos peragere velle, contra quam actionem iuris nullam tutelam existere : quae ego credidi. » — Ulterius interrogata utrum pater ipsam hac de causa male ac dure

tractaverit respondit : « Pater minis ac opprobriis urgebat; •attamen nullam inferebat violentiam.»

Pater enim oratricis deposuit :

« Filia mea proba et verax est ; et Kurath, scil. maritus eiusdem, saepius mihi mentitus est; secus non dedissem isti meam filiam. Quin immo professus est se sibi malum aliquod illaturum esse, si nollem puellam ipsi dare uxorem; Dorothea eum semper recusabat. » Praeterea « se patrem et matrem -causam fuisse cur puella nupserit isti viro ; se utique *semel* dixisse, velle ipsam haereditate privare nisi consentiat matrimonio; attamen *se id non adeo serio in mente habuisse.-»*

Dorothea Manhart oratricis mater retulit: « Filiae fides certa haberi potest; ab infantia fuit verax. Viro Kurath haud multam fidem haberem. Dedimus isti filiam tantum propter simulationem qua affirmaverat, ipsam apud se felici sorte esse fruituram. — Filia, tempore ante matrimonium cum Kurath, istum haud raro aspernabatur noluitque isti nubere ; nos autem parentes confisi promissionibus huius viri urgebamus eam ad matrimonium. — Minabat pater se filiam haereditate privatorum esse, quod quidem illa verum habuit. *Nostris tantum persuasionibus obedientia ducta, in matrimonium consensit.»*

Ulterius, praeter genitores ex parte mulieris testes quatuor -citati fuere, scilicet: Paulina Flobi, eiusdem soror, Lucas Manhart, Berta Manhart, et Gebhardus Gantner gener, uti videtur, vel certe amicitia oratricis genitoribus omnes coniuncti. Ex parte autem viri, tres solum producti sunt testes, nimirum: Antonius "Wildhaber, Baptista Hermann et Catharina Manhart, de quorum tamen necessitudine cum sponsis nihil est in actis ex quo iudicari possit.

Testibus itaque interrogatis: « Utrum sibi notum fuerit ipsam Dorotheam suo sponso et marito ab initio signa amicitiae non praestitisse, se duram et offensam erga illum ostendisse » ita responderunt:

« Soror mea mihi iam ante nuptias pluries et etiam cum lacrimis conquerebatur se nolle nubere isti, idque se tantum facere, quia parentes ad hoc urgebant. » Sic Paulina Hobi.

« Saepius animadverti, Dorotheam ad Kurath non fuisse-inclinatam; *semel* illum dimisit probris et maledictis gravioribus. - Sic Lucas Manhart, qui coniuges abhinc quinque aut sex annos noverat.

« Nihil ad rem scio. » - Sic Berta Manhart, cuius vir frater-est matris Dorotheac oratricis.

« Ignoro rem ipsam; attamen videtur mihi ab aliis dissidia inter Kurath excitata fuisse, marito dicendo, uxorem esse prodigam neque fidelem. » Ita Gebhardus Grantner, adiungens Dorotheam sibi a teneris annis esse notam.

« Famam audivi sponsam suo sponso non adeo favere ; mirati sunt homines quod illam uxorem duceret. » - Sic Antonius Wildhaber, qui non adeo uxorem novit quam virum.

« Vicinus eorum, nullam inter coniuges discordiam et litem animadverti. Quae acciderint ante eorum matrimonium nescio; tantum scio varios sparsos esse rumores hac de re. » Sic Baptista Hermann.

« Ab aliis audivi sponsam tempore ante matrimonium » sponsum ludibrio quodammodo habuisse. » - Ita Catharina Manhart obstetrix.

Rursus ad interrogatorium aliud: « Utrum sibi notum fuerit, Dorotheam magna damna timuisse, si Antonium sumere noluisset, et an pater illi talia minatus sit, » ex testibus citatis iisdem quinque dixeruut *se nihil hac de re scire, nec aliquid audivisse.* Ipsa oratricis soror sic deposuit : « Posteriori tantum tempore audivi de minis quoad haereditatem ; secus saepe opprobria audivi quod Kurath nubere nollet. » - Antonius Wildhaber ita declaravit : « Famam audivi, parentes, filiam ad matrimonium ursisse, minatumque esse patrem circa haereditatem. »

Sed iam quid ipse vir testatus sit inquirendum, cum tanti, ponderis in re huiusmodi eius testimonium habetur, ut passim doceant iuramento ipsius excludentis vim et metum standum esse, nisi de periurio convincatur. (S. C. C. in Praemislien. *die 18 Iul. 1778,* et in Rom. *die 9 Aug. 1817).* Interrogatus, itaque : « A n alienus ab ipso animus suae sponsae notus fuerit »,

Antonius Kurath sub religione respondit « *negative* » et subditi: « Sponsa nuptiis celebrandis omnino consentiebat, et in Totis habuit has adhuc ante festum Paschatis esse celebrandas, quae parochus antecedens contestan posset. Ego autem effeci ut nuptiae post Pascha celebrarentur. » - Interpellatus rursus : « an certus fuerit, Dorotheam vere consensum dedisse, ut cum ipso matrimonium iniret », dixit *«Affirmative »*. Non levis momenti mariti depositionem hanc tenendam esse, S. Galli iudicem non latuit: quapropter ex officio sic uxorem interpellatami voluit : « An non ipsa urserit uti nuptiae ante festum Paschatis habeantur? » - Ad quod ista respondit: « Quum viderem parentes omnino matrimonium hoc velle, •*consentiebam, mox futuras esse nuptias ;* attamen iam antea Kurath magis urgebat. Me nuptias ante Pascha ursisse, equidem nescio. »

Rursus: « An in ipso momento quo declarasset consensum, persuasum habuerit, se abhinc fore uxorem huius viri? » - Respondit: *«Affirmative. Habebam meipsam tanquam uxorem».*

Demum : « Utrum sibi proposuerit se nunquam cum marito actum coniugalem admissuram esse ? » Dixit : Iam responsum est, scilicet: Audivi____Kurath habere in me aliquam suspicionem et *propterea* conveniebam cum ipso de hac ad tempus -abstinentia. - Postea parata fuissem, quia obligationi meae tanquam uxoris satisfacere debui. »

Et cum ego, quid eadem de re senserim, manifestare debeam, dicam ex praeiactis non constare, quod infirmum censeri debeat matrimonium istud.

Et re quidem vera, singulis iuratis testimoniis rite perpensis atque secum collatis, sequentia eruuntur, quae cur sat ponderis, me auctore, ad coniugale vinculum infirmandum .non habeant, mox subiiciam.

a) Imprimis Dorotheae sponsae asserenti se ab initio in sponsum Antonium • propenso animo non fuisse, imo ab eodem ducendo aliquatenus abhorruisse, genitorum atque sororis alteriusque parentis testimonio id confirmante, fides adhibeatur. Verum dubitare de singulari talis aversionis vehementia

licet, cum nec maritus nec testis alius, cui Dorothea a teneris annis erat nota, sub sacramento se aversum huius animum ignorasse declararunt.

b) Ulterius etiamsi de huiusmodi aversione initio puellae animum occupanti constaret, id nihil concluderet nisi insimul probetur hanc ad actum usque et in actu ipso celebrationis matrimonii perdurasse, Consci, *de Separ. thoril. 1, cap. 8, n. 13.* Quae probatio, in facti specie, eo magis exigenda est,, quod sat longum inter duo extrema temporis intervallum decurrerit, intra quod, si eadem mutasset animum, res miranda, minime foret. Nam, ut ait Pitonius *Discept. Eccl. 32 n. 5* « talis mutatio facilius praesumendo venit in voluntate muliebri, cum ista, cum in aliis materiis tum praesertim in matrimonio, sit regulariter momentanea, varia et mutabilis.» Cf. Decium *in Const. 166 n. 26.* Nedum autem aversionis diuturnae et constantis ad nuptiarum diem argumenta prostent, silentium hac de re testium mutationem huiusmodi adstruere videtur. Sane, dixit horum aliquis, « Vicinus eorum, nullam inter «coniuges discordiam et litem animadverti.»

Et oratrix ipsa: « Cum viderem parentes omnino matrimonium hoc velle, *consentiebam.* »

c) Ex hoc ipso quod detur oratricis parentes omnino matrimonium voluisse, non sequitur consensum eius fuisse vi et metu gravi coactum, ita ut necessaria libertas in contrahendo defecisse dicenda sit. Doctrina enim iam est « communis et recepta » S. Alph. *de matrim, n. 1056,* iura praeter nudam parentum voluntatem, quae vel nullum metum vel nonnisi reverentialem simplicem gignere nata est, requirere « ut adiungantur aut verbera aut minae aut timor alicuius gravis mali etc. » - Neque, cum de paternis minis agitur, sufficit ad incutiendum metum cadentem in virum constantem,, ut obiter aliquando prolatae fuerint, more communi scilicet, atque seclusa seria exequendi voluntate. « Necessarium est, ait Sánchez, *De matrim. Disp. VI. num. 8* ut minas solitus sit exequi, quia dum aliquis solet minas iactare et parum exequi, perinde est ac si non minaretur, et virum

prudentem nihil aut parum movent huiusmodi minae, tanquam vanae et nullius momenti, - et minae debeant esse mali gravis. Propterea minus praesumitur de patre, ratione pietatis paternae, minas executuro. Verum si pater atrox sit et solitus exequi, idem in illo ac in aliis dicendum est. » - Porro istius ferocis indolis Dorotheae patrem fuisse, nihil omnino est quod demonstret, quin imo verba ipsius ante iudicem prolata vere paternum animum respirent : « SEMEL , ait, dixi velle filiam haereditate privare, nisi consentiat matrimonio : attamen *id non adeo serio in mente habui.* » Integra facti ratio atque entitas in hisce matris verbis reponenda esse videtur, sic sub religione dicentis: « Nostris tantum *persuasionibus* et obedientia ducta (filia) in matrimonium consensit. » Porro qui parentum suasionibus, maxime ubi de ineundo matrimonio agitur, obedientiam etiam caecam praestiterit, eo ipso vi et gravi metu coactus egisse dicendus sane non est. Nemo enim unquam contendit persuasiones, cohortationes et consilia parentum violentiae induere naturam et malitiam ; haec non cogunt, sed, ut ait Menochitis *Cons. 00, n. 15,* liberam excitant voluntatem.

d) Neque minus exulat violentiae suspicio ex his quae matrimonium subsecuta sunt. Sane, altum quod hac de re testes silentium servarunt, argumentum probum est, eos nihil inter nuptiarum celebrationem nec postea observasse, quod a communiter, in tali casu, contingentibus alienum videretur. Mulier utique, hac prima die, in mariti domum non statim se contulit, sed id ob causas peculiares atque communi consensu factum est.

Quoad copulam maritalem in casu ait Consultor : universalis regula est, matrimonium omne consummatum seu opere perfectum praesumi, semel ac coniugibus secum rem habendi copiam fuisse constiterit.

Porro contra praesumptionem *hominis* facili ductu admittitur probatio, cum ea nullo iure confirmata reperiatur ; contra praesumptionem *iuris,* h. e. quae simpliciter a iure est introducta, itidem datur actio, sed probationes deside-

rantur solitis clariores et pleniores; Pacian. *de probat. I. 1 cap. XI;* contra praesumptionem autem *iuris et de ture,* quae scilicet in vim legis transiit, regulariter non admittitur probatio vel saltem nonnisi clarissima et evidentissima.

Ulterius ubi coniuges, fatentes se solos saepius in eodem cubiculo vel etiam lecto pernoctasse, insimul declarantes inveniuntur se non consummasse matrimonium, id dupliciter datur intelligi : vel volendo iure suo uti atque obsecundare naturali concupiscentiae instinctui, optatum finem aiunt se, propter physicam coeundi impotentiam, non attigisse ; vel, licet in florida aetate ambo constituti ac mutuo corporis copiam facere valentes, hoc tamen non fecisse contendunt.

Si prius, consummationis praesumptio est iuris tantum, impotentiae atque virginitatis argumentis aut etiam iuratae coniugum declarationi facile cedens. Si posterius h. e. si homo profecto viridis et validus nedum cohabitaverit in eodem cubiculo sed et condormiverit in eodem lecto cum puella, sua uxore, quae et aetate floreat atque ad copulam habilis existat, tunc consummationis praesumptio violenta dicitur, atque uti veritas habetur donec praeter conforme coniugum etiam iuratum testimonium, aliae non proferantur probatissimae démonstrations inconsummationem citra omne dubium adstruendis *(ex cap. Litteris 12 et Cap. Tertio loco de Praesumpt.).* Unde tralatitiurn est apud S. C. ex sola possibilitate carnalis consummationis, maxime si de coniugum in eodem cubiculo aut lecto pernoctatione constiterit, copulam intercessisse existimari, ac nisi secus plenissime probetur, denegari dispensationem; in Chien. *Matr. 15 Decembris 1792;* Spoletan. *Matr. 20 Decembr. 1873.*

Hoc praemisso, ait Consultor, de tribus investigemus oportet ex quibus iure consueto circa consummationis actum iudicium conficitur, scilicet de coniugum dictis, de septimae manus testimonio atque de inspectione feminei corporis.

Imprimis mulier oratrix, interrogata a iudice « An revera cum marito statuerit, se nolle coitum exercere in tempus, ut mali rumores contra ipsam irritos et falsos demonstra-

rentur », respondit : « *Iam ante nuptias cum viro conveneram hac de re et postea denuo* ». — Interrogata ex parte defensoris vinculi : « An consenserat vir in abstinentia circa debitum coniugale», — dixit: <? *Consenserat usque ad autumnum :* postea parata fuissem ad actum coniugalem ». — Rursus: An vir debitum ab ipsa postulaverit? « Respondit : Semel : attamen ita ut sequelae prohibeantur ; quod negavi. Id post mensem accidit, quum rediret ex montibus ». — « Utrum revera et sincere affirmare possit se a marito non esse ad actum coniugalem adhibitam et se ab ipso non esse laesam ?» — Resp. « Maritus meus nunquam usum coniugalem mecum habuit ». — Interrogata ex officio iudicis : « An nunquam cum viro fuerit in eodem cubiculo aut lecto? » dixit : « Per aliquot noctes fuimus in eodem cubiculo, attamen non in eodem lecto quod nunquam accidit ». — Ita oratrix cum iuridice interpellata fuit. Revocata deinceps ante iudicem, ut de patris sui dicto aliquo sensum suum aperiret, sponte declaravit, « se ex errore omnino involuntarie commisso in responso ad interrogatorium ex officio sub num. 13 dixisse: hoc ultimum nunquam accidisse. Nunc autem ipsi venisse in mentem, *semel se ipsam et virum simul in lecto fuisse.* Affirmat tamen firmiter et severe ne minimum quidem accidisse in hac occasione dicendo: « neque iste neque ego ipsa aliquid postulavimus in his momentis. Accidit autem hoc factum iam in proximis post nuptias diebus ». — Hucusque uxor. Maritus autem interrogatus: « An revera cum eadem iam antea statuisset ut se a coitu abstineant, ne malae famae minoribus locus fiat », sub sacra—mento respondit : « *Negative: hac de re nihil statutum est,* secus enim eam non duxissem uxorem, *neque consensum dedissem ad abstinentiam ad tempus servandam.* De mala ista fama nihil omnino sciebam ». — Rursus : « An nunquam in eodem cubiculo et in eodem lecto fuerint? » Resp.: « Per quatuor aut quinque dies vespere in eodem cubiculo manebamus ; attamen *nunquam fuimus in eodem lecto,* quum mulier talem coitum firmiter recusavit. Equidem cessabam

sperans fore ut ipsa hac in re sententiam mutatura sit ». — An revera se dicere et affirmare posse firmiter credat et sciat se cum ipsa copulam non habuisse ». — Resp. « Nunquam ». — Itaque hoc ultimo excepto, quoad duo priora omnino discors apparet coniux a coniuge : quare claudicans eorum depositio iure habenda est; imo, nisi solide septimae manus testimonio vel inspectione corporis fulciatur, eisdem fides obiective non videtur adhibenda.

Verum cum ad corroborandam infirmam coniugum declarationem unanimi atque explicito opus foret septimae manus testimonio ipsis propitio, hoc ex processualibus actis nonnisi deficiens et incertum eruitur. Sane imprimis non septem propinqui aut affines ex utroque latere ad formam Textus *in Cap. Litterae de frigid, et ma' e f.,* sed tres solum ex parte viri atque sex ex parte mulieris, « propter loci, ut aiunt, et rei ipsius difficultatem », producti sunt; quod utique in re non spernenda ius offendit. — Deinde testes istos, prout S. C. C Instructione diei 20 Augusti 1840 praescriptum est, interroga tos rite fuisse non puto. Porro lecturam examinis seu confessionis coniugis inducendis testibus factam esse, nihil est quod indigitet ; neque- de hucusque recensitis interrogatorium aliud testibus propositum est nisi hoc : « An sibi videatur coniugum dictis fidem adhiberi posse » ; quod sane nimis generice enunciatum videtur. Quare de matrimonii consummatione silendo, testes generico etiam sermone responderunt.

Vix est cur animad vertam ex huiusmodi manca septima manu, ad honestatem quod spectat, virum omni exceptione maiorem non apprehendi, imo neque mulierem, quam scimus ea mente, spreta ipsa divina lege, civile divortium impetrasse, ut pro posse ad ferendam conformem sententiam ecclesiasticum iudicem quasi cogeret.

Ad tertium nunc inconsummationis argumentum, quod ex feminei corporis inspectione eruitur deveniendum est. Huiusmodi utique organorum inspectionem probationem solum facere adminiculativam *Cap. Causam de proh. — Zacch.,*

Quaest, medico-lega L, lib. IV, tit. 2, q. 1> n. 14 non diffiteor ; ast cum de caduco agitur fulciendo stipite, adminiculum etiam validum omnino requiri quis neget ? Quo autem rectius de adminiculativae istius in themate probationis vi et virtute iudicemus, prae oculis habenda sunt, quae statuit S. C. C. sub die 22 Augusti 1840 (1).

Normas exhibitas a S. O. C. per pluries adductam Instructionem ab episcopali S. Galli curia posthabitas fuisse, ex processualibus actis eruitur. In his utique de inspectione corporis nihil prostat, praeter extraiudiciales scripto exaratas medicorum duorum testificationes, se « iuxta regulas scientiae medicinae », mulierem Dorotheam, nullo utique balneo praemisso, inspexisse ; atque hanc inventam esse, si primum audias, habentem « membrana virginitatis violata, hymen a parte *dextera* (sic) perruptum et *plane huiusmodi, ut in uxoribus esse solet* »; si alterum, apud eamdem « *f ere omnes necessarias qualitates integrae virginitatis adesse,* excepta parva laesione in hymene ad latus *sinistrum* (sic) ». quae autem laesio, ita medicorum uterque ab femina edoctus ulterius animadvertit, « verisimiliter ab aliquo experimento, ante plures annos per medicum facto, ortum habuit, quum medicus ille digito vaginam penetraverit ». « Hic autem medicus, sic in summario processus legitur, ex communi iudicis et parochi et ipsius defensoris sententia sine periculo damni et scandali haud exigui citari nequit ».

Quam parum roboris extraiudiciales huiusmodi atque etiam secum pugnantes habeant medicorum declarationes, non esse demonstrandum quisquis videt.

Huc re perducta, ait Consultor, superfluum esset quaerere an adsint causae pro dispensatione petenda. Attamen de his causis disseruit, et nullam probarn et iustam invenit rationem, qua consuleretur SSmus super dispensatione inducenda.

VOTUM CANONISTAE. Muneri mihi commisso, ait Consultor, ut satisfaciant expediam primo quaestionem de metu in causa

(1) Instructio quoad ordinandos processus matrimoniales adest Vol. I, 439.

praesenti; secundo de inconsummatione, et tertio de inopportunitate dispensationis in casu.

De Metu. Non potest sane hic quaestio esse de metu alio nisi reverentiali. Certissimum est talem quoque metum pro adiunctorum varietate posse esse gravem. At in causa proposita, ex responsionibus ipsius sponsae, apparet metum non fuisse gravem. Et, si dubium aliquod hac in re facerent ea ipsa, quae Rmus Defensor P. Schmid affert, nimirum quod « pater et mater maximam erga filiam aestimationem et charitatem in suis responsis ostenderunt, cuius rei plane ignara filia esse non potuit » ; nam eo ipso difficilius certe fuit filiae eorum precibus importunis contradicere ; — dubium tamen esset, at in dubio an metus censendus sit gravis, communis •doctrina doctorum est, iudicandum esse pro valore matrimonii, tum quia matrimonii causa favorabilis est, tum propter reverentiam Sacramenti. Grury, *Comp, theol, moralis.* Neque ipsa oratrix huic circumstantiae metus multum insistit et potius eam in medium affert tantum ut probet nullam spem affulgere futurae reconciliationis.

De inconsummatione. Argumentum certum haberi nequit in casu ex inspectione corporis mulieris, medici enim in ea laesionem aliquam signi virginitatis invenerunt. Hanc laesionem ab aliqua actione medici alicuius provenire dicebat mulier, quod factum verificari nequit. Et sane, medicus qui iam perverse abusus est arte sua haud facile inducendus erit, ut contra se testetur. At ex laesione hac virginitatis possitne aliquid certi concludi pro consummatione? Nostris temporibus medicina legalis non tanti facere videtur praesentiam aut defectum signorum virginitatis. Bossu in sua *Anthropologie, tom. I, p. 329 quatrième édition.* ídem videntur sentire medici qui corpus Dorotheae Hobi inspexerunt.

Hinc ex inspectione corporis in casu nihil certi erui potest neque *pro,* neque *contra* inconsummationem matrimonii, quamvis medici potius inclinent pro non consummatione.

Testimonium *septimae manus* haud magni ponderis esse solet in simili causa, quis enim scire possit praeter ipsos

coniuges, eo¿ ne semel quidem copulam secum habuisse ? Testes, hac in re, tantum de probitate et veracitate coniugum testari possunt, et tale testimonium omnes unanimiter in favorem Dorotheae deposuerunt.

In depositionibus vero coniugum, quaedam sunt indicia, quae certitudinem moralem de inconsummatione parerent, nisi aliqua etiam invenirentur, quae in dubium sinceritatem Dorotheae, de qua praecipue agitur, vocarent.

De inopp ort unitate dispensationis. Omnes in hac causa praecipue scandalum populi prae oculis habere video. At, rationes quae afferuntur pro negatione dispensationis, scandali causa si valerent, nunquam dispensanda essent matrimonia non consummata iis locis ubi rationes istae adessent. Si populus difficile distinguat inter matrimonium ratum tantum et inter ratum ac consummatum, quod mirum mihi videtur, non crederem esse impossibile illum hac de re edocere. Sane populus edocendus est. Sedem Apostolicam habere potestatem solvendi matrimonium ratum non consummatum. Semel edoctus non confundet matrimonium civile cum matrimonio sacramentali ecclesiae.

Non igitur mihi videntur, rationes allatae satis firmae- ac sufficientes, quae probent inopportunitatem dispensationis, supposita non consummatione matrimonii. At hanc ipsam inconsummationem non undequaque certam esse.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Nihil prorsus me movent quae dictitat Dorothea Hobi ad coniugium dissolvendum, a se rite initum die 16 Maii 1887 cum Antonio Kurath, in ecclesia parochiali pagi Flums. Impedimentum equidem ex capite vis et metus imprimis allegat, ut matrimonium nullitatis vitio infectum declaretur ; et eiusdem matrimonii inconsummationem deinde asserit, ut dispensationem saltem consequatur super matrimonio rato et non consummato. Verum haec adeo infirmo innituntur fundamento, ut nullius sententiam sibi hucusque conciliare potuerint. Ut praeteream enim adversum votum religiosissimi Episcopi S. Galli obiectum vis et metus impedimentum unanimi suf-

fragio reiiciunt lectissimi Consultores ; assertam vero matrimonii inconsummationem minime certam eximius Consultor Canonista existimat, dum Consultor Theologus, pluribus fuse docte laudabilique zelo ponderatis censet non esse consulendum SSmo « Ut super eodem (matrimonio) tamquam rato et non consummato dispenset, tum quia de inconsummatione eiusdem non constat, tum quia nedum sufficientes et probae rationes dispensationem suadeant, bonum maius fidelium, ne eadem concedatur, prohibere omnino videtur ».

Huic voto plene adhaereo, et ne acta iterum agere videar, sine mora rogo, ut ad dubia supra inscripta reponatur : *negative.*

Hisce praenotatis, proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

I. An constet de matrimonii nullitate in casu.

Et quatenus negative.

II. *An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata die 14 Aprilis 1894, censuit respondere: *Ad utrumque., negative.*

EX QUIBUS COLLIGES I. Neminem ambigere, vim et metum impedire matrimonia contrahenda, et dirimere contracta ; sed vis et metus talis esse debet, qui consensum ipsum, vel necessariam consensus libertatem destruat.

II. Proinde non omnis metus id efficit, sed tantum metus gravis seu cadens in virum vel feminam constantem ; quando nempe timetur malum vel instans, vel futurum, quod sustineri omnino nequeat.

III. Eiusmodi tamen metus ab allegante iuridice probandus est ; quia nemo praesumitur matrimonium taliter contraxisse , quando de consensu, exterius praestito, Ecclesiae constat.

IV. Metum, quo nullum declarari praesumitur matrimonium, non probari per testes non concludentes quoad circumstantias minarum ; testes enim deponere debent de metu,

de quo in specie agitur, allegando minas, verbera et similia, illati metus indicia.

V. Etenim si testes de metu deponerent non allegantes indicia externa, metum inducentia, non foret eis credendum, quia deponerent de actu mere interno, soli Deo cognito; qualis est metus, consistens in mentis trepidatione.

VI. In themate haec omnia locum sibi vindicare videntur; dum in celebratione huius matrimonii nihil apprehendatur, quod vel levem metum manifestet; et mirum est quod nullus testium conspexerit mulierem accedere ad aram vi metuque gravi coactam.

VII. Aversionem patientis vim perdurasse usque ad actum ipsum matrimonii evincendum esse; quia si adsint intervalla praesumi potest mutatio, praecipue in muliere quae mutabilis est.

VIII. Consummationis matrimonii praesumptionem haberi uti violentam et veritatis locum tenere, quando homo validus, et mulier florens aetate cohabitaverint et in eodem lecto cubaverint.

IX. Violentam matrimonii consummationis praesumptionem haberi loco veritatis donec, praeter conforme coniugum etiam iuratum testimonium, aliae adducantur probationes, inconsummationem citra omne dubium adstruentes, uti est corporis feminei inspectio.

S. IACOBI DE CHILE

DISPENSATIONIS MATRIMONII

De 12 Maii 1894.

Sess. 24 cap. 1 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Carolus Mauro italus iuvenis, in civitate vulgo dicta *Valparaiso,* archidioecesis S. Iacobi de Chile degens, exceptus fuit in domo divitis Antonii Bafico Casanueva, qui Teresiam unicam filiam, nondum 20 annos natam, habebat.

Carolus qui, ut videtur, homo malus erat et auri tantum cupidissimus, ardenter inhians Teresiae divitias, statim de nuptiis cum ea conciliandis, apud parentes agere coepit. Interim callidissimus vir se esse religiosum ac honestis moribus insignitum, Teresiae parentibus venditabat.

Cogitantes itaque puellae parentes, se, eiusdem filiae bono admodum esse consulturos, si huic iuveni eam nuptui traderent, matrimonium hoc puellae suaserunt ; obtentaque a bannis dispensatione, matrimonium rite celebratum est anno 1883, die vero 5 Februarii, coram rectore parochialis Ecclesiae, a Spiritu Sancto nuncupatae eiusdem civitatis *Valparaiso.*

Paucis post diebus quo nuptiae initae fuerant, sponsi, pro recepto more, voluptuarium iter aggressi sunt, ac Urbem petierunt, in qua per octo menses apud parentes viri diverterunt.

Ast haud feliciter. Carolus enim statim mulierem iniuriis et conviciis afficere coepit, atque eo progressus est ut, iuxta ea quae in actis prostant, illam et colapho percusserit. Quare coniugibus in patriam re versis, socer graviter Carolum obiurgavi^ qui hoc aegre ferens, uxori valedixit, abiit, nec amplius reversus est.

Tunc Teresia eiusque parentes cognovisse asserunt impotentiam absolutam Caroli. Retulit enim puella primo post nuptias die Carolum coniugale debitum petiisse, ipsam vero tunc non annuisse ; deinde vero maritalem actum nunquam amplius postulavisse, imo saepius dixisse : impotens ego sum, neque te amare possum; quod puella affirmat, eo tempore non percepisse. Rebus ita stantibus, Teresia supremo Principi, parentibus suadentibus, preces detulit, ut Sacramentale coniugium nullum ob impotentiam viri declararetur, sin minus dispensationem super rato obtineret. Statim die 6 Augusti 1892 datis litteris ad Archiepiscopum S. Iacobi de Chile, munus eidem peragendi omnia, servata forma Benedictinae Constitutionis et Instructione S. Congr. C. cum facultate subdelegandi, demandatum fuit. Tunc ibi, tribunali rite constituto, processuales actus inchoati sunt die 9 Decembris

eiusdem anni, tantum vero quoad matrimonii inconsummationem, cum uxor impotentiae provinciam ob Mauri absentiam deseruerit. Audita fuit actrix, quae iurata asseruit matrimonii inconsummationem; testes deinde septimae manus ab actrice indigitati excussi fuerunt, qui eius religionem, pietatem et veracità tem explicite commendaverunt. Vir autem qui Romae degebat videtur rogatus non fuisse, ut iudicibus se sisteret.

Peracta subinde est, post balneum unius tantum horae quadrantis ob mulieris infirmitatem, corporalis eiusdem inspectio a tribus obstetricibus, a peritis instructis, ipsius Teresiae matre matronae munus obeunte ; qui omnes sub iuramenti fide eandem mulierem unanimi suffragio virginem renuntiarunt. Alter vero ex his medicis una cum magistra Ernestina Perez, obstetricis munere in iudiciali inspectione fungente, iam mense Aprilis 1892 Teresiae corpus extraiudicialiter inspexerat, eorumque de mulieris virginitate relatio in actis reperitur.

His habitis acta ad S. C. C. transmissa sunt.

Vir tum de mandato S. C. C. vadatus fuit, sed comparere renuit.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO MULIERIS. Qui actricis defensionem suscepit, duas in partes orationem suam dispescit, in quarum prima de matrimonii inconsummatione, et de dispensandi causis in altera agit. Et a primo capite exordiens cum primis adducit ipsam Teresiae depositionem testantis, matrimonium consummatum nunquam fuisse.

Huiusmodi vero mulieris iuramentum, quod vir cum ea coire nequiverat, plurimi semper habitum ex SS. Canonum doctrina in *Cap. Proposuisti nobis. De probationibus,* cui concinit textus *in can. Quod autem 29, quaest^ 2, Can. 1* et *Cap.. Continebatur, De despons. impub.,* maximi in themate, attenta eximia mulieris probitate ac religione unanimi suf-

fragio laudata, faciendum esse tuetur orator, hancque confessionem quae animae praeiudicium, si minus vera foret, concerneret, integram mereri fidem, ac esse pro veritate absoluta retinendam iuxta Gloss, in *Cap. Mulier, in verbo Periurii, de iureiurando, et in Cap. Significasti 18, in verb. Credendum, De homicid.*

Nec, pergit, obstare in themate quod iuratae Teresiae depositioni de non sequuta matrimonii consummatione non accesserit etiam illa viri, qui vadimonium iugiter deseruit. Nam Caroli silentium omne conficit argumentum de non sequuta consummatione; quippe quod illius summopere intererat asserere posse, coniugale vinculum indissolubile evasisse, ex quo datum erat miserabilem suam conditionem in melius convertere, quod in nuptiis ineundis unice prae oculis habuit.

Insuper adnotat orator, actricis testimonium nedum generice cuncti testes confirmare, sed et specifice causam non sequutae consummationis matrimonii innuere, id adscribentes impotentiae viri.

Nec refert hos inter testes Teresiae matrem et avunculum Raymundum Cruz accenseri. Nam in primis translatitium est in iure, testes formiter examinatos et iuratos plenam probationem conficere cuiuscumque sint conditionis et qualitatis, ut docet Rota, in *Melevitana, Separat, thori, diei 13 Iulii 1817 cor. Serlupi § 6,* et in *Romana seu Veliterna, Pecuniaria, 20 Ianuarii 1817 cor. Cesarei, et 4 Iulii eiusdem anni cor. Serlupi;* praeterea in causis matrimonialibus parentes ac consanguinei non solum recipi possunt ad testimonium dicendum; verum praeferuntur, quia de rebus agitur quae alioquin resciri nequeunt. Ad rem Card. Cosci *De separatione thori coniug. libr. 3, cap. 8, § 13;* Caelestinus III in *Can. Videtur 36, q. 6* etc. Ex concordibus igitur testium septimae manus iuratis depositionibus una cum actricis, concludit, invictissimum exurgere morale argumentum haud sequutae matrimonii consummationis, quod per se solum sufficeret, iustis extantibus causis, ad dispensationem elargiendam.

Sed opus haud esse, ait, ad testes appellandi, cum in medium proferri possit physicum virginitatis argumentum.

Observat autem in themate corporalem inspectionem ita sollicite et ad regulam fuisse peractam, ut nulla ex praescriptionibus fuerit omissa, quae a sacris canonibus in huiusmodi casibus mandantur.

Tres obstetrices autem ac duo medici sub iurisiurandi fide Teresiae integritatem renuntiarunt.

Itaque quinque in arte periti, argumentatur patronus, iudicium certum et absolutum ediderunt de mulieris virginitate, infertum ex complexu omnium signorum, praesertim ex hymenis integritate, nec non absentia cuiuscumque cicatricis vel fissurae ; quibus positis constantissime ab universis tribunalibus virginitas puellarum et inconsummati matrimonii fuerunt declaratae. Vel enim ista virginitatis sunt evidentissima signa, vel nulla dantur ad virginitatem dignoscendam. Si primum iam certum indubiumque physicae virginitatis argumentum in actrice extat ; sin vero alterum quis retineat, actrix inspectionis tormentum absque ullo levamine subiisset.

Cum igitur in themate, praeter alia virginitatis signa obstetrices in actrice repererint hymenem integrum, in quo omnes anathomiae et medicinae forensis auctores princeps ac indubium intemerati pudoris argumentum agnoscunt, Zacchias, *Quaest, med. leg. lib. 4, tit. 2, q. 1, n. 1 et seqq.;* Bartolini *Inst. Anath. lib. 1, cap. 31 ;* - iam concludit patronus dubitari haud legitime posse, Teresiam adhuc virginem esse eiusque matrimonium dumtaxat ratum.

Quo, ut praerequisito, dispensationis fundamento posito, deinde ad causas dispensationis proponendas gradum facit orator, et primam infert ex moraliter certa viri impotentia. Quam quidem impotentiam imprimis probat actricis testimonio, supra relato : quod cum sit iuratum, et a religiosa muliere editum minime despici potest. Cui accedunt testes Balbina Casanueva; Virginia Montenegro, Herrera de Guna, Raymundus Crux, ac Antonius Montt.

Verum admissa impotentia, saltem uti probabili, primum exinde potissimumque dispensationis argumentum procedit. Hoc enim in casu potiusquam proprie dispensatio, dicitur prudentialis administratio iustitiae, declarata nimirum sub alio nobiliori titulo matrimonii nullitate, uti docet Ursaya *tom. 3\ part. 2, discept. 21, n. 104.*

Alteram dispensationis causam desumit ex maxima animorum aversione, nullaque spe pacis conciliandae et coniugalis consortii instaurandi, quod ad dispensandum gravissimum profecto tradunt Lancellotti penes Ursaya *tom. 3, part. 2, disc. 21, not. 62* ***j,*** Corradus in *Praxi disp. lib. 8, cap. 7, n. 33;* Card. De Luca *Be matr. disc. 9, n. 8,* ac communiter omnes Canonistae. Quod autem haec aversio in casu verificetur indubitanter patere edicit.

Postremam denique petit ex incontinentiae periculo et fornicationis timore, in quo mulier viridem adhuc aetatem agens, naturae praerogativis haud destituta miserrime versatur. Quod periculum actrix optime noscit, quodque ad alias nuptias convolando, praevia dispensatione, effugere intendit. Spiritus autem utilitas petentis dispensationem causam esse ad gratiam concedendam cum communi docet Sánchez *De matr. lib. 12, disp. 15, n. 19.*

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. EX altera parte vinculi defensor praeprimis quoad impactam impotentiam observat, Teresiam tunc demum quum Carolus a se discessit non amplius reversurus, comperuisse, eumdem fuisse virum nullius census, catholicae religionis contemptorem, divitiarum iugiter cupidum, et, quod potissimum ad rem pertinet, maritalibus officiis prorsus ineptum. Quas quidem et alias similes gravissimas accusationes animadvertit, contra Carolum obiicere Teresiam, sed vel nullas vel minime concludentes afferre probationes. Sane de impotentia viri sui, nullam aliam allegat rationem, nisi quod semel vir debitum coniugale petivit, sed mulier recusavit. Deinde non amplius debitum coniugale petivit, aiens id non curare cum esset impotens. Testes vero, notat orator, a Teresia inducti eique addictissimi

id vel prorsus ignorare vel ab eadem Teresia audivisse fatentur.

Post haec validitatis tutor adnotare satagit quod dum S. C. cessit actricis votis petentis, ut processus non ab Emo Urbis Vicario, prout de iure ob viri domicilium et forum, sed a Rmo Praesule S. Iacobi de Chile conficeretur, -expresse voluit, ut idem processus fieret ad formam Instructionis anni 1840, (1) in qua cautum est: « Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente, ad instantiam defensoris matrimonii, ab Episcopo illius dioecesis, in qua morantur, examinandi;... » imo in tenore ipso praefatae concessionis expresse etiam potestatem praelaudato Praesuli S. Iacobi mandavit « subdelegandi pro examine partium et testium, qui extra dioecesim morentur ». Iamvero, instat, numquam Emus Urbis Ordinarius rogatus fuit pro examine viri et aliorum ex septima eiusdem viri manu: nemo ex his sive Romae, sive alibi ad iudiciale examen vocatus est. Idque, ait, plane offendit nedum in tenorem sive Instructionis anni 1840, sive praefati rescripti; sed et in ipsam normam a iure in huiusmodi iudiciis statutam, ceu prae ceteris testatur Gasparri *De Matrimonio num. 1487* - ibi - « Sacri canones requirunt in causis matrimonialibus, maxime si agatur de impotentia aut matrimonii inconsummatione, testimonium septimae manus, ut aiunt, idest attestationem iuratam septem testium ex unoquoque latere, scilicet quatuordecim testium propinquorum, vel saltem, si propinqui desunt, vicinorum ex *cap. 5 et 7 De frigidis et maleficiatis* ». Nil mirum itaque, putat orator, quod Carolus, se suosque omnes septimae manus testes neglectus perspiciens, vadimonium ei a S, C. constitutum ad consuetam dubii formulam concordandam missum fecerit. Perinde forsan id esset ac si iure suo usus fuisset. Neminem enim in huiusmodi iudiciis S. C. vadari solet ad praefatam dubii concordationem, nisi prius contumax fuerit. Ille vero « contu-

(1) Instructio haec relata fuit Vol. IV, 439.

max est, qui tribus edictis propositis, vel uno pro tribus,, quod vulgo peremptorium appellatur, uteris evocatus, prae-, sentiam sui facere contemnit..... (et) contumaces non videntur, nisi qui, cum obedire deberent, non obsequuntur : id est, qui ad iurisdictionem eius, cui negant obsequi, pertinent. » *L. 53 ff. % 1 et 3 De re iudic, et de eff. sentent.*

Quod si contumacia, sequitur orator, non ex iudicis praecepto, sed ex aliorum privatorum rogationibus vel invitamentis dimetienda erit, impune dare posset quae eximius actricis, orator scribit : « Carolus, pluries rogatus, ut in iudicium se sisteret, divitiarum iugiter cupidus, reposuit, se Iudicis praecepto parituram, modo ingens pecuniae summa ei daretur »; quin tamen exinde ipse defensor pronuntiare absolute valeret quae addit nempe : « Perspecta viri contumacia, de mandato S. C. C. vadatus adhuc semel ille fuit. Ceterum Teresia ipsa, quae in libello causae introductivo commemoratas rogationem insinuavit, ut viri contumaciam in antecessum accusaret, Caroli litteras minime exhibuit quibus vir exorabat puellam ut peteret S. Iacobum de Chile ad iudicium nullitatis explendum.

Nec melior, iuxta oratorem, fit actricis causa, si ad examen parumper revocentur quae eius favore ulterius proferuntur. Quod attinet enim ad actricis confessionem allegat *cap. Super eo, 5 De eo qui eo gn. cons.* - ibi - «Tuae fraternitati respondemus quod propter eorum (coniugum) confessionem tantum vel rumorem viciniae separari non debent, cum et quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere... » Quod si ne utriusque quidem coniugis concordi iuramento credi potest, quid si unus tantummodo matrimonii consummationem affirmet ?

Quam doctrinam, ait, perspicue exornat Coscius in *op. De sep. tor. lib. 2, cap. 18 ¿ n. 12:* « Nihil autem ergo facienda est eorumdem coniugum confessio, nisi concludenter assertum impedimentum aliunde probetur, non solum propter suspicionem collusionis, sed etiam quia talis confessio est emissa non contra, sed ad favorem confitentis, qui vult se-

parari, cui proinde prodesse non potest sive vir, sive uxor, sive uterque simul illam emiserit, ut notat *ibid.* Gloss, in *verb. Confessionem,* cum nemo testis esse possit in causa propria. *L. Nullus 10 ff. De testibus, L. Omnibus 9 Cod. eod.* »

J Jeque septimae manus testimonium maioris ponderis esse defensor putat : quippe de testibus agitur unius lateris actricis et eidem addictissimis, qui nullum praeterea indicium percipere ipsi potuerunt quoad coniugum conversationem, nihilque ab aliis scire quam ab ipsa actrice et quidem tempore plane suspecto. Siquidem recolit sponsos brevissimo tempore in civitate Valparaiso commorasse, ceu eadem actrix narrat. Eodem igitur tempore, quo actrix consilium iniit iugale viniculum dissolvendi, dictitare etiam coepit quae ad finem sibi praestitutum magis conducere existimabat : atque ita praefati testes, tempore prorsus suspecto, edoceri sensim potuerunt, sensimque etiam suaderi-de opinione credibilitatis dictorum eiusdem actricis.

Nec satis, pergit orator, testes in iudiciali examine prius de actricis depositione diligenter instructi fuerunt, ac postea de praefatis circumstantiis interrogati. Ceterum licet generice actricis dictis credere ipsi dicant, in specie tamen, et praesertim super asserta matrimonii inconsummatione, quae caput et cardo quaestionis est, non aliter deponunt quam super impacta viri impotentia.

Pariter specimen in actricis corpore peractum haud movet vinculi defensorem, quippe quod non brevi post abruptam sponsorum cohabitationem tempore locum habuit, sed post novem fere annos, cum vir ab uxore discesserit. Sedulo eapropter ponderanda huc veniunt quae affabre in hoc speciali casu docet Zacchias *Quaest, med. leg. lib. 4 tit, 2, quaest. 3, n. 1 et seq.* - ibi - < Advertendum est... quod si mulier unico congressu violata de recenti fuerit, certum est maiorem difficultatem affuturam in eius rei cognitione. . . . Multo magis operosum fuerit cognoscere corruptam virginitatem unico congressu patratam a multo tempore citra, et ea de re in

hoc casu praesumptionibus et coniecturis magis utendum censeo; quia signa per partium inspectionem habita, leviuscula sunt, et vix quicquam de veritate attestati poterint. Licet enim in primo congressu facta fuerit violatio et destructio panniculorum et caruncularum, simul cohaerentium et ipsorummet laterum uteri; tamen si dehinc a coitu abstinuerit mulier, adeo invicem cohaerescunt ipso quoque sanguine qui in primo concubitu emanavit mediante, ut maiorem interdum angustiam prae se ferant, quam ante amissam virginitatem facerent, quod adnotabat etiam Sever. Pinaeus *De not. vir g. I. i, c. 7,* ita ut hinc deducat ille posse etiam in muliere, quae gravida sit, conspicuas virginitatis notas apparere;... quod cum ita sit, nullas notas, nullaque coniecturalia saltem signa, quae medica inquisitione haberi possint, invenio, quorum medio ad dignotionem corruptae virginitatis in hoc casu devenire liceat, nisi ipsorum panniculorum integritatem et cohaerentiam adducamus, quae tamen et potest adhuc servari in corrupta, et abesse in ea quae corrupta non sit, multis aliis ex causis ». Ut periti medici subinde aliquid in similibus casibus probabiliter coniectare valeant, plura idem Zacchias *loc. cit. num. 8 et seq.* indigitat adamussim animadvertenda, quae in themate minime observata perspicit defensor, sed contra omnia festinanter absoluta fuisse vult, ita ut nec scripta relatio facta fuerit ad normam instructionis *anni 1840 § Iudex.* Postremo medentium testimonium haud censet a studio partium immune, cum Ernestina Perez, et Ioseph Aguirre actricis corpus, octo ante menses, extraiudicialiter iam perlustraverant, testimoniumque reddiderant. Timet demum ne alter medicus aliaeque duae obstetrices in illorum auctoritatem et praestantiam respective iuraverint; eo vel magis quod in iudiciali examine nemo prorsus medicorum aut obstetricum dubium conceperit, quod in praefata extraiudiciali relatione adnotarunt Doctor Aguirre et Magistra Ernestina Perez, videlicet: quod si aliquis deflorationis gradus existit, nempe quod hymen leviter affectus sit, id est tribuendum conatibus coitus, aut labori manuum.

Post haec de dispensationis causis agendum esset, sed quoniam ex dictis haud probatam inconsummationem existimat orator, supervacaneum ducit in longum orationem protrahere.

Hisce utrinque delibatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casti,

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 12 Maii 1894, censuit respondere : *Affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES : I. Plurimi haberi a sacris canonibus iuramentum mulieris asserentis, virum cum ea coire nequivisse ; praesertim si eadem ex unanimi suffragio probitate et religione praefulgeat.

II. In causis matrimonialibus consanguineos et parentes recipi, et saepe aliis praeferri ad dicendum testimonium, utpote qui facilius noscere possint ea quae extraneos lateant.

III. Signum princeps physicae virginitatis a canonica iurisprudentia censeri hymenis integritatem, cum absentia cuiuscumque cicatricis vel fissurae.

IV. In themate sufficienter e victum fuisse per artis medicae peritos argumentum intemerati pudoris in corpore mulieris non defuisse.

COSENTINA

FUNERUM

Die 24 Februarii 1894

Sess. 24 Cap. 1 De reform.

COMPENDIUM FACTI. In Archidioecesi Cusentina, post iniquas conventuum religiosorum leges eversivas, nonnullorum pagorum Municipia, annuente gubernio, religiosorum ecclesias interim deputarunt in publica coemeteria; donec nova construantur ab habitationibus remota, ad tramites vigentium

dispositionum. At uti alibi passim factum est, in hac archidioecesi suas domus a privatis emptoribus redimere et sibi vindicare potuerunt religiosi FF. Minores Observantes, in oppido Rende, et FF. Minores Reformati in oppido Pietrafitta. Cum vero huiusmodi ecclesiae iam destinatae fuerint in publicum coemeterium, non solum in paroeciis horum oppidorum omnium fidelium cadavera sepulturae mandari debent in ecclesiis religiosorum; sed etiam funera diei tumulationis, nec non diei tertii, septimi, trigesimi et anniversarii ab obitu ibidem fideles celebrari volunt ubi defunctorum cadavera reposita fuerunt. Per aliquod tempus parochi et religiosi sua iura amice conciliarunt: at discordiae non defuerunt occasiones, praetendentes parochi, quacumque non obstante religiosorum exceptione, suorum fidelium cadavera sociare in eorumdem ecclesias, ibique, ad postulationem fidelium, quaecumque funera persolvere; ex adverso religiosi opponentes suam exemptionem suaque in funeribus privilegia.

Ad rem componendam Archiepiscopus, cum ob exhaustas aerariorum municipalium vires spes non affulgeat quod coemeteria in ordinarium statum redigantur recursum habuit ad S. C. C sub die 3 Februarii anni 1892 quaerelarum causas exponens et haec EE. PP. resolutioni proponens dubia: I. *An ius recitandi officium, super fidelium cadaveribus, absolutiones impertiendi et missas canendi in ecclesiis Franciscalium, in publicum coemeterium addictis, competat religiosis aut potius parochis in casu.* II. *Et quatenus affirmative favore parochorum; an eisdem, f aner a diei tertii, septimi, trigesimi et anniversarii indiscriminatim competant in casu.*

Disceptatio synoptica.

IURA PAROCHORUM. Parochi prae primis animadvertunt, non iure religiosos sibi absolute vindicare sua privilegia; nam eorum ecclesiae fidelium cadavera excipiunt cum a civili auctoritate declarata sint publica coemeteria, proindeque rem versari extra iuris communis intentionem.

Revera fideles non sibi eligunt ibi sepulturam, non ibi, paucis exceptis, habent sepulchrum gentilitium, sed publica auctoritate cogente tumulari debent in religiosorum ecclesiis. Ante inhibitionem civibus factam eligendi sepulturam in ecclesiis parochialibus, fere omnes in iisdem petebant sepulturae demandari.

At fideles volunt, ut funera peragantur super demortuorum cadaveribus ; unde, posthabita ecclesia parochiali, expetunt, ut funerum officia etiam diei tertii, septimi, trigesimi et anniversarii peragantur in ecclesiis regularium. Iamvero si parochi ab his funeribus excludantur ad tramites iurium religiosorum, eorum ecclesiae iam pauperes, huiusmodi emolumentis destitutae, ad supremam egestatem redigentur, adeo ut cultui divino satisfacere et animarum curae nullimode poterunt.

Nec potest expeti a fidelibus, ut aliunde ecclesiarum necessitatibus subveniant vel aliud in paroeciarum ecclesiis peragant funus : sunt enim admodum pauperes illorum oppidorum incolae ut aegre modesti unius funeris expensas ferre valeant.

Unde parochi advertunt, non tantum iurium et privilegiorum iuris positivi negotium esse, sed praecipue iuris naturalis ; parochi enim iam plurimis expensis onerati, gravioribus subsunt taxis ob a fisco praesumpta emolumenta *stolae nigrae;* quae si omnino deficiant, taxis remanentibus, parochi impares expensis et taxis ferendis debebunt ecclesias clausas derelinquere.

Parochus oppidi Rende specialem ad se quod attinet allegat rationem, nempe in conventu FF. Minorum Observantium non adesse tres religiosos pro solemni missa canenda, sed unum tantum regularem sacerdotem, ita ut religiosi nec ipsi possunt satisfacere piae fidelium petitioni, eodem tempore hoc perficere impedientes parocho.

Parochus vero loci Pietrafitta, notat se advenam esse in illo oppido, nec amicos, nec coniunctos, nec alias relationes cum parochianis habere, ita ut deficientibus ordinariis emolumentis, se in extraordinariis nihil sperare posse.

RELIGIOSORUM IURA. Ex adverso religiosi locorum Rende et Pietrafìtta in primis conveniunt in sibi asserendis propriorum ordinum privilegiis, ex quibus aperte inducunt, parochos nullum habere ius funera peragendi in eorum ecclesiis.

Insuper adnotant, parochos non posse in religiosos culpam appingere violationis iurium parochialium, cum praesens dispositio, ipsis invitis, a Municipio lata sit. Se vero, in hisce facti circumstantiis, debere sua privilegia et iura sarta et tecta tueri, quippe quae non personarum, sed ordinis sunt quibus renunciare non possunt sine S. Sedis beneplacito. Ceterum putant rem non acri controversia dignam esse, quia Municipii decretum est transiens et precari um. Parochis vero integrum omnino esse ius peragendi officium super cadaveribus in propriis ecclesiis et celebrandi quodcumque aliud funus, dummodo associando cadaver ad ecclesiarum regularium ianuam tantum, recognoscant sibi amplius in idem nullum ius superesse.

Peculiares autem rationes FF. Minorum Observantium loci Rende affert conventus guardianus, aiens, se iamdiu tollerasse morem parochorum non servandi iura religiosorum, sed mense Ianuarii anni 1891 ministrum provincialem, re cognita, sibi imposuisse onus impediendi parochis huiusmodi violationem. Guardianus, adiens Archiepiscopum, rem ita composuit, ut parochi eorum ecclesiam ingrederentur, cadaver associantes et funus, praesente cadavere, tantum peragerent. At minister provincialis, nisus praesertim cuidam recenti decisioni S. C. EE. et RR. (quae decisio non citatur), putavit se debere omnino quemcumque ingressum in dictas ecclesias parochis denegare.

FF. Minores Reformati oppidi Pietrafìtta in suam particularem causam adnotant in eorum ecclesia quinque adesse sepulchra gentilitia ab origine eiusdem conventus, et religiosorum privilegia semper servata fuisse, unde novas et scandalosas dicunt parochorum exigentias.

Insuper advertunt non solum qua religiosos ius habere

ad funera peragenda in suis ecclesiis, sed etiam qua animarum pastores, cum ipsi in oppido etiam pastoralem curam in fideles exerceant.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO FAVORE RELIGIOSORUM. In aprico est, Religiosos pleno gaudere, in casu, iuris favore, quippe qui tuentur privilegia a iure communi ipsis concessa, unde in iudicio habent favorabilem possessorum partem et pro sua instantia intentionem in iure fundatam. Quapropter Parochi, si quid iuris habeant, probare debent.

Quia vero ex violenta Ordinum Religiosorum suppressione per Civile Gubernium, necessitate cogente Religiosi saepius sua iura exercere amplius non possunt, nihilominus in themate Regulares ab aequitate iuris amplam habuerunt tutelam circa sua iura in genere, et circa ius funerum in specie.

Nam constitutum est uti principium fundamentale in huiusmodi controversiis, quod quaecumque mutatio status Ecclesarium Regularium circa iura, onera et privilegia iis inhaerentia non potest haberi nisi per auctoritatem Sanctae Sedis, uti decisum est in *Per guian a* 18 Decembris 1824, in *Firmana, Iuris Funerandi,* 21 Novembris 1840, in *Ravennaten. Funerum,* 17 Martii 1781, in *Tiburtin. Iuris tumulandi,* die 17 Martii 1821. At praesertim attendenda est decisio data in *Forolivien. , Iuris funerandi,* 17 Sept. 1871. In hac facti specie ut Parochus, in cuiusparoeciae finibus extabat quaedam Carmelitarum Ecclesia, contenderet cessasse ius sepeliendi, quo dicta ecclesia, ante iniquam suppressionem, fruebatur ; quia de facto quamvis non de iure Ordo Carmelitarum in illa ecclesia amplius non vigebat, at propositis dubiis : I°. *An Ecclesia Carmelitarum adhuc gaudeat iure sepeliendi seu funerandi, ita ut ad eius Rectorem spectet officium funebre peragere super cadaveribus defunctorum in eadem sepulchrum gentilitium habentium.* > 2°. « *An et quae emolumenta competant Parocho in casu;»* S. C. C. reponere censuit: Ad 1. *Affirmative,* salvo iure *parocho domicilii defuncti pro quarta*

funerum, iuxta consuetudinem loci; 4d 2. *Negative in casu speciali de quo agitur.* Quo circa sapientissimo responso ius sepeliendi recognitum fuit quasi ius reale ecclesiae adhaerens, independens a iuribus Ordinis Religiosi, uti etiam apertius definitum fuit in *Ravennaten. Funerum,* 17 Martii 1781, qua sententia ius sepeliendi seu funerandi vindicatum fuit ecclesiae S. Hieronymi, quamvis non amplius pertineret ad PP. Societatis Iesu, legitima auctoritate suppressus.

Quando vero ecclesia iure sepeliendi seu funerandi gaudeat omnia emolumenta ad ecclesiam tumulantem spectant, praeter portionem canonicam parocho debitam, per quam iuribus parochialibus satis provisum esse decernit Clement. *De sepult, cap. Dudum § Verum* Conc. Trid. *Sess. 25 De Reform. 13,* nec non S. C. C. in *Pisauren., quartae funeralis,* 26 Ianuarii 1824, in *Tiburt.* 17 Martii 1821 ad II Dubium, in *Auximana Iuris tumulandi* 20 Nov. 1830 ad II Dub.

Praeterea cum certum sit Religiosis nonnulla iura competere tantum quando in Conventibus degunt sub disciplina regulari, tamen data opera Summus Pontifex ne afflictis afflictio adderetur cavit ut quo minus fieri possit derogatum foret Religiosorum iuribus. Revera quia Innocentii X provida Constitutione *Instauranda* suppressit parvos Regularium Conventus; et dein alia Constitutione *Ut in parvis* nonnullos ex his in pristinum restituit eosque subiecit Ordinariis, tamquam Sedis Apostolicae Delegatis, donec ipsorum Conventuum reditus alere possent duodecim Religiosos; ne huiusmodi dispositiones nimis percellerent conventus a civili gubernio suppressus S. Poenitentiaria post Instructionem datam sub die 18 Aprilis 1867 circa relationes inter Regulares iniuria suppressus in Italia et locorum Ordinarios, eodem in themate sub 12 Septembris 1872 aliqua dedit responsa iuridica. Quorum primum ita se habet : *Cum Sacra Poenitentiaria Epistola data sub die 18 Aprilis 1867 decreverit n. 3 — Domus Regulares, civiliter suppressas, dummodo*

in eas, tres saltem, ad ibi dedendum conveniant Regidares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, iurisdictioni Ministri Provincialis fore subiectas, easque regendas esse per superiorem peculiarem ibi constituendum: — Quaeritur I°. Quomodo si gerere debeant Superiores, Provinciales et Locales dum Ordinarius loci subiicere vult Sacrae Visitationi Ecclesias et domos ac visitationi ita dictae auriculam Regulares qui in numero ternario simul habitantes Ecclesias ipsas et domos sui Ordinis tenenti — Et rescriptum fuit: Ad I. *Praedictas Ecclesias ac domos nec non Religiosos ibidem degentes eadem immunitate gaudere a iurisdictione Ordinarii qua antea fruebantur.*

Quocirca nullo iure videretur posse Religiosorum in casu impugnari intentio: nam per citatam Poenitentiariae dispositionem suo effectu contra suppressus Regulares destitutae sunt Innocentianae Constitutiones.

FAVORE PAROCHORUM. Et primo ad Regularium deductiones quod attinet, advertendum, nec Parochos nec ipsum Ordinarium posse fideles non solum cogere, sed neque nimis sollicitare ut funus peragant in ecclesiis parochialibus. Quandoquidem cadaver associare antea ad paroecialem ecclesiam maiores importet expensas, et postea, cadavere sepulturae demandato in Ecclesiis Regularium, est omnino conforme etiam Iuris Canonici intentioni, ut ibi peragantur officia funebria, ut unanimiter docent Doctores et advertit Cl. Santi, *Praelec. Iur. Can. 'Lit. de Septdturis n. 6.*

Nec etiam interest Municipii decretum esse precarium, nam hic agitur de iuribus componendis decernendo quodnam sit potius in casu; imo adverti posset huiusmodi decretum apprime excedere limites privilegii Regularibus concessi quoad funera, quum ius canonicum permittat fidelibus eligere sepulturam apud Regulares : et Municipii decretum potius est eversionem iuris Canonici cogens fideles ad sepulturam assumendam apud Regulares.

At directe hanc quaestionem attingunt Innocentii X citatae Constitutiones, quarum vis proinde in casu sedulo con-

sideranda est. Monacelli *Form. leg. For. Eccl. part. 2, Tit. 13, formul. 1 num. 70,* perpendens decreta Urbis et Orbis S. Reformationis Congregationis anni 1703 ad vigesimum dubium haec habet « Vigesimum decretum iuridicum omnino est, quia cum indubitanter ius sepeliendi suos parochianos sit de iuribus parochialibus ut docent Medie. *De Sepult, q. 10, n. 1 ;* Rota, *coram Coccino decis. 1213 n. 2,* sequitur quod etiam ius faciendi officium funebre super cadaveribus tamquam connexum et dependens privative ad parochum spectat: Samuel *De Sepult, disp. 3 cont. 2 n. 19 et cont. 7 num. 46....* et non tantum in Ecclesiis Regularibus intra fines paroeciae, sed etiam Regularibus illorum conventuum qui vigore constit. Innocentii X §§ Bullar. IV quae incipit: *Ut in parvis* iurisdictioni subiacent Ordinariorum, in his, inquam, non a regularibus sed a parocho ad quem spectat, officium funebre super cadavera explendum erit, ut observat Romaguer. *Ad Synod. Qerund. lib. 3, t. 9, cap. 3 num. 22 ».*

Unde videtur attendenda intentio Pontificis qui subiiciendi) parvos conventus Ordinariorum iurisdictioni vel eosdem supprimendo, non rationem habuit causae paupertatis vel exiguitatis horum conventuum ut eorumdem conditionis potius miseraretur, sed attendens, disciplinam regularem observari non posse in huiusmodi conventibus et magna privilegia perpaucis Religiosis comparata potius cedere in destructionem, quam in Ecclesiae Christi aedificationem, statuit ut conventus fundati ante decreta de celebratione Missarum die 21 Iunii 1625 edita a S. Congregatione Conc. et approbata ab Urbano VIII si haud duodecim habeant Religiosos, subiectos esse iurisdictioni Episcopi in concernentibus non solum disciplinam ecclesiasticam, sed et Institutum Regulare. At ipse Summus Pontifex in Decreto *Ut in parvis* restituit nonnullos conventus antea suppressus Constitutione *Instauranda* ea conditione, ut si sex Religiosos minime habeat, subiecti sint iurisdictioni Ordinarii, tum quoad Ecclesiasticam disciplinam, tum quoad Institutum regulare, uti reposuit S. C.

Super Stat. Reg. *sub die 27 Iulii 1626.* Conventus vero fundati post dicta decreta si duodecim Religiosi nequaquam habeant, subiecti utique sunt iurisdictioni Episcopi, at circa dumtaxat disciplinam Ecclesiasticam, non item circa Regulare Institutum. Nam in duobus prioribus casibus Ordinarii exercent potestatem sibi delegatam a S. Sede, in postremo casu propriam ordinariam: ita Pignat. *Constat. Can. Tom. 2 consult 136 n. 24* et Dei Bene *De Immunit. p. 2, c. 24, dub. 21, n. 5* et Ferrari *Bibliot. Can. art. 2.* verbo *Conventus.*

Quapropter sive Urbanus VIII sive Innocentius X sufficienter suam mentem docuerunt, subiiciendi scilicet Ordinariis Conventus in quibus Regularium nimis exigua familia habitat, et alibi etiam hoc docuerunt Clemens VIII, Gregorius XV, Urbanus VIII et Innocentius X in suis respective Constitutionibus concernentibus novorum Conventuum erectionem.

Modo quid nuper induxerit moderna disciplina considerandum. S. Poenitentiaria in Instructione 18 Aprilis 1867 et in relativis responsis iuridicis 12 Septembris 1872, voluit quantum fieri potuit tueri familias religiosorum iniuste et violenter suppressas et proinde dum Innocentius X declaraverat familiam Religiosam ad minus constare debere sex Religiosis, quorum quatuor essent Sacerdotes, Sacra Poenitentiaria ob diversam rerum conditionem statuit in laudata Instructione n. 3: « *Domus Regulares civiliter suppressas, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum conveniant Regulares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, iurisdictioni Ministri Provincialis fore subiectas ; easque regendas esse per Superiorem particularem ibi constituendum* ». Unde Poenitentiaria tribus Regularibus, quorum unus sit Sacerdos concessit familiam Regularem constituere posse. Consequenter hanc familiam subiecit quoad disciplinam regularem eius Superiori; quoad externam vero disciplinam Ecclesiasticam Ordinario loci videtur subiecti remaneant huiusmodi parvi conventus. Alia enim mutatio facta ab hac Instructione Poe-

nitentiariae est ut in huiusmodi parvis familiis quoad disciplinam regularem subiaceant privative iurisdictioni superioris regularis; quum antea ob decreta Innocentii X etiam quoad disciplinam regularem suberant cumulative iurisdictioni Ordinarii loci et superioris Regularis, uti probat Fagnanus *Comm. ad c. 7 De Off. Ord.* , innixus resolutioni authenticae S. Congr. super statum Regularium. Ius vero commune non abrogatur posterioribus dispositionibus, nisi quatenus cum iisdem conciliari non possit.

Quapropter S. C. C. die 23 Augusti 1873 huic tertio dubio proposito *per summaria precum* , scilicet : *Cum in quodam pago eiusdem Dioecesis parvus conventus extet sub titulo S. Restitutae Virginis et Martyris, in quo a primaeva sua fundatione, anno 1602 sequuta, tres semper Religiosi, quorum duo Sacerdotes, habitavere, quaerebat* (Episcopus) *an liceat Epñscopo Dioecesano vigore Decreti — Ut in parvis — 10 Februarii 1654, visitare huiusmodi Conventum, Ecclesiam et personas Regulares ibi degentes;* responsum prodiit: Ad 3 *Affirmative.*

In themate etiam animadvertere praestat quomodo in oppido Rende, nec tres extant in Conventu Religiosi, sed unus Sacerdos et alius conversus ; de oppido Petrafitta ex actis nihil constat.

Quantitatem vero emolumentorum et qualitatem et iura determinare circa officia funebria peracta die tertio, vel septimo, vel trigesimo S. C. C. semper repetere consuevit a legitima consuetudine locorum, uti decisum fuit in citatis *Bergulana, Tiburtina, Forolioien.*

Hisce omnibus hinc inde animadversis proposita fuerunt diluenda

Dubia

1. *An ius recitandi officium, super fidelium cadaveribus, impertiendi absolutionem, celebrandi Missas in Ecclesiis Franciscalium in publicum coemeterium addictis, competat Regularibus vel potius Parochis in casu.*

Et quatenus affirmative favore parochorum.

II. *An eisdem funera diei tertii, septimi, trigesimi et anniversarii competant, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii re discussa sub die 24 Februarii 1894 censuit respondere: *Episcopo qui proponat concordiam de consensu partium ineundam.*

CAUSAE PROSECUTIO. Die 24 Februarii currentis anni, in hac controversia, proposita fuerunt dubia « I. *An ius recitandi officium super fidelium cadaveribus, impertiendi absolutionem, celebrandi missas in Ecclesiis Franciscalium in publicum coemeterium addictis, competat Regularibus vel potius Parochis in casu* ».

Et quatenus affirmative favore parochorum: « 2. *An eisdem funera diei tertii, septimi, trigesimi, et anniversarii competant, in casu* » ; quibus respondere placuit « *Episcopo qui proponat concordiam de consensu partium ineundam* ».

Episcopus, iussa faciens, inter partes concordiam conciliare aggressus est, sed incassum, uti refert aiens: conatus sum ad concordiam ineundam ducere partes; sed frustra.

Etenim Pater Provincialis, a me rogatus, hoc dedit responsum : fideles qui morantur in locis ubi officiantur Ecclesiae Religiosorum, libere queunt funeralia peragere apud Ecclesias paroeciales; quod si fideles praeferant Ecclesias religiosorum, hi cedere nequeunt privilegiis, aut iuribus, in contrarium.

Hisce animadversis reproposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An ius recitandi officium super fidelium cadaveribus, impertiendi absolutionem, celebrandi missas in Ecclesiis Franciscalium in publicum coemeterium addictis, competat Regularibus vel potius Parochis in casu.*

Et quatenus affirmative favore Parochorum.

II. *An eisdem funera diei tertii, septimi, trigesimi et anniversarii competant, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 14 Iulii 1894 respondit: *Firmo manente iure regularium celebrandi officium funebre super cadaveribus defunctorum, sepulchrum gentilitium in Ecclesia regularium habentium, et eorum qui sepulchrum inibi elegerint ; quoad reliqua placere de concordia, inter quindecim dies ineunda, praesentibus perdurantibus circumstantiis, valitura; quo termino inutiler elapso, Archiepiscopus schema concordiae cito conficiat et ad S. C. transmittat.*

MEDIOLANEN.

MATRIMONII

Die 12 Maii 1894.

Sess. 24, cap. 5 De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Die 16 Decembris anni proxime elapsi, proposita fuit causa nullitatis matrimonii inter Adelaidem Rivolta et Antonium Belloni Mediolanensis Archidioecesis», ac disceptato dubio: *An constet de matrimonii nullitate in casu:* responsum prodiit: *Non satis constare* (1).

Cum autem haec decisio haud arrisisset actrici, preces Tribunali ecclesiastico mediolanensi obtulit, ut dispensationem a matrimonio rato et non consummato obtinere posset. Curia Archiepiscopalis tunc novo interrogatorio actricem subiecit, ac curavit ut eius corpus a medico, ad hoc delegato, inspiceretur, qui in scripta relatione et in iudiciali examine autumavit, mulierem numquam sustinuisse coitum coniugale. Mulier vero subiecta novo examini respondit: sese confirmare depositiones, quoad hoc, alias in iudiciali examine peractas; nempe quod numquam habuit cum viro perfectam coniunctionem carnalem, ita ut si hymen aliquod detrimentum passus sit, id evenit digito viri, minime vero ex congressu matrimoniali.

(1) Relata fuit Vol. XXVI, 470.

Disceptatio Synoptica

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Redit causa matrimonii inter Adelaidem Rivolta et Antonium Belloni die 12 Septembris anno 1889 initi.

Rationum momenta, quibus matrimonium ob viri impotentiam irritum coniuges proclamabant, expensa sunt generalibus in comitiis die 16 Decembris anni nuper elapsi habitis, et Amplissimus Vester Senatus ad dubium « *An constet de matrimonii nullitate* » sapientissime rescripsit: « *Non constare.* »

Hodie confugiunt ad extraordinarium dispensationis remedium, sed omine haud meliori. Nam physica Adelaidis virginitas, quae potissimum in huiusmodi iudiciis argumentum suppeditare solet, praesenti in causa infirmo innititur fundamento.

Enim vero unus tantum medicus corpus Adelaidis recognovit. Iam vero unus testis, nullus testis. Nec ulla ex sanctissimis legibus, ad veritatem in difricillimo hoc negotio meliori, quo fieri potest, modo assequendam atque fraudes vitandas collusionesque, invectis, servata est. Non balneum adhibitum, nec intercessit honesta matrona.

Hisce non obstantibus denuntiatur hymen haud integer omnino; de quo discrimine Oratrix culpat digitum viri. Sed cantiunculas huius generis canere facilius est quam suadere.

Neque me movet medicus cognitor, dum inquit : quando habetur coitus regularis, vestigium manet a nemine infitiandum. Eiusmodi vestigium non reperi in corpore mulieris. Nam irreparabilia prorsus, nec levia sint oportet fractionis vestigia, quae lapsu quatuor annorum, qui a dissociatione vitae coniugalis effluxerunt, reparata non sunt, nec a medico cognitore *absque balneo,* negari possunt. Neque medicus vel a longe indicia designat, quibus vestigia veretri a digiti vestigiis distinguantur.

Quibus animadversis, propositum fuit enodandum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?

RESOLUTIO. Sacra C Concilii sub die 12 Maii 1894 re disceptata, censuit respondere : *Attentis residtantiis ex processu super nullitate, affirmative, cetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta sacra Congregatione.*

ROMANA

DUBII IURIUM PRAEPOSITURAE CAPITULARIS

Lie 14 Iulii 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Illmus et Revmus Dominus S. C. de Propaganda Fide a Secretis, ad S. C. C. transmisit sequens dubium, illi S. Congr. propositum ab Archiepiscopo S. Andreae et Edimburgi in Scotia, ita conceptum :

« In Capitulo Nostrae Ecclesiae Cathedralis exorta est controversia circa ius quod habeat Praepositus, sede vacante, sese immiscendi functionibus Cathedralibus, quas Episcopus ipse dum viveret obire deberet v. g. Feria V et VI et sabbato Maioris Hebdomadae. Hoc quippe ius Praepositus sibi vindicabat, negabat Administrator Cathedralis ; reliqui quoque Canonici in diversas abierunt sententias. Videtur igitur expedire, ut regula certa et legitime sancita constituatur, ne locus amplius sit eiusmodi disceptationibus.

« Difficultas inde exurgit quod Capitula Cathedralia apud nos, ob specialia nostra adiuncta, modo extraordinario et exceptionali constituantur; unde dubium facile oriri poterit num in quibusdam adiunctis ius Ordinariorum vim suam retineat, an potius diversus ordo agendi ex diversa Capituli constitutione ultro sequatur.

« In quaestione omnino, quod sciam, nova et satis difficili non ausus sum decisionem proponere ; sed exhibeo sententiam ad quam, re perpensa, adductus sum.

« Haec sunt quae *sentio de casu* supra exposito :

« Canonici *iure ordinario* tenentur : I. Ad residentiam. II. Ad officium divinum in Cathedrali quotidie persolvendum.

« Apud nos vero : I. Canonici non resident prope -Cathedralem ; hoc enim fieri non potest ; sed adscripti sunt variis per totam Dioecesim Ecclesiis, curam animarum adnexam habentibus. II. Haec adscriptio Ecclesiis aliis cum cura animarum componi non potest cum quotidiano officio in Cathedrali persolvendo. Quapropter per Rescriptum S. C. de Propaganda Fide die 21 Martii 1886 a S. Sede Capitulo Metropolitano indultum est: I° Ut semel tantum in quolibet mense conventum agere teneatur. 2° Ut recitatio Horae Tertiae ante missam solemnem pro officio chorali sufficiat.

« Hinc videtur colligendum : 1° Obligationi residendi substitutam fuisse obligationem propriis missionibus inserviendi. 2°. Canonicorum cum Cathedrali connexionem non amplius subsistere, nisi quatenus debeant semel in mense ibi convenire, et si quando debeant forte Episcopo solemniter celebranti assistentiam praebere. 3°. Extra hos casus officia divina in Cathedrali velut quasi parochialia habenda esse, et ad Praepositum aliosve de Capitulo (excepto Administratore Cathedralis) nullo modo pertinere eis interesse ».

Rescriptum dispensationis , cui innititur Archiepiscopi quaestio, est sequentis tenoris :

« Decreto S. C. de Propaganda Fide dato die 21 Apr. 1852 exempti fuerunt Canonici in Anglia ab onere residentiae penes Cathedralem, et sacri officii persolvendi, ita tamen ut in Synodo provinciali Episcopi curarent de nonnullis diebus designandis, in quibus Canonici Chorum adire atque officia peragere tenerentur. In Synodo autem Westmonasteriensi prima statutum fuit quod singuli Canonici quolibet mense convenirent ad Ecclesiam Cathedralem, et recitarent psallendo Tertiam officii currentis, et deinde assisterent Missae solemni.

« Archiepiscopus S. Andreae et Edimburgi humiliter petit ut, attentis adiunctis, quae in Scotia et in Anglia similia sunt, Capitulum Metropolitanum : I° Semel tantum quolibet mense conventum agere teneatur; 2° Ut recitatio Horae Tertiae ante Missam solemnem pro officio chorali sufficiat.

« Ex Audientia SSmi habita die 21 Martii 1886 SSmus Dnus Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto Archiepiscopo Tyren., S. Congr. de Propaganda Fide Secretario, porrectis precibus benigne in omnibus annuere dignatus est, pro gratia, iuxta petita ».

Disceptatio Synoptica

Uti innuit Archiepiscopus quaestio nova est, cuius solutio proinde solummodo ex generalibus iuris communis principiis est repetenda. Iamvero cum primis advertatur certum esse, Capitulum Cathedralis Ecclesiae in casu adhuc perdurare, nec dissolutum esse, quamvis residendi obligatio sit, fere ex integro, relaxata, remanente tantummodo onere ut « Capitulum Metropolitanum I°, semel tantum quolibet mense conventum agere teneantur etc. » Atqui ne intelligi quidem potest onerum Capitulorum dispensatio et reductio, nisi Capitulum in suo esse perseveret. Remanente vero Capitulo, dispensatio in suis oneribus est odiosa et strictae interpretationis ; est enim vulnus iuris communis ; prout communiter exponunt omnes Canonistae. Verum ius commune hoc in puncto est exploratissimum. Siquidem in causis *Novariensi 8 Iulii 1724,* et in *Mediolanensi 26 Aprilis 1723,* cum quaereretur an Praeposito Capitulari, sede vacante, utpote primae dignitati competerent functiones de quibus agitur in casu ; repositum fuit, *affirmative*, favore Praepositi. Unde Parochus sive Cathedralis Administrator videtur non sibi posse exclusive vindicare celebrationem functionum in casu, quia praevalet ius Capituli ; quod ius aliunde non prohibetur per rescriptum dispensationis.

Sed ex adverso si magis spiritui particularis dispensationis quam literae inhaerere velimus, videtur potius acce-

dendum sententiae Archiepiscopi. Nam in casu pro singulis canonicis onus personalis et laboriosae residentiae apud Cathedralem, ex benignitate Pontificis commutatum fuit in obligationem residendi in respectivis Ecclesiis Missionum, quasi Paroeciis; quocirca oneri recitandi in choro quotidie horas canonicas subrogatum fuit officium parochiale, salva tantummodo obligatione conveniendi semel in mense ad Missam conventualem celebrandam ob non extinctum Collegium Capitulare, uti iam dictum est. Quia Canonici pro lubito non possent susceptas Ecclesias derelinquere, ut vacarent officio canonicali potiusquam curae animarum ; ita videtur incongruum quod in Maiori Hebdomada suas oves derelinquant, eosque pabulo privent Sacrarum functionum quando Ecclesia ad easdem enixius fideles invitat et incitat. Ceterum Praepositus non posse videtur sibi arrogare ius peragendi has sacras functiones in Ecclesia Cathedrali, qua Capituli Caput, nisi Capitularibus adstantibus seu conventum Capitularem agentibus. Exinde tunc non solum Praepositus distraheretur ab officio pastorali, sed singuli et universi Canonici. Quapropter aperte haec videtur fuisse mens Pontificis dispensantis a canonicali residentia, ut singuli Canonici residentes apud Ecclesias Missionum, iisdem in pastorali munere inservire debeant *primo et principaliter* seu in surrogationem muneris canonicalis. Verum ex relatione Archiepiscopi videtur desumi, Canonicos adsistere Archiepiscopo solemniter celebranti ; quod an interveniat etiam in Maiori Hebdomada, aliisque solemnioribus anni diebus, sufficienter non constat.

Quibus animadversis quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C C . re disceptata sub die 14 Iul. 1894 censuit respondere: *Attento indulto pontificio, propositas functiones, absente capitulo ¿ rite peragi ab administratore Cathedralis.*

ABULEN.

POSTULATUM CIRCA COADIUTORES PAROCHORUM

Die 14 Iulii 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In Relatione Status Ecclesiae Abulensis exhibita S. C. Concilii die 11 Decembris, sequens reperitur primo loco *Postulatum.*

« Haud parva nec contemnenda difficultas exurgit in regimine huius tam amplae, tantaque oppidorum numerositate coalescentis Dioecesis, ex absoluta et perpetua parochorum inamovibilitate. Ipsorum etenim ministerium, multoties et variis de causis, quae aliquando tantum immediato rerum intuitu possunt aestimari, non solum animarum profectui non prodest, verum ipsis ad offendiculum inservit et nocumentum. Facultates, quarum vi Episcopi huiusmodi malis possunt remedia praebere, vel etiam quae ipsis competunt ex Tridentino, *Cap. VI, Sess. XXI Be Reform.,* ad haec praestanda, efficaces semper non videntur. Agitur enim nonnumquam de Parocho temporaliter removendo, non quod illitteratus sit et imperitus, nec quia turpiter et scandalose vivat, sed quia vel ex plebis pervicacia, vel ex aeris intemperie, vel ex quadam ipsius Parochi complexione, temperamento et etiam agendi ratione fit, ut Sacerdos qui in uno loco S. Ministerium inutiliter et infructuose exercet, in alio ad animarum lucra posset inservire. Accedit quod, cum ex cit. *cap. Trident.* Episcopus non possit dispensare a residentia Parochum, sed ei tantum Coadiutorem praebere, graviora sequuntur incommoda ex illius praesentia in loco paroeciae, e quo procul dubio abesse oportebat ; et non raro fit, ut si Parochus in eodem loco cum Coadiutore maneat auxilium laboriosius ab ipso praestetur, si quando non plane inutile ac supervacaneum evadat.

« Nec praetereundum est, maximas nunc oboriri difficultates et continuas dilationes, temporum nequitia perspecta,

evenire, in instructione processus canonici, qui necessarius creditur ad correctionem et punitionem, de qua in laudato capite mentio fit ; unde optatum remedium, vel diu desideratur, vel nonnisi post gravissima animarum detrimenta adhibetur. Quare cum haec omnia Episcopus Relator saepe expertus fuisset, his difficultatibus remedium quaerens, ab hac Sacra Congregatione humiliter postulat, sibi pro tempore et iniunctis conditionibus quae opportunae videantur concedi facultates.

« I° Coadiutores deputandi, iuxta allatum Decretum Tridentini, Parochis de quibus in eo mentio fit simul et dispensandi ipsos a residentia, et transferendi in alium Dioecesis locum, donec iterum examinentur et approbentur, et donec opportuna sententia definiatur post canonicum, processum circa eorum mores.

« 2° Coadiutores iterum deputandi ad normam praelaudati Decreti, praevio summario et informativo processu, per Cancellariam Episcopalem instruendo ; parochos de quibus in secundo paragrapho huius postulati mentio facta est, simul et dispensandi ipsos a residentia, et constituendi eos in aliarum parochiarum oeconomos, vel in aliis congruentibus ministeriis, pro tempore tantum, quo causa motiva huius dispensationis et separationis perdurant.

Disceptatio Synoptica

Abulensis Episcopi postulatum eo spectat ut, praeter ius commune, ei extraordinariae concedantur facultates pro amovendis ad tempus Parochis, in propria Ecclesia, ministerium minus utile exercentibus, quin ad tramites iuris Tridentini Concilii procedatur ad beneficii privationem.

Iure Decretalium magis magisque firmata est perpetuitas, etiam *subiectiva* beneficiorum ; at congruis legibus cautum fuit ne hoc evaderet in destructionem Ecclesiasticae disciplinae. Hinc in titulo *Be Translatione Episcopi*, decernitur posse Papam de una in aliam Ecclesiam Episcopos transferre

ob rationes sufficienter graves, uti late exponunt Interpretes iuris Canonici, adnotantes, hanc dispositionem, congrua servata proportione, procedere etiam de parochis quoad Episcopos. Praesertim invocatur Caput *Quaesitum, De Rerum Permutatione,* huius tenoris : « Quaesitum est ex parte tua si commutationes fieri valeant Praebendarum, cum commutatio dignitatum in Turonensi Concilio fuerit interdicta: *(et infra)* Generaliter itaque teneas quod commutationes Praebendarum de iure fieri non possunt, praesertim pactione praemissa, quae circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniae. *Si autem Episcopus causam inspeccerit necessariam,* licite poterit de uno loco ad alium transferre personas ; ut quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere ». Passim Commentatores cum Gonzales notant ibi non agi de translatione inviti, praevia privatione prioris beneficii, sed agi de transferendo eo, qui vel sponte sua vel ad consilia aut praecepta Ordinarii petit vel consentit, ut ad aliam Ecclesiam transferatur. Sed occasione huius capitis Doctores docent, Episcopis media non deesse quibus beneficiarios de invitis volentes faciant. Nam quamvis beneficiati privari suo beneficio non valeant, nisi ob causas in iure praescriptas, et legitimo servato ordine ; nihilominus quando iidem voluntati, praeceptis, consiliis Superioris obsistentes, sunt scandalo fidelium et non in aedificationem sed in destructionem Ecclesiae Christi, iam incidunt in eos casus beneficii privatione dignos. Praeter alios uti Fagnanum et Reiffenstuel, data opera disserit de hac materia Parisius Flaminius in celebri opere *de Resignatione beneficiorum,* lib. 3, qu. 18, et alibi. Sed uti patet, satius est ut antea prudens Episcopus in hoc flectat beneficiarii voluntatem, ut sponte aliam Ecclesiam quaerat *ubi valeat se utilius exercere.* Quapropter S. C. C. *in Eystetten. 11 Aug. et 22 Septembris 1742* confirmavit Episcopi sententiam, qui Parochum ob eius agendi rationem plebi infensum et scandalosum, iussit ut cogitaret de permutanda intra certum tempus parochia, alioquin ex officio permutationem locum esse habiturum. So-

lummodo S. C. C. praecepit, permutationem fieri debere cum beneficio reditus aequivalentis.

Item quamvis Trid. Conc. *Sess. 21, Cap. 13,* velit pro unaquaque parochia *suum perpetuum peculiaremque parochum,* tamen *in sess. 21, cap. 6,* statuit quomodo iisdem Coadiutores assignari possint. Parochos non dispensando a residentia. Circa residentiam vero *in sess. 23, cap. 1,* decernit quod Parochi « discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant ». Quare Episcopus, utputa causa valetudinis, etiam ultra bimestre abessendi licentiam concedere potest, dummodo non tam longum concedat tempus, ut potius a residentia dispensasse videatur.

Quia demum Episcopus conqueritur de nimis longo et solemni canonico processu in casibus privationum et similium poenarum, liceat advertere iam S. C. EE. et RR. die 11 Iunii 1880 formam dictasse processus oeconomici pro causis clericorum disciplinaribus, admodum accommodam hodiernis curiarum conditionibus, prouti iam frequentatio in Italia et Gallia (1). Verum et poenarum gradus et processus, solemnitates iure communi ordinatae eae sunt quae uno anno permittant Episcopis Parochum suo beneficio privare : quod tempus, pro negotii gravitate, sane non est longius.

Hisce praehabitis, quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 14 Iulii 1894 censuit respondere: *Ad mentem. Episcopo putefacietidam.*

(1) Kecole Vc*L XIII, 324.

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

ROMANA

PENSIONUM

Die 9 Marín 1894.

COMPENDIUM PACTI. Rmum Capitulum Patriarchalis Basilicae Vaticanae die 18 Feb. p. p. S. Congni haec exposuit.

Ante conversionem bonorum, peractam a Consilio pro liquidatione Assis Ecclesiastici, reditus Capitulares, maxima ex parte, constabant ex responsionibus locationis latifundiorum, quas conductores ex conventione ita persolvebant, ut quolibet mense Capitulum duodecim am partem annuae responsionis reciperet : cum qua occurrebatur solutioni menstruae ratae Capitularibus, satisfactioni onerum patrimonialium et expensis Basilicae; et quoniam aliqua adhuc summa supererat, quolibet trimestri, de ea distributio specialis fiebat inter capitulares.

At post conversionis legem res immutatae sunt : reditus Capitulares conversi sunt in schedis nominátivis debiti publici et in canonibus super latifundiis in emphyteusim datis, remissa solutione fructuum pro primis post semestre et quoad canones post annum. Tunc administratio Capitularis ut eamdem servaret rationem solutionum ac antea, anticipationes a mensis nummulariis crediti super annuo reditu schedarum debiti publici et super canonibus obtinuit : et ita cum primis persolvebat distributiones menstruas et trimestras et alias expensas in primis novem mensibus anni, et cum canonibus mense Septembri maturatis distributionibus et aliis expensis ultimi trimestris occurrebat.

At novissime sive ob ruinam, quam passa sunt duo principaliora crediti Instituta Romae, sive ob morositatem emphyteutarum in solvendo canones, sive ob alias causas aliqua immutatio induci oportuit circa methodum solvendi distributiones Capitularibus. Hinc resolutione Capitulari diei 21 Ian. p. p.

concorditer statutum est, ut distributionibus menstruis et expensis totius anni cum reditu annuo schedarum debiti publici, anticipate ut antea desumendo, fieret satis, et trimestribus distributionibus Martii, Iunii et Septembris cum eo quod ex solutione praedicti reditus superesset: cum canonibus autem realiter exactis, quin ulla anticipatio fieret, duae ulteriores distributiones persolverentur, una nempe in fine ultimi trimestris et altera in fine subsequentis Februarii.

Haec nova inducta methodus dum ex una parte administrationem Capitularem in meliori et saniori via ponebat, ex altera damnum Capitularibus pariebat : quia cum primae tres distributiones trimestres diminutionem expertae essent, ipsi impares effecti erant ad pensiones, impositas super eorum beneficiis, solvendas, quarum dies cedebat et veniebat in mensibus Martii, Iunii et Septembris et quarum summa exsuperabat illam distributionum. Hisce praemissis, Capitulares a S.Congfie expostulabant dilationis gratiam in solvendis pensionibus, nempe ut pensionum quae iuxta Bullas essent solvendae diebus 24 et 25 Iunii, solutio fieri posset *die 8 Septembris successivi,* et illarum quae iuxta Bullas maturatae forent diebus 8 Septembris et 24 Decembris, solutio retardaretur ad *diem 28 Februarii sequentis.*

Attenta rei gravitate preces remissae sunt ad plenarium BE. PP. Auditorium: et haec interim adnotabantur ab Advocato Summista ex officio.

Fere omnia beneficia ecclesiastica pensionibus onerata in eadem versantur conditione quoad maturationem canonum et reditus debiti pubblici : hinc si expetita gratia elargitur Capitulo Vaticano, cuius beneficia pinguiora prae aliis sunt, potiori iure concedi oportet aliis Capitulis, et proinde via pateret ad continuos recursus.

Deinde Capituli petitio tenderet ad expoliandos pensionarios iure iam quaesito: vix enim advenit et cessit dies praestituta, iuxta Bullas ad pensionis solutionem, pensionara habent illico et immediate ius ad eam petendam, et solutio retardari non potest absque eorum gravi iniuria.

Tandem advertebatur quod in casu non agitur de redituum imminutione, sed de simplici dilatione solutionis, quam melius et minori cum dispendio sufTerre valent Rmi Cañci et beneficiati Basilicae Vaticanae, quam pensionarii: proindeque nullam rationem suppetere, ut a via communi et ordinaria deflectatur.

Post haec re ad examen vocata, ad

Dubi« ut

An concedenda sit expetita dilatio solutionis pensionimi in casui

RESOLUTIO. S. Congregatio Bpiscop. et Regul. sub die 9 Martii 1894, rescribendum censuit : NEGATIVE.

EX S. CONGR. R. ET U. INQUISITIONIS

DUBIUM quoad matrimonium ineundum a muliere, cui ablata fuerunt duo ovaria et uterus.

Die 30 Iulii 1890.

Episcopo Regiensi missa fuit sequens Epistola continens solutionem dubii ab eo propositi s. Inquisitioni.

Illme e Revme Domine. In Congregatione feriae IV diei 23 currentis mensis discussum fuit dubium, ab Amplitudine Tua propositum supplici libello diei 31 Octobris elapsi anni videlicet: Num Mulier N.N.... cui, operatione chirurgica, ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum. Et, re mature perpensa, Emi Cardinales, una mecum Inquisitores generales, decreverunt: *Matrimonium non esse impediendum.* Quod dum Amplitudini Tuae pro istius Curiae norma significo; Eidem fausta quaeque adprecor a Domino.—Amplitudinis Tuae — Romae, die 30 Iulii 1890.

Addictissimus in Domino

R. Card. MONACO.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ROMANA

SPOLII.

Die 14 Aprilis 1894.

COMPENDIUM FACTI. In insigni collegiata Sancti Angeli in Foro Piscium Rmus D. Stella, unus ex his canonicis, cum Camerlinghi Sacrarii fungeretur munere ab anno 1883, in signum propensions animi in Ecclesiam et in confratres, eam pluribus locupletavit supellectilibus, quarum elenchus colligitur ex quodam actu capitulari. Donandi animo hoc peregisse, et actu huius voluntatis absolutam contulisse horum utensilium possessionem contendunt eius confratres, in hac causa contradictores, praesertim duobus factis innixi.

Primum, quod altare maius, novis a canonico Stella comparatis candelabris non idoneum, fuit accommodatum et ad aliam stabilem formam redactum.

Secundum factum deducunt ex actu capituli acceptationis munerum et gratiarum relationis, habiti die 15 Martii 1885. Verum quia postea canonicus Stella, nonnullas ob exortas discordias, animum a suis confratribus abalienavit, anno 1892, adhuc Sacrarii Gamerlingus, pro festivitate S. Michaelis utensilibus a se elargitis usus non est. Pro insequenti anno 1893 alius canonicus in camerlinghi officium suffectus est, qui tamen horum utensilium armarii claves obtinere non potuit. Nihilominus ipse et reliqui canonici sperantes D. Stellam amice et iustius rem compositarum fore, in primis non admodum instare voluerunt ; sed cum appropinquaret dies festus S. Michaelis, nec canonicus Stella a suo proposito dimoveretur, tunc recursum habuerunt ad Emum Urbis Vicarium, qui auctoritate sua ad meliora consilia laudatum canonicum pertraheret.

Interim sollicitudine plane pastorali Emus Urbis Vicarius nonnullum movit lapidem ut ad saniorem mentem D. Stellam perduceret, sed incassum. Imo dum apud secretarium Vicariatus capitulum habere debebat conventum ad tentandam omnem conciliationis viam, pridie huius diei canonicus Stella e Sacrario ecclesiae S. Michaelis clam controversa utensilia asportavit.

Re cognita, Camerlingus statim protestationem dedit ad Emum Urbis Vicarium.

At Emus Urbis Vicarius huius controversiae iudicialem tractationem remisit ad S. C Concilii, monitis autem partibus, ut quaeque proprias exhiberet deductiones, per litteras diei 21 Februarii 1894.

Canonicus Stella reposuit, se suo iure dominii usum esse, in asportandis utensilibus, quae nondum Ecclesiae S. Michaelis donaverat, et nil aliud deducendo S. C. Congregationi se offert, sibique plenum et absolutum vindicat super illas res dominium.

Deinde opponit, quod actor nullum ius acquisierat in controversa utensilia, quae ipse conventus, tunc Sacrarii Camerlingus, et horum utensilium dominus, Ecclesiae in usum, a se ipso moderandum, concesserat.

Ex alia parte S. Angeli Capitulum instat se in hac sede iudicii non in *petitorio*, sed in *possessorio* agere.

Disceptatio Synoptica

Revocanda est doctrina Iuris Canonici in themate spolii, quae plane doctrina iure merito potest dici canonica cum suam repetat perfectionem ab institutis Iuris Canonici. Iure Romano iam promulgata erant fundamentalia hac de re principia, scilicet : « *possessio nihil habet commune cum proprietate* », et aliud effatum « *possessio ad factum non ad ius pertinet* »; nihilominus iuridica tutela possessionis contra spoliatores erat arctioribus circumscripta limitibus per celebre interdictum « *Unde vi* ».

At ius canonicum, ad propulsandam quamcumque violentam possessorum deturbationem *in Can. 3 Redintegranda c. 3, q.* i, dedit exceptionem spolii contra spoliatorem ; unde novum iustitiae socialis institutum enatum est ex illo principio « *spoliatus ante omnia restituendus est* ». Quocirca uti expresse docet *Capit. Tilt. Be Ord. Cognit.* antequam spoliatus in petitorio audiatur, spolium integre purgare debet. Inde *in cap. 5 Be Restit. Spoliaturum* haec verba habentur Alexandri III « *Super illa quaestione, videlicet cum quis dicit se de possessione violenter eiectum et adversarius dicit eum non fuisse canonice institutum, respondemus prius de violenta eiectione, quam de canonica institutione agi debere ; quia praedo etiam est secundum rigorem iuris restituendus* ».

In casu vero, Capitulum asserit se possessionem horum utensilium habuisse plenam uti constat ex allatis in facti specie, quibus ipsa proprietas probari posset ; sed insuper, ad probandum hoc factum, urget iuratam aedituum attestationem.

Rebus fideliter expositis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo annuendum sit petitioni Capituli S. Angeli in Foro Piscium in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 14 Aprilis 1894 censuit respondere : « *Affirmative in omnibus, iuxta petita et amplius* ».

MELEVITANA

PRIVATIONIS PAROECIAE

Die 6 Maii, 9 Septembris 1893, et 16 Iunii 1894.

Sess. 21 cap. 6 De reform..

COMPENDIUM FACTI. Procul a civitate Valletta existit pa~gus quidam seu paroecia ruralis septingentorum incolarum, cui nomen *Casal Dingli.* Huius rector nonnullis abhinc annis nuncupatus fuit sacerdos Iosephus Rizzo, de cuius remotione nunc agitur.

Cum enim secum duas mulieres adhuc aetate florentes *Mariam Fenech* et *Agatam Abela,* quae ipsi famulatum praestabant, haberet, earumque familias et liberos prae caeteris diligeret, populus coepit de parochi honestate suspicari, atque praesertim postremis hisce annis de eius in ecclesia conversatione murmurari. Qui rumores adeo percrebuerunt, ut Episcopus gravitate rei permotus parochum pluries primum admonuerit : deinde vero, cum scandala et recursus perseverarent, die 17 Novembris 1891 eumdem ab officio, ad tempus suspendent, et, paroeciae cura interim commissa sacerdoti Francisco Muscat, summariam factorum inquisitionem, iuxta etiam ipsius parochi votum, fieri decreverit.

Dum autem haec inquisitio agebatur, sacerdos Rizzo, mutata paululum sententia, penes Episcopum institit ut initi processus prosecutio abrumperetur, et ipse ad parochiam restitueretur , se in posterum meliorem futurum promittens, non amplius recipiendo in domum suam duas famulas : quod ni praestaret, eiiceretur perpetuo a suo officio.

Precibus annuit Antistes : at vero parochus ad suos reversus, Episcopi praeceptis haud videtur stetisse, qui proinde eum denuo die 12 Maii eiusdem anni 1892 ad suum citavit tribunal, atque inito et regulariter confecto processu, sententia diei 18 Novembris parochiali beneficio privavit sequentibus verbis : « Dicimus et declaramus parochum Iose-

phum Rizzo promissionem a se factam revera violasse ad terminos accusationis a Promotore Fiscali contra eumdem illatae, ac proinde suspendendum perpetuo a cura animarum paroeciae Dingli, prout per praesens nostrum decretum illum perpetuo suspendimus et tamquam suspensum habemus, et declaramus, dempta eidem omni administratione bonorum, ad praefatam curam quomodocumque spectantium, salvo iure petendae congruae pensionis super reditibus et proventibus praebendae parochialis ».

Ab hac sententia sacerdos Rizzo rite appellavit die 23 Novembris anni 1892. Episcopus autem, de re edoctus, in sua epistola admonuit, pensionem, si quam Sacra Congregatio appellanti concedendam esse, iuxta curiae sententiam censuerit, modicam esse oportere : paroecia enim pauper est.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. Actoris patronus contendit ex allatis «documentis non modo non constare, sacerdotem Rizzo suis promissis defecisse, sed imo ea ipsi suffragari. Re sane vera testes ut fidem mereantur, iuxta ea quae legimus in *dec. 354, num. 23, cor. Olivatio, et in dec. 509, n. 12, cor. Eodem,* praesertim in re magni momenti, ac maxime in criminalibus , debent esse integri et notae cuiusvis expertes : repelluntur autem inimici, flagitiosi, viles, aliique qui de corruptione suspecti sunt. Pignat. *tom. X, consult. 44, n. 21.*

Iamvero quinam sint oppidi *Casal Dingli* incolae, et quaenam praecipue fuerit eorum agendi ratio cum ceteris parochis, luculenter apparet ex chirographo ab ipso Rizzo in paroeciae archivio detecto, in quo huius populi gentes vitandae dicuntur ob iugem parochorum persecutionem.

Pluries enim et sacerdotem Rizzo contumeliis affecerunt, et contra parochialem domum invexerunt. Neque tanti odii causa defuit ; cum enim ex suo munere parochus confraternitatum administrationem atque legatorum nummulariam mensam invigilare deberet, evenit ut quosdam reprehenderit,

qui vindictae cupidi statim eum penes Episcopum accusare coeperunt.

Contra alios testes vero nonnulla observari debent quae eorum depositiones valde suspectas reddunt. Sic sacerdos Franciscus Muscat, qui dum parochus fuerat suspensus atque dum processus agebatur eius vices gessit, utpote qui in eius. locum succedere nititur, parochum odio prosequitur, atque cuncta investigat quae eius aestimationem labefactare possunt.

Neque testimonium Iohannis Micallef magis valet : hic enim, cum esset inter milites quieti publicae servandae addictus (vulgo poliziotto), ut et ipse fatetur, expulsus fuit quia ebriosus.

Quare cum adversae partis testes hac vel illa causa valde suspecti sint, nonnisi illis credendum esse, ait defensor, qui omni exceptione maiores facta probe sciebant, utpote qui Parochi servitio addicti a mense februario usque ad initium processus in omnibus ei comites fuerunt. Hi vero fidem faciunt in suis prolixis depositionibus quod nunquam in parocho conspexerint aliquid ex quo scandalum capere possent.

Similia dicunt Salvator Fenech, vir Mariae, et Victorius. Abela, vir Agathae, quorum attestationes plurimum, faciendas-esse orator autumat : ipsorum enim plusquam ceterorum interesse debebat an ea, quae de uxoribus vulgo dicebantur, vera essent. Hi vero unanimiter Parochi mores laudant, atque nullam fidem malignis contra suas uxores vocibus adhibent : imo quamvis omnia sciant, ipsis et parochialem domum frequentare et literas a parocho recipere permittunt.

Istis consonat Ioseph Fenech pater Agathae et cuius filius, est maritus Mariae : sed ne eadem repetam potius adiiciendum est quod optimum reddunt testimonium de parochi vita et moribus duo sacerdotes *Fortunatus Debono* et *Aloisius Spiterij*, quorum attestationes nemo certe spernet, quamvis de factis loquantur, quae sunt antiquiora ultimo processu.

Igitur hisce attestationibus plane evanescunt ea quae contra Parochum eius inimici sacerdos Franciscus Muscat, Iohannes Micallef et alii moliti sunt. Revera parochus do-

mum Catharinae matris Agathae ingressus est; at muneris parochialis causa. Cum enim tum ipsa tum eius nepos Lelina infirmarentur, parochus eas adibat, ut preces pro infirmis Deo solveret, sicuti enarrat testis praesens Victorius Azzopardi, et aliquando etiam ut Catharinae confessionem exciperet, quin unquam ibi vel Maria vel Agatha adessent. Quae omnia adeo certa sunt ut ipsi testes contrarii ea aperte asserant. Et idem alii fatentur. Neque similiter omni ex parte vera sunt ea quae adversarii proferunt, tum quoad praedilectionem parochi erga liberos Mariae et Agathae, tum quoad dotationem ipsius Mariae. Uti enim plures ex testibus dicunt, parochus Rizzo Divini Redemptoris exemplo omnes infantes diligebat.

Ad epistolas autem quod attinet, quibus utpote certe a parocho Rizzo scriptis ad familias Fenech et Abela tantum innituntur oppositae sententiae adsertores, hae, prosequitur defensor, iuxta ipsius cursoris Publii Spiteri adserta ad Salvatorem Fenech et Victorium Abela mittebantur, qui ut iam supra vidimus, aperte fatentur, se aliquando a Parocho, dum vel morbi causa vel aliis rationibus a paroecia absens erat literas accepisse, quae tamen nonnisi honesta continebant.

Quod si una vel altera epistola ad eiusdem Salvatorem Fenech missa, et a Ioanne Schembri vel ab aliquo alio perlée ta tales expressiones continebant, quae certe presbyterum dedecent, haec, cum anonimae essent et violatae non obstante peritia challigraphi nihil adversariis prodesse possunt, uti auctoritate *Ferrari* lettera *L* contendit patronus : « Non possunt autem iudices ex huiusmodi uteris procedere ad specialem inquisitionem illorum delictorum, quae continent, etiamsi in ipsis notificaren tur testes, qui delictum testificari possent, quia huiusmodi literae nullam inducunt infamiam »; *textu expresso in cap. Inquisitionis 21 de accusat, paragrapha tertiae dubitationis;* Rodrig. *tom. 2., regular. Fart. 6, art. 10;* Lessius, *lib. 2 de iust. et iure, c. 20, dub. 13, num. 136.*

Quoad vero Lelinam, quam oppidani dicunt esse filiam

parochi, quia iuxta eos eius imaginem praesefert, Salvator Fenech, recognoscit uti suam, et affirmat natam post decem menses ab inito matrimonio.

Non superest nisi depositio provicarii civitatis la *Notabile,* cui nomen Iosephus Oallus, qui plura contra parochum Rizzo asserit. Sed haec omnia respiciunt facta quae evenerunt anteaquam parochus suspenderetur, et proinde in istis non est plurimum insistendum. Cum igitur, concludit patronus , falsa sint ea quae adversus sacerdotem Rizzo afferuntur, sequitur sententiam Curiae Episcopalis esse inflrmandam.

PAROCHI ACCUSATIO. Sed e contra plura adsunt testimonia, quae videntur suadere revera parochum Rizzo et illicitas habuisse relationes cum praedictis mulieribus, et ea quae die 9 mensis Februarii anni 1892 promiserat, sub poena privationis paroeciae, postea violasse.

Et sane ea omnia quae parochus profert, ut probet nonnullos ex parochianis, privatis de causis, sibi odio adversari, haud apparent undequaque vera : ceu colligitur ex depositionibus *Ioannis Schembri, Caietani Micallef et Henrici Billas,* qui omnes cum sint milites quieti publicae servandae addicti, facta illa apprime cognoscunt.

Post haec accusationes eruuntur etiam ex epistolarum commercio. Etsi enim literae a parocho non ad mulieres, sed ad earum viros dirigerentur, ex allatis tamen testimoniis luculenter evincitur, id specie tenus et ad criminosam relationem, ut poterant, adstruendam factum fuisse.

Quibus expositis, propositum fuit resolvendum

Dubium

An sententia Curiae Episcopalis Milevitanae diei 18 Novembris 1892 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio C. re disceptata sub die 6 Maii 1893, censuit respondere: *Sacerdotem Rizzo privandum esse paroecia, reservata ei congrua pensione, ab Episcopo determinanda, iuxta vires beneficii, et ad mentem.*

Mens autem est, ut Episcopus, quatenus expedire censeat ad protuendum decorem Sacerdotis Rizzo, eidem praefigat terminum decem dierum pro nuncio mittendo paroeciae, cum reservatione pensionis; quo termino frustra decurso publicet et ad executionem mittat sententiam privationis S. Congregationis. Interim res sub secreto maneat.

CAUSAE PROSECUTIO. Cum autem haec decisio haud arrisisset parocho Rizzo, ipse petiit et obtinuit novae audientiae beneficium; unde causa iterum S. C. C. proposita fuit die 9 Septembris 1893, et responsum datum est: *In decisis*. Sperabatur contentionem tandem finem habituram. At non ita. Nam parochus Rizzo iterum in vocem appellationis prorupit et alterum audientiae beneficium impetravit.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. NOVUS ergo parochi Rizzo procurator sententiam Curiae Melevitanae sub die 23 Novembris 1892 prolatam, per quam ab officio parochi pagi vulgo *Casal Dingli* nuncupati, destituebatur, infirmandam omnino esse, asserit. Idque, ait, plura argumenta suadent ; et revera neminem latet quod sententia lata ex falsa causa vel ex falso praesupposito nulla est. Atqui, notat patronus, sententia Melevitanae Curiae relationem dicit specificam, praecisam ad suspensionem die 17 Novembris 1891 parocho illatam, quae numquam locum habuit, nec habere potuit.

Profecto, ait, documentum dictae suspensionis haud invenitur in tabulis processualibus. Praeterea constat parochum domicilium pagi *Dingli* mense Maii 1891 valetudinis causa reliquisse et ad propriam rediisse regionem ; mense vero Novembris adhuc infirmitate detineri domique morari probant medicorum magistratusque politicae auctoritatis Conspicuanae civitatis attestationes ; in morali igitur ac materiali impossibilitate erat parochus, urget patronus, familiaritate uti mulierum, Mariae Fenech et Agathae Abela, quae

pagum *Dingli* non deseruerunt. Et si familiari tas non extitit et longe exulat ratio suspensionis parocho infligendae.

Insuper, sequitur orator, quod sit infirmanda enunciata sententia, procul dubio etiam eruitur ex legitimae formae iudiciorum violatione atque commutati vae iustitiae. Iamvero fundamentum iudiciorum civilium et criminalium libello constituitur , cui contestatio litis accedit, cuius effectus est, quod actori non liceat recedere, vel intentionem mutare progressu iudicii in detrimentum partis collitigantis, quae ceteroquin, intentione mutata, legitimas defensiones in promptu non haberet, neque ad respondendum parata foret. In themate vero, notat orator, libellus parocho traditus fuit taxative ob defectionem a promissis, quam luce meridiana comprobavit nunquam extitisse; at iudex intentionem actoris praetergrediens, probationes recepit, respicientes tempus ante promissionem ac tempus post litem contestatam, eas videlicet quae tempore criminalis iudicii de die in diem locum habebant, atque ex ipsis reum beneficii privatione damnavit. Ipsa ideo testante sententia quod si consequenter Curia in sententiam iret, constare de accusatione, poena suspensionis perpetuae necessario infligi debet, idque non obligationis vi… sed vi legis, seu decreti conciliaris, *Sess. 25, cap. 14,* parochus condemnatus fuit non ob defectionem a promissis, sed ob delicta anteactae vitae vel subsequentia citationi iudiciali, ob quae non citatus opportunas probationes exceptivas in promptu habere non poterat.

His addenda est, instat patronus, violatio trinae monitionis a S. Conc. Trid. in *Sess. 21, cap. 6 de ref.,* et graduations poenae, quae in *Sess. 25, cap. 14 taxative* praescribuntur. Verum haec in casu undequaque desiderantur ; unde infirmanda est sententia ob non servatam formam, urget patronus.

Nec reciñere iuvat, inquit, subscriptam a parocho promissionem aequivalere trinae peremptoriae monitioni. Sane non agitur hic de formalitate iudicis arbitrio relicta, sed de formalitate taxative a lege praescripta; solemnitates in cri-

minalibus sunt de essentia legis, quapropter nulla privati hominis renuntiatio sustinetur, cum « privatorum conventio iuri publico non deroget ». Ulpianus *Reg. iur. 45.*

Verum nec satis, pergit orator: potiora supersunt ad nullitatem sententiae demonstrandam ex capite commutativam iustitiae. Iudex Melevitanus poenam capitalem irrogavit ius desumendo ex specifica dispositione, *Sess. 25, cap. 14.* S. Conc. Tridentini, crimen concubinatus compescente. Promotori fiscali proinde incumbit onus probandi (actore non probante reus absolvitur) parochi « fornicationem continuam cum eadem certa et determinata persona, ita ut super fornicationem addat statum et perseverantiam. — Status nomine venit familiaris vita » , quod determinat concubinatus naturam. Ferraris Bibi. can. verb. *Luxuria, n. 7.* At huiusmodi probatio, iuxta patronum, in themate abest. Siquidem parochus utique extra patriam manens, famulas Agatham Abela et Mariam Fenech accepit, at per plures annos hoc factum est nemine suspicante, et nullus contra parochum malignavit ; tunc solum incoeptum est, quando simultatibus exortis parochum inter ac administratores nummulariae mensae SS. Sacramenti, cum nil de quo argui parochum posset, extaret, eum in suspicionem additare coeperunt ob mulierum famulatum ; modo autem fecerunt, ut nec specificare potuissent in quam ex duabus mulieribus suspicio caderet ; et ipsa testante sententia, provicarius Cal Ius admonitionem parocho fecit « ut dimittat unam ex ipsis, quae se tanquam famulatu iugiter morabatur ». Cui, ait patronus, obsequutus est parochus, qui non unam sed utramque dimisit, quum « fuit compulsus (sunt sententiae verba) ob infirmitatem et odium plebis relinquere suum domicilium in parochia et in propriam regionem reverti », videlicet mense Maii 1891, et in sequenti tempore familiaritatem, quae concubinatum praeseferat, vel peccandi consuetudinem importet, non amplius fovit, cum illis feminis tantum per epistolas communicando ; quod mirifice confirmari edicit procurator, ex redintegratione in officium ab Ordinario concessa die 9 Februarii 1892, et ex

denegatione facta parocho, pagum Dingli paucis post redintegrationis diebus deserendi cupienti, nomen ad Ecclesiae Siggevvi concursum dandi.

Posita vero asserta redintegratione, iuxta patronum, descendunt quae Farinaceus *Prax. crim. qu. 3, n. 1,* scribit: « Inquisitio formari non potest contra illum qui alias de eodem delicto, de quo inquiritur, fuit absolutus. Bis enim de delicto quaeri non potest dicit textus in C. de his... et volenti iterum accusare seu inquirere semel absolutum vel condemnatum, obstat exceptio rei iudicatae.... Semel enim condemnatus pro aliquo delicto pro eodem amplius inquiri vel molestari non potest, illa ratio quod bis de delicto quaeri non potest, generalis est, et militat nedum in absoluto sed etiam in condemnato ».

Ceterum, concludit orator, ad privationem, poenae capitali comparandam, reus condemnari non potest nisi per confessionem vel concludentem criminum probationem. Verum etiam haec omnia in casu undequaque desiderantur. Etenim ex promissione a parocho subscripta hoc unum, iuxta procuratorem, descendit, i. e. populi suspiciones. Promittebat sane parochus se mulieres non accipere in famulatu, et non accepit ; cum eis non convivere, ot non convixit ; cum eis non loqui, nisi id postulasset parochiale officium, et loquutus est officium parochiale explens.

Patronus non negat, parochum Rizzo ad has feminas literas dedisse obscenas, at prosequitur, epistolas has delictum non probare, quasi delicti confessionem contineant; nam, ait, hoc verum non est ; sed data etiam tali confessione in dictis extraiudicialibus litteris, resultaret tantum confessio extraiudicialis ad condemnandum insufficiens, quia communis est conclusio, quod ex indiciis ac praesumptionibus nemo damnandus sit.

Post haec orator confidit in Vestra, EE. PP., benignitate, praesertim cum cliens suus, etiam si aliquid mali fecerit, satis sit poena mulctatus. Siquidem duobus abhinc annis supportât gravissimam suspensionem a cura animarum;

et irreprehensibilem vitam in Urbe ducit, quod temporis spatium ad reintegrationem in paroeciam semper sufficere post sententiam S. C. EE. et RR. an. 1740 die 23 Iulii editam, visum est.

Quod si rigor iustitiae strenue in casu manutenendus sit, oportet, addit orator, rigorem omnino ad tramitem iuris explere ; constare debet de incorrigibilitate atque de perseverantia in nequitia eius, cui infligitur. At processus in Melevitana curia confectus, non ponit in esse incorrigibilitatem atque perseverantiam in nequitia parochi ; sequitur ergo, contendit, poenam privationis beneficii parochialis confirmari non posse, nisi prius per novum processum incorrigibilitatem atque perseverantiam in nequitia, concludentibus probationibus, constet.

Hisce favore parochi adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis ex noviter deductis in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 16 Iunii 1894 censuit respondere : *In decisis iuxta modum : id est pensionem non intelligi concessam, nisi donec aliter Sacerdos Rizzo provideatur.*

VARSAVIEN.

DUBII QUOAD CAUSAS MATRIMONIALES.

Die 16 Iunii 1894.

Concil. Trid. Sess. 24 C. 20.

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus Varsaviensis sub die 18 Novembris 1893, nonnulla dubia quoad processum in causis matrimonialibus, servandum, obtulit S. C. Congregationi.

In primis memorat decretum Congregationis S. Officii, sub die 5 Iunii 1889 statuens quod dum agitur de impedi-

mento « disparitatis cultus et evidenter constat, unam partem non esse baptizatam; *ligaminis* et certo constat, primum coniugem esse legitimum et adhuc vivere ; *consanguinitatis aut affinitatis* ex copula licita et *cognationis spiritualis ;* denique *clandestinitatis* in locis , ubi decretum Tridentinum: - *Tametsi....* - publicatum est, vel uti tale diu observatur, dummodo ex certo et authentico documento, vel in huius defectu ex certis argumentis evidenter constet de existentia huiusmodi impedimentorum, Ecclesiae auctoritate non dispensatorum, hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus in Constitutione Apostolica - *Dei Miseratione....* - requisitis, matrimonium poterit ab Ordinariis declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia » (1).

Quapropter Archiepiscopus petit « *Sitne supracitatum decretum generale pro universa Ecclesia eatenus, ut in praxi iudiciali liceat praetermittere quaedam praescripta Constitutionis Benedictinae causamque una sententia claudere?* »

Quum ex subiecta materia aperte constaret dubii solutionem ad C. S. Officii competere, ab hac per litteras diei 17 Ianuarii currentis anni responsio exquisita fuit : quam illius S. Congregationis Assessor dignatus est reddere, die 19 Februarii 1894. A R. Vestra exquiritur solutio dubii insequentis una cum aliis quoad processus in causis matrimonialibus ab Archiepiscopo Varsaviensi propositis: « An decretum S. O. 5 Iunii 1889 generale pro universa ecclesia eatenus sit, ut in praxi iudiciali liceat praetermittere quaedam praescripta Const. Benedictinae, causamque una sententia claudere? »

In Congregatione fer. IV. 16 Feb. Emi Inquisitores generales, cum approbatione SSmi Patris, decreverunt: *Affirmative.*

Secundam quaestionem Archiepiscopus proposuit hoc dubio « *Sitne in causis nullitatis matrimonii ex quocumque titulo, coram Iudice spirituali agitatis, necesse exigere, ut testes septimae manus producantur, an vero id in solis causis ex*

(1) Decretum hoc adest Vol. XXVI, 639.

capite impotentiae devolutis observandum, in ceteris autem omnibus praetermitti posse. »

Ut secundae quaestioni satisfieri posset, nempe « an testimonium septimae manus in solis causis quoad impotentiam coeundi actis requiratur » in primis « Affirmative » respondendum videretur.

Nam testimonium septimae manus est testimonium credulitatis, non scientiae. Iurare enim debent hi testes sibi verisimile esse coniuges verum dicere, sicut patet ex Instruct. S. C. O. die 25 Aug. 1840 edita, in qua praescribitur eos interrogandos esse « *utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis* (a quo inducti sunt) *ut propterea sibi verisimile sit ac credant eum vera dixisse.* » Et hinc est huiusmodi testes seligendos esse inter propinquos, his vero deficientibus, inter vicinos bonae famae, nimirum ut melius valeant coniuges cognoscere et de eorum veracitate testimonium ferre. Porro .si haec est natura huius testimonii ut non circa factum sed circa coniugum veritatem tantum versari debeat, pronum erit unicuique inferre tunc solummodo hoc testimonium requiri, quum factum ipsum non positivis argumentis, sed depositione, praesertim coniugum, est statuendum.

Id autem accidit dumtaxat in causis, circa impotentiam actis, in quibus propterea solis, huiusmodi testimonium videtur requiri.

Idipsum erui videtur ex cap. *Litterae vestrae de fri" gidis et male f.,* quo primum inducta videtur consuetudo hos testes examinandi; illud enim loquitur tantum de casu impotentiae.

Confirmari etiam videtur ex praxi S. Congr. Nam in *Vertet. Matr. 3 Maii 1889* (1) in qua agebatur de valore matrimonii vi et metu initi, nulla fit mentio de testimonio septimae manus, quin propterea defensor vinculi in causa exagitanda, vel Emi Patres in ferenda sententia, ullum mo-

(1) Relata fuit Vol. XXII, 85.

verint questum. Idem accidit *in Apuan. Matr. 8 Iun. 1889* (1) in qua agebatur de matrimonio invalido ob coniugum consanguinitatem in tertio gradu; idem in aliis; dum contra in causis impotentiae semper, si fieri potest, testes septimae manus examinantur.

At ex adverso testimonium septimae manus videtur semper requiri in omnibus causis matrimonialibus m quibus de nullitate agitur aut de dispensatione super matr. rato et non consummato.

Praecipuum argumentum est ipsa Instructio S. C. C edita die 22 Aug. 1840, quae statuit normam servandam in conficiendis processibus pro causis matrimonialibus. Porro in ea ante omnia dantur generalia praecepta, quae in omnibus causis servanda sunt, inter quae hoc decernitur : « Deinde procedendum erit ad examen septimae manus, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam text. *in cap. Litterae vestrae de frig. et mal.* Ut id facilius exequi Iudex valeat, Defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis seu confessionis coniugis, eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verisimile sit ac credant, eum vera dixisse. Similiter instante Defensore Matrimonii, citandus erit alter coniux, etc. » His aliisque in universum stabilitis, gradum facit Instructio ad particularem casum impotentiae dicens: « Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt Periti physici quos coniuges consuluerunt; etc. » Ex quibus evidenter apparet non ad causas ex impotentia restringi praeceptum exquirendi testimonium septimae manus, sed ad omnes omnino extendi, iis exceptis, in quibus certissima documenta, praesertim si scripta et authentica fuerint, evidentiam nullitatis alicuius matrimonii demonstrant; idque ne lex videatur inutilia prae-

(1) Confer Vol. XXII, 220.

cipere iuxta effatum « in notoriis nulla probatio. » At in aliis casibus, quum lex non distinguat nec nos distinguere debemus eo vel magis quod saepe, etiamsi non agatur de impotentia, valde iuvare iudicem poterit testimonium iureiurando firmatum de coniugum veracitate.

Praeterea id ab ipsa S. Congregationis praxi videtur firmari. Nam in *Parisien. Matr. 3 Aug. 1889* (1) in qua agebatur de dissolutione matrimonii rati et non consummati, nec ulla erat impotentia vel impotentiae suspicio in coniugibus, audita est septima manus; id etiam factum est in *Parisien. Matr. 15 Iun. 1890* (2) in qua petebabur dissolutio matrimonii rati et non consummati, quia vir nimirum pietati deditus matrimoniali iure uti nolebat; id locum habuit in causa quadam matrimoniali in S. C. C. agitata 12 Augusti 1882, 17 Febr. et 7 Apr. 1883, in qua vir petebat sententiam nullitatis sui matrimonii ex illicita affinitate primi gradus matrimonium antecedenti et ex defectu consensus. Testes septimae manus exquisiti in *Favent. Matr. 5 Martii 1892,* in qua agebatur de matrimonio inito vi et metu; item in *Engolismen. Matr. 12 Dec. 1891,* in qua nulla fit mentio de coniugum impotentia, et in aliis innumeris quae praetereo, ne infinitus sim.

Rem vero evidentiam attingere arbitror si a sua origine repetatur dispositio exigendi septimae manus testimonium. Advertatur huiusmodi testimonium vel *septimae manus;* vel *septimae* aut *quintae manus,* ut in cap. 8 *De Pur g. can.* vel *quartae decimae manus,* ut in cap. 10 *h. t.* passim adinveniri in collectione decretalium Gregorii Noni. Ratio est quia ius canonicum purgationi vulgari de qua inscribitur titulus 25 Lib. V; sub qua appellabantur usus *duelli iudicialis,* vel probationes *aquae tepentis* aut *frigidae* aut *ferri candentis,* quibus mediis sacrilegis et seperstitiosis Curiae civiles conabantur agitare iudicia criminalia, huiusmodi vulgari purgationi ius canonicum opposuit *purgationem* seu *de-*

(1) Eecole Vol. XXII, 366.
(2) Videsis Vol. XXIII, 156.

fensiones canonicas. Haec consistit in productione testium qui affirment plenam fidem assertioni alicuius adhibendam esse suoque iuramento illius dicta et honestatem solemniter confirment; quocirca isti testes dicti fuerunt *coniuratores, compurg atores, sacramentales.* Hinc in cap. 8 *De Pur g. Can.* Lucius III decernit « .... *Quia vero peregrina iudicia sunt inhibita* (seu purgatio vulgaris) *purgationem quam praestitit sufficere non putantes, mandamus quatenus si accusatores idonei non apparuerint, ut cum septima aut quinta manu sui ordinis (sicut expedire cognoveris) per purgationem canonicam innocentiam suam, ostendat, sibi iniungat. . . . etc.* » In cap. 10 *h. t.* Inn. III haec habet in corpore cap. « . . . . *attendentes autem vulgatam infamiam grave scandalum et vehementem suspicionem, ex testium dictis ob ortam, quae contra Decanum facere videbantur, cum propter eorum quodlibet et esset purgatio canonica indicenda, et servantes iustitiam et mullientes rigorem, purgationem ei quartae decimae manus sui ordinis duximus indicendam.* » Officium vero horum testium diserte tradit cap. 13 *h. t.* « *De testibus:* (et inf.) *Illi vero qui ad purgandum alicuius infamiam inducuntur, id solum tenentur iuramento firmare quod veritatem credunt eum dicere qui purgatur.* » Van-Espen Part. III *De Inst. Caus. Crim.* tit. VIII, ita explicat illam *manus* appellationem. « Cum autem constet manum semper fuisse symbolum fidei ; atque idcirco in iudiciis et contractibus, ubi fides addicitur, manus porrigi in signum fidei solitum quoque fuit; uti et hodie, porrectis manibus iuratur; indeque nihil frequentius in antiquis legibus quam *manu quinta, manu sexta, septima vel duodecima se purgare;* id est quinque, sex, septem vel duodecim adhibitis iuratoribus. »

Exinde sequitur huiusmodi esse testes de credulitate qui inducuntur in causis criminalibus vel aliis in quibus agitur de bono publico, quando in eisdem vel deficiunt evidentes probationes vel haberi non possunt ob eorum naturam, prouti evenire solet in matrimonialibus causis, quae attingunt facta

aliquando coniugibus tantummodo perspecta. Quocirca per tales *coniuratores* necessarium fuit quammaxime fidem coniugum roborare et in tuto ponere, non solum in causis impotentiae coeundi, sed etiam in aliis.

Denique Archiepiscopus tertiam complexam quaestionem sub hisce quatuor dubiis proponit:

1. « Liceatne sine speciali pro unaquaque vice permissione S. Congregationis recipere instantiam et instituere processum in ordine ad effiagitandam dispensationem Sanctissimi? - et, quatenus negative. -

2. « Liceatne, absoluta instructione causae ex titulo impotentiae physicae, quum inspectio corporum demonstravit virginitatem uxoris, non tamen evicit impotentiam mariti, transmittere acta causae ad S. C. pro impetranda Sanctissimi dispensatione?

3. « Si uxor virginem se esse contendens, virginitatemque suam per inspectionem evincere sustinens, maritum impotentiae insimulat, - is vero contumax est, vel, comparendo, negat, sed inspectioni succumbere renuit - liceatne unilateraliter id est ad solam uxoris instantiam processum ulterius tractare ac deinceps acta ad S. C. transmittere, petendae a Sanctissimo dispensationis causa; an vero processus sit inhibendus veniaque S. C. in ulteriorem eius instructionem impetranda?

4. « Num in supra relatis casibus (1, 2 et 3) necessario annectendae sint non modo coniecturae Defensoris, sed etiam opiniones Theologi et Canonistae? »

In primis inquirendum an processus in causis matrimonialibus super dispensatione a matr. rato et non consummato instrui possint ab Ordinariis absque delegatione Romani Pontificis. In propositam quaestionem haec animadvertantur. Agens Bouix de modo servando quoad dispensationes matrimonii rati et non consummati et quaerens an in expedienda causa dispensationis huiusmodi servandae sint apud S. Congregationem solemnitates a Benedicto XIV praescriptae in. causis nullitatis matrimonii, haec habet (De iudiciis II c. 3)

« Causa dispensationis matrimonii rati et non consummati semper implicite continet et involvit causam nullitatis matrimonii : nam in causa dictae dispensationis Sacrae Congregationis solvendum incumbit hoc dubium: *An expediat nunc concedi matrimonii* (quod praetenditur non consummatum) *dispensationem.* Hoc autem datum dubium affirmative solvi nequit nisi prius soluto altero dubio *utrum verum sit non intervenisse matrimonii consummationem.* Prout autem hoc ultimum dubium affirmative vel negative solvitur pronuntiata validum vel irritum fore post obtentam dispensationem, tum novum matrimonium quod contraheretur, tum prius matrimonium pro quo solvendo obtenta fuisset dispensatio. Ergo causam dispensationis matrimonii rati non consummati dirimere est simul et indivulse dirimere causam nullitatis vel validitatis alicuius matrimonii. » Quae si vera sint, profecto sequitur, Episcopum quemcumque in sua dioecesi, quum ipse ex Trid. C. de validitate seu invaliditate matrimoniorum iudex sit in prima instantia, posse huiusmodi processum de inconsummatione matrimonii ad effectum dispensationis obtinendae ipsum perficere.

Praeterea Bened. XIV in sua celeberrima Const. *Det miseratione* expresse statuit, in his causis pro dispensatione matrimonii rati et non consummati actis, supplicem libellum Rom. Pontifici exhibendum esse, in quo plena et accurata, totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit an petitionem reiiciat vel eius examen alicui ex Rom. Congregationibus committat. Porro quemnam valorem habebunt affirmationes in huiusmodi supplici libello contentae, quibus Rom. Pontifex fidere possit, ut causam alicui Congregationi committat, nisi authentice recognitae fuerint ab Episcopo? Quomodo autem id faciet Episcopus nisi processu instituto ?

His autem ita se habentibus multo magis, quoad 2um et 3um Dubium, videtur fieri posse ut Episcopus, absoluta in-

structione causae ex titulo impotentiae physicae, quum inspectio corporum demonstraverit virginitatem uxoris, non tamen evicerit impotentiam mariti, transmittere possit acta causae ad S. Congregationem pro impetranda SSmi dispensatione. Itemque, ut si quando uxor contendat per inspectionem probare suam virginitatem, maritum de impotentia insimulan s, isque vel nolit comparere vel comparens neget impotentiam suam, simulque nolit inspectionem subire, Episcopus possit ad solam uxoris instantiam processum ulterius tractare, ac deinceps acta transmittere ad S. Congregationem pro dispensatione obtinenda.

Id autem confirmatur ex eo quod (ut Emus Archiepiscopus Varsaviensis refert) institutum absque venia S. C. O. processum quemdam pro impetranda dispensatione cuiusdam matrimonii rati et non consummati, Curia illa Archiepiscopalis Romam inierit et data dispensatione *sub die 20 Aprilis 1885* non solum S. Congregatio nihil reprehendendum duxit quoad formam processus, sed ipse Defensor matrimonii •*ex* officio testatus est, processum exactissime servatis formis a Bened. XIV in his casibus praescriptis et ab Inst. S. C. C. declaratis, perfectum esse.

Hactenus de prioribus tribus dubiis; quartum vero dubium nullum negotium facessit, nam quando processus transmittendus est, requiruntur etiam Defensoris matrimonii ex officio animadversiones, quibus deficientibus processus in causis matrimonialibus integer non est : at nullibi in iure praescribitur dispositio uniendi actis processualibus etiam votum Canonistae et Theologi; quocirca eadem servanda non est.

At ex adverso primae et principaliori quaestioni prioris dubii, nempe an Episcopus absque Summi Pontificis delegatione possit instruere processus in causis matrimonialibus dispensationis, negative respondendum videtur. Nam admitti debet uti fundamentale principium, ius conficiendi processum in iudice oriri ex obiecto, quod per sententiam iudicari debet, adeo ut processus se habet uti medium necessarium ad finem. Quapropter si iudex in illa materia nullam habeat

competentiam iudicandi per sententiam definitivam, processum instruere non valet. Unde non habet imperium ad citandas partes eisque alios actus processuales imponendi sub poena contumaciae quae non admittitur nisi per inobedientiam iudici competenti; *cum incompetenti,* iuxta effatum, *impune non pareatur.* Revera si Episcopus excipiens instantiam Bertae pro ineundo processu ad dispensationem super matr. rato et non consum. impetrandam, eius virum citaret ad suum tribunal, nonne hic respondere posset, se nolle comparere, quia Episcopus hanc dispensationem impertire non potest et hinc de ea causa incompetens recognoscitur? Sententia enim est pars finalis et substantialis processus ad quam necessario ordinari debet tela iudiciaria.

Hisce praemissis, patet quomodo intelligenda sit § 14 Benedictinae Constitutionis et praesertim haec verba - ibi — « .... *supplex libellus nobis vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur* (scilicet ab Ordinariis) *in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in ea exprimantur quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex eo lecto et mature considerato etc.* » Exinde patet, Pontificem loqui de factorum relatione *extraiudiciali* a supplicante exarata absque concursu strepitus iudicialis. Ita vero decrevit Pontifex quia omnino gratiosae erant huiusmodi causae et rariores, non vero frequentes uti nunc, nec implicatae necessario in contentionem iudicialem, prouti hodie evenit, quando causae ex impotentiae capite, vel ex alio quocumque impedimento, si fieri potest dissolvuntur per dispensationem a matr. rato et non consummato.

Exinde sequitur responsio ad 2um et 3um dubium. Materies enim seu obiectum iudicii est actio uti perspecte edicitur in - *Regolamento Legislativo e Giudiziario di Qreg. XVI, part. III, tit. I, § 396: « Tutti i giudizi hanno per oggetto un azione personale, reale o mista: la qualità e F indole di ciascuna azione è determinata dalle leggi del diritto comune.* » Proinde quando a parte actrice promovetur actio

nullitatis ex capite impotentiae, iudex Ordinarius, plane competens , emittit decretum citationis, et contra contumacem mediis coercitivis procedere potest; at, si hoc non expediat, vel si, hisce non obstantibus contumacia non perfringitur, tunc ad instantiam partis diligentioris procedit ad comparandas eas probationes, suapte natura efficaces in iudicio de nullitate ex capite impotentiae. Quod si vir, impotentiae insimulatus, ipse sit in omnibus contumax aut solummodo corporis explorationi nullimode subesse patiatur, hoc casu sane Episcopus de impotentia sententiam ferre non posset, sed processum iam incoeptum deberet sententia definire, decernendo non constare de nullitate ex viri impotentia ob huius contumaciam, quamvis gravissima militent iudicia in partem affirmativam ob exploratam mulieris originalem integritatem.

Deinde si mulier sibi consulere velit, postulando a S. Pontifice dispensationem a matrimonio rato, et non consummato plane utitur iure suo ; et Episcopus acta processus denegare non potest, quaeque, ceteris paribus, nulla indigent sanatione. Nam scitissimi iuris est, debere distingui acta causae ab actis iudicii. *Acta iudicii* dicuntur illa quae respiciuut ordinationem iudicii : ut sunt citatio, litis contestatio, termini perentorii aut utiles; et alii eiusdem generis; *acta causae* vocantur illa quae concernunt indagationem veritatis ad litem decidendam; prouti sunt testium depositiones, instrumenta, confessiones et in universum aliae probationes in acta redactae. Atqui perempta instantia, seu finito iudicio, *acta iudicii* non habent effectum in alia instantia; at *causae acta* seu *probationes* fidem faciunt etiam in alio iudicio inter easdem personas; uti cum communi inferunt Reiffenst. *Lib. II, Decret, tit. I, n. 187 ;* Pirhing. *h. t. n. 96 eoe cap. 11 De testibus et 2 De excepi.* Quapropter *acta causae* in iudicio ex capite impotentiae plenum habent vigorem, si aliunde legitime sint confecta, etiam in alia instantia coram S. Pontifice ad impetrandam dispensationem.

Exinde confirmatur responsio iam facta quarto dubio, nempe requiri Defensoris matrimonii ex officio animadversiones,

quando processus in Curia conficitur sive ex Episcopi potestate ordinaria sive ex delegata S. Pontificis, quia a canonibus haec opera Defensoris matrimonii ex officio requiritur, at nullibi exquiritur, inter acta processualia, Theologi et Canonistae votum.

At Archiepiscopus occurrens casui responsionis negativae, has obtulit preces: « Denique, si decisio S. C. C. ad tria priora dubia futura sit negativa, rogo enixe Eminentiam Vestram, exponi Sanctissimo Domino meas humillimas preces, ut in eiusmodi casibus, identidem recurrentibus, mihi, meisque in Provincia Varsaviensi Suffraganeis, ob periculum incontinentiae, partibus ex mora quippe in locis a Roma multum dissitis imminens, concedatur licentia causam sine peculiari pro quolibet casu impetratione veniae instruendi, praemisso processu informativo de causis dispensationis, ac deinde tabulas ad S. Congregationem transmittendi, ut, si Eminentissimis Patribus visum fuerit, Sanctissimo de concedendae dispensationis beneficio supplicetur. »

Sapientiae Vestrae et prudentiae erit EE. PP. iudicare an et quomodo his precibus annuendum sit. Interim mihi liceat advertere, nihil *ex iure* videri obstare quo minus Episcopi petitio benigne excipiatur; *pro praxi* vero admodum accommoda videtur haec ratio agendi, illi iudiciorum sollicitae expeditioni quae Vobis in votis usque fuit.

Hisce animadversis proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. Sitne in causis nullitatis matrimonii ex quocunque titulo coram Iudice Spirituali agitatis necesse exigere, ut testes septimae manus producantur, an vero id in solis causis ex capite impotentiae devolutis observandum, in ceteris autem omnibus praetermitti posse?

II. Liceatne sine speciali pro unaquaque vice permissione S. Congregationis recipere instantiam et instituere processum in ordine ad efflagitandam dispensationem Sanctissimi?

Et quatenus negative :

III. Liceatne, absoluta instructione causae ex titulo impotentiae physicae, quum inspectio corporum demonstravit virginitatem uxoris, non tamen e vicit impotentiam mariti, transmittere acta causae ad S. C. pro impetranda Sanctissimi dispensatione?

IV. Si uxor virginem se esse contendens, virginitatemque suam per inspectionem evincere sustinens, maritum impotentiae insimulat, - is vero contumax est, vel, comparendo, negat, sed inspectioni succumbere renuit, - liceatne unilateraliter, id est ad solam uxoris instantiam processum ulterius tractare ac deinceps acta ad S. C. transmittere petendae a Sanctissimo dispensationis causa ; an vero processus sit inhibendus veniaque S. C. in ulteriorem eius instructionem impetranda?

V. Num in supra relatis casibus (I, II et III) necessario annectendae sint non modo coniecturae Defensoris, sed etiam opiniones Theologi et Canonistae?

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 16 Iunii 1894 censuit respondere : Ad I. *Negative ad primam partem; et testimonium septimae manus, stricto sensu sumptum, exigi ad corroborandas confessionem coniugum quoad inconsummationem matrimonii.* Ad II. *Negative.* Ad III. et IV. *Affirmative.* Ad V. *Negative.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Decretum S. Officii diei 5 Iunii 1889 vim decreti generalis habere, ita ut liceat penes omnes orbis catholici curias episcopales in praxi iudiciali aliquid praetermittere ex Constitutione *Dei miseratione,* et una sententia claudere causas matrimoniales in casibus in decreto expositis.

II. Productionem testium *septimae manus* haud exigendam esse in causis nullitatis matrimonii ex quocumque titulo; sed eiusmodi testimonium, stricto sensu sumptum, exigi debere ad corroborandam confessionem coniugum quoad inconsummationem matrimonii.

III. Testes *septimae manus* haud proferre testimonium

scientiae sed *credulitatis;* rogantur enim an credant vera dixisse coniugem, a quo inducti fuerunt, perspecta eius religione et honestate.

IV. Episcopos, absque Summi Pontificis delegatione, non posse instruere processum in causis matrimonialibus pro obtinenda SSmi dispensatione : quia Episcopi auctoritate carent iudicandi hanc materiam per sententiam definitivam.

V. Id erui etiam ex *Constit. Benedictina § 14;* qua Ordinarii praecipiuntur exhibere R. Pontifici supplicem libellum, in quo exacte exscripta sit facti species, et causae conducentes ad obtinendam petitam dispensationem, nullo facto verbo de strepitu iudiciali.

VI. Absoluta instructione causae ex titulo impotentiae, evicta, per corporis inspectionem, uxoris virginitate, licere ad instantiam uxoris processum ulterius tractare, et ad S. C. C. mittere acta causae, etsi non probata viri impotentia : quia mulier iure utitur suo si petat a Romano Pontifice dispensationem a matrimonio rato et non consummato.

VII. Necesse autem non esse mittere, una cum actis causae, votum Theologi et Canonistae, sed tantum mittendas esse animadversiones defensoris vinculi ex officio.

PINNEN.

ONERUM

Die 14 Iulii 1894.

Trid. Concil. Sess. 7, cap. 8 De reform.

COMPENDIUM FACTI. In oppido *Tossiccia* Dioecesis Pinnensis usque ad annum 1579 animarum cura gerebatur a tribus cappellanis, a loci Municipio nominatis, quorum duo suam congruam repetebant a duobus Curatis, altero S. Georgii in *Ornano grande,* et S. Andreae in *Flammignano* altero.

Oppidi *Tossiccia* Universitas sub anno 1579 preces obtulit Episcopo pro tempore, Ioanni Baptistae de Benedictis, ut

dignaretur illam Ecclesiam ad dignitatem Ecclesiae Archipresbyteralis evehere ; quod benigne concessit idem Episcopus per Bullam diei 20 Martii 1579, decernens, Archipresbyterum perfuncturum pastorali munere a tribus Cappellanis adiutum *cum auctoritate et facultate gubernandi et regendi bona ipsius Ecclesiae mobilia et stabilia.* Eadem Bulla concessit loci Municipio facultatem praesentandi, in perpetuum, Archipresbyterum; illi confirmans ius nominandi duos cappellanos, a duobus Curatis, supra memoratis, quadam praestatione donatos. Pro tertio cappellano Episcopus cavebat ut *ad ipsius nutum et voluntatis amovibilis in futurum eligatur et nominetur per dictum Archipresbyterum... et quatenus evenerit mortis casus... negligens fuerit in eligendo... fructus qui interim ex portione dictae Cappellaniae sic vacantis percipient***y** *cedant et cedere debeant in utilitatem, et beneficium dictae Ecclesiae... Cui Cappellano dari***y** *consignan et responderi volumus per dictum Archipresbyterum omnes et quoscumque fructus et proventus ac obventiones... ex legato facto per q. Christophorum Cicci de dicta terra... et Archipresbyter negligens fuerit in eligendo et nominando... fructus dictae cappellaniae cedant et convertantur et cedi et converti debeant in utilitatem, et beneficium tantum dictae Ecclesiae et non aliter, nec alio modo.*

Interim decursu temporis accidit, sed quonam pacto nescitur, quod ipsum Municipium exegerit a Curatis praestationes pro duobus Cappellanis constitutas, easque assignaverit *in Publicis Libris; accepti et expensi;* ita ut non semel processerit ad actus executivos in exigenda hac contributione, quam postea ipsum Municipium Cappellanis conferebat. Imo in actis extant nonnulla Tribunalium decreta, quibus haec actio Municipii executiva recognoscitur et defenditur.

At anno 1876 Ecclesia Archipresbyteralis duobus Cappellanis destituta, qui a Curatis alebantur, amplius iisdem provisa non fuit ob deficientem sacerdotum numerum. Nihilominus Municipium a duobus Curatis suetas pro Cappellanis praestationes exigere perseveravit usque ad 1886, quo Sancti

Georgii Curatus illius petitioni restitit, quia non amplius cappellani nominaban tur. Municipium antea recursum habuit ad tutricem administrativam auctoritatem, quae in eodem nullum ius recognovit exactionis, imo praecepit ut a publicis libris rationum curatorum praestatio expungeretur. Verum non acquiescens Municipium, experiri suum ius voluit apud tribunalia, sed non meliore omine, nam apud omnes iurisdictionis gradus victum discedere debuit; non quod iudicatum fuerit de obligatione curatorum praestandi suum tributum etiam non extantibus cappellanis; sed integra hac remanente quaestione, decretum fuit, Municipium quacumque in hypothesi carere actione ad hoc ius experiendum contra curatos.

Cum Municipium ab huius actionis exercitio exclusum fuerit, consequens fuit, ut statim subingrederetur Archipresbyter, qui antea protestatus se nolle adire civile Tribunal, sub anno 1890 apud S. C. C. iudicium instituit petens, ut sibi ius recognosceretur exigendi dictam praestationem a Curatis, quae si interim in cappellanorum sustentatione erogari non poterit, converteretur in alias cultus expensas, omnino suae Ecclesiae necessarias, praesertim ob urgentes reparationes Ecclesiae fabricae faciendas.

Ad evincendum suum ius vero actor imprimis invocabat trium saeculorum non interruptam consuetudinem, iuxta quam Curati semper solverant Ecclesiae archipresbyterali tributum.

Hanc obligationem aiebat, a Curatis solemniter assumptam per publicum instrumentum diei 17 Februarii 1760, nec non per Bullam iam citatam diei 20 Martii 1579. Praesertim quoad hanc Bullam considerabat posteriora verba iam citata, per se spectantia tertium cappellanum eligibilem ab archipresbytero, quaeque aperte decernunt, portionem cappellaniae vacantis erogandam esse *in utilitatem et beneficium Ecclesiae et non aliter.*

Dein notabat ; sane archipresbytero hanc actionem denegari non posse, uti iure merito Municipio abiudicata fuit,

quia Bulla erectionis disponit, archipresbytero competere administrationem *in bona mobilia et stabilia* Ecclesiae.

Quia ex allegationibus Archipresbyteri constabat, capitalem gravitatem habere instrumentum *diei 17 Febr. 1560,* constituens curatorum obligationem ad praestationem; mea cura fuit scribere Ordinario ut idem S. C. C. transmitteretur ; sed semel iterumque Ordinarius, non contradicente archipresbytero , protestatus est per suas literas, hoc instrumentum in archivio vel aliud consimile et ad litem spectans inveniri non potuisse.

Demum die 18 Decembris 1893 scribens idem archipresbyter ad S. C. O. dolet, quod post varios casus instructionis huius iudicii, res adhuc ad finem perducta non sit et concludit annuncians quasi *per transennam,* se, praehabita Ordinarii facultate, iam adivisse civile Tribunal.

Curati in hac causa conventi, suum constituerunt patronum, qui praeprimis advertit quod praestatio constabat vulgo « di sette salme di grano e sette salme di vino *(mosto)* per ciascuno » ceu habet episcopalis Curia in sua relatione.

Notat insuper Orator, quod nunc Archipresbyter, spreta recursu ad S. C. C. ab ipso exhibito, iudicium instituit civile contra Parochum S. Georgii, loci *Ornano grande,* ut hic compelleretur ad persolvendam praestationem ; unde dubitat, eumdem incurrisse censuras a Const. *Apost. Sedis* comminatas.

Disceptatio synoptica

CURATORUM DEFENSIO. Nonnullis praemissis et enarratio ad factorum historiam, patronus dicit, deficientibus Capellanis , non teneri Parochos de quibus agitur ad persolvendas praestationes. Profecto constituta fuit praestatio ut suppeditantur congrua substentatio Capellanis, qui officium paroeciale gererent una cum Archipresbytero loci *Tossiccia* et cooperaren tur in eodem officio cum Parocho S. Georgii loco *Ornano grande,* cuius paroecia consistebat in septem parvulis villis, in vastissima regione positis. Cessantibus Cap-

pellanis, qui coadiuvarent in animarum cura, cessat cum illis congrua substentatio. Non potest enim illa reservari non existentibus. Deest enim finis congruae assignatae.

Praeterea urget Patronus, hoc probat decretum ipsum episcopale, quo erigitur Archipresbyteratus in paroeciali Ecclesia. Iamvero in praefato decreto nullum fit verbum de stipendio assignando duobus Cappellanis, et persolvendo a duobus dictis Parochis.

Frustra, prosequitur Orator, adversarius opponit instrumentum anni 1560, in quo asserit Parochos nostros assumpsisse obligationem persolvendi praestationes favore Parochi Loci *Tossiccia.* Etenim ex duobus Curiae responsis non constat de existentia et veritate praefati instrumenti, et proinde de assumpta obligatione. Cum ergo non constet de causa obligationis, necessario consequitur cessare quoque effectum. Unde ad rem ait Tiraquellus « cessante obligationis causa, cessat etiam effectus » *Tract, cess. caus. p. 1, n. 22.*

Ceterum constat, regulam Sacrorum Canonum notissimam esse, ut beneficiorum onera ex fundationis tabulis sumantur, et commensurentur, quin possint ampliari. *Clement. Quia contingit lib. 3, tit. 11 de relig, domib.* Porro ex fundationis tabulis non patet, posse Archipresbyterum exigere praestationes ad effectum illas erogandi in restaurationes Ecclesiae aut in cultus expensas. Quocirca, patet, deficientibus Capellanis, non teneri parochos enuntiatos ad praestationes persolvendas. Haec nimirum confirmavit lex 99 *ff. de verb. oblig.* quae docet causam obligationis debere esse expressam ; si aliter est, debet intelligi fuisse omissam, ibi : « Quidquid adstringendae obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum esse, intelligendum est ». At in casu, minime fuisse dictum constat, deficientibus Capellanis, praestationes erogandas esse in instaurationes Ecclesiae, vel expensas cultus.

Sed esto quod Capellani extarent, prosequitur patronus, tamen nunc Parochus S. Georgii non teneretur ad praestationem persolvendam. Non enim haberet unde persolvere

praestationem, quae consistit in annuis libellis 225, ceu testatur Syndacus loci *Tossiccia.* Nam parochus S. Georgii non solum non habet excedentiam congruae assignatae a Concilio Tridentino, nec ipsam congruam habet, unde provideat suae honestae substentationi.

Frustra demum opponitur, ait patronus, Municipium loci *Tossiccia* habere ius nominandi Capellanos. Hoc enim ius secum fert onus Municipii concurrendi ad illos sustentandos. Qui enim sentit commodum, et incommodum sentire debet, quod est quasi correspectivum commodi, proinde non solum non potest praetendere praestationes, sed teneretur illas suppeditare.

Demum animadversum fuit quod Episcopus hac in controversia suam non dedit sententiam, sed non dubie suam aperuit mentem, asserens sibi non videri probatam Archipresbyteri intentionem, donec saltem non producantur ea instrumenta, hactenus inutiliter conquaesita, quibusque tantum Archipresbyter confidit.

Hisce praenotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An, non obstante Cappellanorum defectu, solvenda sit apposita praestatio a Curatis, in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 14 Iul. 1894 censuit respondere : *Ex deductis negative et ad mentem.*

PARENTINA ET POLEN.

DUBII QUOAD LITERAS TESTIMONIALES AD S. ORDINES

Die 14 Iulii 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM PACTI. Ordinarius retulit : mea Dioecesis proprio caret seminario, et scholis mediis, excepto Gymnasio regio Polae. Candidati sacerdotii, ut incumbant studio theologiae, per quatuor annos excipiuntur in seminario centrali

Goritiensi, ubi nunc aluntur sexdecim e mea Dioecesi. Iuvenes priusquam adeant studium theologiae, studia gymnasii implent apud status civilis Instituta. Ut vero educationi religiosae iuvenum, militiam ecclesiasticam exoptantium consuleretur, quatuordecim iam abhinc annis excitatum fuit Iustinopoli Institutum quo, iidem aluntur. Istius moderatores a me nominantur, quamvis sint sub iurisdictione Ordinarii illius loci; ceu sunt sub iurisdictione Ordinarii Goritiensis moderatores seminarii, in quo educantur sexdecim iuvenes missi illuc e mea Dioecesi, pro studio theologiae.

Hisce praehabitis, ne posthabere videar sacros canones, et praesertim Constitutiones *Speculatores* Innocentii XII, et *Apostolicae Sedis* Pii IX quoad ss. ordinum collationem, expeto ab Apostolica Sede utrum sufficiant attestationes de bonis moribus a praedictorum Institutorum moderatoribus actae, vel mihi comparandae sint litterae testimoniales Episcoporum, in quorum Dioecesibus Seminarium et Institutum reperiuntur.

Disceptatio Synoptica

LITTERAE TESTIMONIALES REQUIRI NON VIDENTUR. Pro negativa sententia sane non spernenda adsunt iuris momenta. Nam Constitutio Innocentii XII *Speculatores*, decernens de uteris testimonialibus ait « quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicuti praemittitur, natus est, moram traxerit ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario eius loci literas testimoniales, ut supra obtinere, illasque Episcopo ordinanti, per eum in collaturum ordinum testimonio similiter recensendas, praesentare teneatur ». Ubi aperte Bulla loquitur de casu tantummodo habiti domicilii in loco accidentalis originis : atqui taxativae legis dispositiones de casu ad casum pertrahi non possunt. Hinc S. C. C. in *Tur ritana* seu *Bosanensi 17 Martii 1708* inter alia proposito dubio: *An subditi Episcopi B os.anen si, tam ratione domicilii, quam originis, qui ratione studiorum moras traxerunt in civitate*

Saxonensi, potuerint ad ordines promoveri ab eodem Episcopo sine testimonialibus Archiepiscopi, respondere censuit *Affirmative.* Et eodem sensu responsum fuit in *Algaren.* 3 Augusti 1709 et in *Vicentina* seu *Neritonen.* 17 Iunii 1719. Unde non esset nisi laudanda Episcopi prudentia, in casu, qui cum nulla teneretur obligatione, tamen ad cautelam a moderatoribus Seminarii literas testimoniales expostulavit.

LITTERAE TESTIMONIALES REQUIRI VIDENTUR. Sed ex alia parte notandum est a iam memoratis decisionibus in contrarium sensum posthac deflexisse S. C. C. iurisprudentiam, uti aperte docent *Asculana* seu *Montis Alti* 3 Febr. 1733; *Fabrianen.* 19 Aug. 1797; *Lünen.* 29 Maii 1824 et praesertim *Spoletana* et *Reatina* 11 Iulii 1840, in qua S. C. ad Dubium: *An clericus Cyrillus Cliri sine Uteris testimonialibus Episcopi Reatini fuerit licite ad subdiaconatus Ordinem promotus in casu,* responsum fuit : *Ex peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur, concurrentibus non esse inquietandum ; in posterum vero in casibus similibus esse exquirendas literas testimoniales, iuxta votum Emi Relatoris.* In Voto autem Emi Relatoris haec leguntur : « Ex istis duobus inter se discrepantibus sententiis, secunda potius mihi arridet, utpote quae nedum ut posterior sed posterioribus S. C. C. decretis magis consentanea; et scopum, sapientiamque Constitutionis Innocentianae pressius attingit, penitusque excludit ea incommoda quae ex contraria opinione possent identidem suboriri; quare áb hac severior! sed tutiori sententia minime recedendum in casu arbiträrer etc. ». De hac formali obligatione vero post suspensionem comminatam a Constitut. *Apostolicae Sedis* sub art. 3 ; contra ordinantem, absque hisce Uteris « subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit » amplius dubitari non potest.

Posita vero *formali* obligatione exquirendi literas testimoniales quia Innoc. XII in Const. *Speculatores* dicit dandas esse *ab Episcopo, ab Ordinario,* et Const. *Apostolicae Sedis* exquirat has *Ordinarii* literas, admitti non posse vi-

detur sententia Episcopi opinantis, sufficere literas Moderatorum Seminarii qui Ordinariorum nomine non veniunt, nec ad dandas has testimoniales auctoritatem habent.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 14 Iul. 1894 censuit respondere : *Litteras testimoniales a respectivis Ordinariis loci esse exigendas.*

EX QUIBUS COLLIGES : Ut Episcopus suos subditos, qui alibi morantur, promovere valeat ad sacros Ordines, exquirendae sunt litterae testimoniales Ordinarii loci, quo subditi ordinandi morantur (1).

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

LITTERAE ENCYCLICAE ex S. Congregatione Episcoporum et Regularium negotiis dignoscendis praeposita, Leonis Papae XIII iussu super sacra Praedicatione, ad omnes Italiae Episcopos, atque ad omnes Ordinum coetuumque religiosorum Praesules datae.

La Santità di N. Signore Papa Leone XIII, a cui tanto sta a cuore 1' apostolico ministero della predicazione, come quello che è sì necessario, massime in questi lempi, alla retta istituzione del popolo cristiano, non senza grande dolore dell' animo suo è venuta a sapere che nella maniera d' annunziare la divina parola si sono da qualche tempo introdotti alcuni gravi abusi, che rendono spesso 1' odierna predicazione o dispregevole, o alme-

Sanctissimus Pater, Leo Papa XIII, cui apostolicum sacrae Praedicationis ministerium adeo cordi est, utpote Christiano populo, his praesertim temporibus, recte instituendo tantopere necessarium, magno quidem animi sui dolore accepit, in annuntiandis e suggestu Fidei mysteriis multa peccari, complures scilicet, aliquot abhinc annis, eosque gravissimus, irrepsisse abusus in modum, quibus saepenumero sacra hodie Praedicatio spretu di-

(1) Recole Vol. XXVI, 112. In *Firmana* autem relata pag. 428. Vol. eiusdem resolvitur, litteras testimoniales Ordinarii loci esse necessarias quoties promovendus ad sacros Ordines moratus sit illo in loco saltem per trimestre. Confer etiam Vol. XIV, 392, 398; uti collecta fuerunt plura quoad litteras testimoniales et dimissorias.

no sterile e infruttuosa. Per la qual cosa, seguendo le orme dei -suoi predecessori (1), ha ordinato a questa S. Congregazione dei Vescovi e Regolari di rivolgersi agli Ordinarii d'Italia e ai Superiori Generali degli Ordini Regolari, per eccitarne vivamente la vigilanza e 10 zelo a porre, quanto è da loro, un riparo a questi disordini, e procurare che si tolgano onninamente di mezzo. Obbedendo pertanto agli augusti comandi del Santo Padre, questa S. Congregazione mette sotto gli occhi dei Revmi Ordinarii e Capi d'Ordini Regolari e pii Istituti ecclesiastici le seguenti norme, affinchè con ogni diligenza e premura ne curino *Y* osservanza.

1. E primamente, per ciò che appartiene alle qualità del sacro predicatore, avvertano di non mai affidare un ministero sì santo a chi non sia fornito di vera pietà cristiana e compreso di grande amore a N. S. Gesù Cristo, senza del quale non sarebbe mai altro che ***aes sonans et cymbalum tinniens*** (2) ; nè mai potrebbe avere quel vero zelo della gloria di Dio e della salute delle anime, che deve essere 11 solo movente e il solo fine dell' evangelica predicazione. E questa pietà cristiana, sì necessaria ai

gna, aut saltem sterilis ac prorsus inutilis efficitur.

Quapropter antecessorum suorum vestigia premens, hanc S.Congregationem Episcoporum et Regularium causis dignoscendis praepositam iussit ad Italiae Episcopos, Praesulesque Religiosorum Ordinum sese convertere, eorumque vigilantiam ac zelum vehementer excitare, ut quoad per ipsos fieri potest, huic incommodo remedium afferant, atque illud omnino removendum curent.

Augustis igitur Sanctissimi Patris praeceptis obsequens haec S. Congregatio Rmis Episcopis ac Regularium Ordinum, Coetuumque ecclesiasticorum Praesulibus hasce regulas omni diligentia studioque observandas exhibet.

1. Primum quidem quod ad sacri Oratoris personam attinet, caveant huiusmodi adeo sanctum Ministerium ulli concredere, qui nec sincera christiana pietate praeditus, nec fervido in Dominum nostrum Iesum Christum amore incensus sit; sine quo aliud profecto non esset Orator, nisi ***aut aes sonans, aut cymbalum tinniens*** (i. Cor. XIII. 1), nec unquam verum divinae gloriae et salutis aeternae animarum zelum habere posset, qui solus et ratio impellens, et finis ultimus evangelicae praedicationis sit oportet.

(1) Fra gli altri, Clemente X, Innocenzo II, Innocenzo XII, Benedetto XIII, ora con atti pontificii, ora per mezzo della S. Congregazione del Concilio o di quella dei Vescovi e Regolari, emanarono, secondo i bisogni dei tempi, sapienti prescrizioni intorno alla sacra predicazione.

(2) I. Cor. XIII, 1.

sacri banditori, uopo è che risplenda anche nella loro condotta esteriore, la quale non deve mai trovarsi in contraddizione coi loro insegnamenti, nè aver nulla di secolaresco e di mondano, ma sempre esser tale che li mostri veramente ***ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*** (1); altrimenti, come osserva *Y* angelico S. Tommaso, ***si doctrina est bona et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei*** (2).

Colla pietà poi e colla virtù cristiana vuole andare congiunta anche la scienza, essendo manifesto e dalla esperienza continua comprovato, che una predicazione veramente soda, ordinata e fruttuosa vano è aspettarla da coloro, che non sono nutriti di buoni studii, principalmente sacri, e che fidenti in certa lor naturale loquacità, temerariamente salgono il pulpito con poca o nessuna preparazione.

Costoro, per ordinario, non fanno altro che batter l'aria, e alla divina parola, senza avvedersene, accattare dispregio e derisione; quindi loro va detto recisamente: ***Quia tu scientiam repulisti, ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi*** (3).

Haec vero christiana pietas, sacris verbi Dei Praeconibus adeo necessaria, etiam in exteriori agendi ratione fulgeat necesse est, quae> cum traditis e suggestu documentis pugnare non debet; nec quidquam iidem praeseferre vulgare aut mundamini; sed tales se exhibere, ut quisque illos existimet ***ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*** (I. Cor. IV. 1.): ***secus enim,*** ut S. Thomas Aquinas animadvertit, ***si doctrina est bona, et Praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae in doctrinam Dei.*** (Comment, in Matth. V).

Cum pietate vero et christiana virtute etiam scientia sacra coniunctim socianda est; quum apprime compertum sit, atque assidua experientia comprobatum, Praedicationem vere sapientem, rite ordinatam ac fructuosam ab iis, qui bonis studiis, praesertim vero sacris, instructi non sint, frustra expectari; eosque cuidam, qua praestant, naturali loquacitati fidentes, quin nilum (aut parum admodum) se praeparent, pulpitum ascendere.

Hi nimirum nil aliud conficiunt, quam aerem verberant, divinoque verbo contemptum irrisionemque, quin id fortasse adver tant, misere conquirunt: quibus idcirco iure merito convenit minax illud divinum effatum: ***Quia tu scientiam***

(1) I. Cor. IV, 1.
(2) Comment, in Matth. V.
(3) Os. IV, 6.

repulisti, ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi (Os. IV. 6.).

2. Dopo dunque, e non prima, che il sacerdote si sarà procacciato il corredo delle accennate doti, allora soltanto i Reverendissimi Vescovi e Capi degli Ordini Regolari gli potranno affidare il gran ministero della parola divina; invigilando però che fedelmente si attenga a quelle materie, che sono veramente proprie della sacra predicazione. Or tali materie sono indicate dal divin Redentore là dove dice: ***Praedicate evangelium*** (1).... ***Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*** (2). Conformemente alle quali parole scrisse 1' Angelico : ***Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo exhortando, hominibus praedicare*** (3). E il sacrosanto Concilio di Trento: ***Annunciantes eis vitia, quae eos declinare virtutes quas sectari oportet , ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant*** (4). Ma più ampiamente ancora fu ciò spiegalo dal Sommo Pontefice Pio IX di s. m. colle seguenti parole: «Non semetipsos, « sed Christum crucifixum praedi- « cantes, sanctissima religionis no- « strae dogmata et praecepta, iu- « xta catholicae Ecclesiae et Pa-

2. Postquam igitur sacerdos (non vero ante) quas recensuimus dotes sibi comparaverit, tum solum Rmi Episcopi, et Regularium Ordinum praesules magnum divini verbipraedicandi ministerium eidem concredere poterunt : sed tamen continenter advigilantes, ut iis dicendis rebus inhaereat Orator, quae sacrae praedicationi proprie conveniunt. Hae quidem res (quae materia propria sunt sacrae praedicationis) his divini Redemptoris verbis continentur: ***Praedicate Evangelium... Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*** (Matth. XXXIII. 20). Quae verba enarrans Angelicus Doctor scribit : « Praedicatores debent illuminare in crebendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare; et modo comminando, modo exhortando, hominibus salutaria praedicare ». (Loc. supr. citato). Et S. Trident. Concilium: «Annuntiantes eis vilia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oportet, ut poenam aeternam evaderej et coelestem gloriam consequi valeant » (sess. V. c. 2. de Ref.). Sed multo amplius a summo Pontifice Pio IX, id declaratum fuit haec scribens (Lit. encycl. 9. Novembirs 1846) : « Non semetipsos, « sed Christum Crucifixum praedi-

(1) Mare. XVI, 15.
(2) Matth. XXXIII, 20.
(3) Loco cit.
<4) Sess. V, c. 2 *de Beform.*

« trum doctrinam, gravi ac splen-
« dido orationis genere, populo
« clare aperteque annuncient ; pe-
« culiaria singulorum officia accu-
« rate explicent, omnesque a ila-
« gitiis deterreant, ad pietatem in-
« flamment, quo fideles, Dei verbo
« salubriter refecti, vitia omnia de-
« clinent, virtutes sectentur, atque
« ita aeternas poenas evadere et
« coelestem gloriam consequi va-
« leant **(1).** » Donde chiaramente apparisce che il simbolo e il decalogo, i precetti della Chiesa e i Sacramenti, le virtù ed i vizii, i doveri proprii delle diverse classi di persone, i novissimi dell'uomo ed altre simili verità eterne debbono formare la materia ordinaria della sacra predicazione.

3. Ma questi gravissimi argomenti sono oggi indegnamente trascurati da molti predicatori, i quali, ***quaerentes quae sua sunt, non quae Iesu Christi,*** (2) e ben conoscendo non esser queste le materie più acconce ad acquistar loro quell'aura popolare che ambiscono, le lasciano interamente da parte, massime nelle quaresime e in altre occasioni solenni; e insieme colle cose mutando i nomi, alle antiche ***prediche*** sostituiscono un genere mal inleso di ***conferenze,*** rivolte ad adescare la mente e la fantasia, non mai a

« cantes, sanctissima Religionis no-
« strae dogmata et praecepta, iuxta
« catholicae Ecclesiae et Patrum
« doctrinam, gravi ac splendido ora-
« tionis genere, populo clare aper-
« teque annuncient: peculiaria sin-
« gulorum officia accurate expli-
« cent ; omnesque a flagitiis deter-
« reant, ad pietatem inflamment,
« quo Fideles Dei verbo salubriter
« refecti, vitia omnia declinent,,
« virtutes sectentur, atque ita ae-
« ternas poenas evadere, et coele-
« stem gloriam consequi valeant ». Ex quibus omnibus manifesto liquet, Symbolum, Decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes et vitia, varia hominum officia pro conditionis cuiusque varietate, hominis novissima, aliasque id genus aeternas veritates ordinariam debere sacrae praedicationis, materiam constituere.

3. Atqui haec gravissima argumenta a multis divini verbi praeconibus indignum in modum negliguntur: qui quidem quaerentes, quae sua sunt, non quae Iesu Christi ; ac probe noscentes, hasce materias ad popularem auram, quam expetunt, sibi conciliandam magis prae aliis idoneas nequaquam esse, eas omnes, praesertim in concionibus quadragesimalibus, et quibusdam aliis celebrioribus anni solemnitatibus, consulto praetereunt: unaque cum rebus earum nomina permutantes, antiquis concionibus

(1) Litt. enc. 9 Nov. 1846.
(2) I. Cor. XIII, B.

muovere la volontà e a riformare i costumi. E non riflettono costoro che le prediche morali giovano a tutti, le conferenze d'ordinario sono per pochi; e che questi pochi medesimi, se fossero meglio curati nei costumi, cioè meglio aiutati ad essere più casti, più umili, più obbedienti all' autorità della Chiesa, con ciò solo avrebbero la mente sgombrata da mille pregiudizii contro la fede, e più disposta a ricevere la luce della verità; perchè gli errori religiosi, massime tra i popoli cattolici, hanno generalmente radice più nelle passioni del cuore, che nelle aberrazioni della mente, secondo quello che è scritto: ***De corde exeunt cogitationes malae. . . .blasphemiae*** (1). Perciò su quel del Salmista : ***Dixit insipiens in corde suo: non est Deus*** (2), saviamente riflette S.Agostino : ***In corde suo, non in mente sua.***

4. Nè già con questo vuol condannarsi in modo assoluto l'uso delle conferenze, le quali anzi, quando siano ben condotte, pos-

(1) Matth. XV, 19.
(2) Ps. XIII, 1.

novum aliquod genus praedicationis sufficiunt, quas morales collationes, falso sensu acceptas, vocant; quibus mens auditorum, vel potius phantasia, otiose permulceatur, non vero voluntas salubriter permoveatur, pravique reformentur mores. Hi nimirum non advertunt, conciones quidem morales omnibus, polémicas vero collationes plerumque paucis prodesse ; atque hos ipsos paucos, si accuratius fuerint bonis moribus instructi, seu si diligentius adiuti, quo maiori castitate, animi demissione, atque obedientia erga Ecclesiae auctoritatem praediti sint, id unum sufficeret, ut mentem innumeris contra Fidem erroribus immunem, et ad veritatis lucem suscipiendam paratiorem haberent : errores enim circa Religionem, praesertim inter catholicos populos, magis ab effraenatis animi cupiditatibus, quam a quibusvis mentis aberrationibus plerumque originem ducunt ; iuxta quod scriptum est : ***De corde exeunt cogitationes malae. . . . blasphemiae....*** (Matth. XV. 19.). et in Psalmo XIII. v. 1. ***Dixit insipiens in corde suo non est Deus. « In corde suo, inquit Regius Psaltes*** (sapienter hic adnotat S. Augustinus), ***non vero in mente sua »-.***

4. Nec vero ideo Collationum polemicarum usum damnandum existimamus, quae si recte perficiantur, et ipsae admodum utiles,

sono anch' esse in certi casi tornare utilissime e necessarie, in mezzo a tanti errori che spargonsi contro la religione. Ma ben si vogliono onninamente sbandire dal pulpito quelle pompose dicerie, che trattano argomenti più speculativi che pratici, più civili che religiosi, più di comparsa che di frutto, i quali perc'ò saranno forse adattati alla palestra giornalistica e alle aule accademiche, ma col luogo santo certamente non si confanno. Quanto poi a quelle conferenze, che mirano a difendere la religione dalle impugnazioni de' suoi nemici, sono bensì a quando a quando necessarie, ma questo non è peso da tutti gli omeri, sì veramente dai più robusti. Ed anche i valorosi oratori debbono usare in ciò grande cautela; che tali apologie convien farle soltanto in quei luoghi, in quei tempi e a quelle udienze, che ne abbiano un vero bisogno, e da cui possa sperarsene un vero profitto ; della qual cosa i giudici più competenti è manifesto non essere che gli Ordinarii: convien farle in maniera che la dimostrazione abbia la sua base profonda nella dottrina sacra assai più che negli argomenti umani e naturali : convien farle con tale solidità e chiarezza, da evitare il pericolo che in certe nienti restino impressi più gli errori che le verità opposte , e più facciano breccia le obbiezioni che le risposte. Soprattutto poi è da por mente che l'uso

imo etiam necessariae, tot inter errores contra Religionem quoque sparsos, quandoque esse possunt. Sed omnino a christianis suggeslinus vaniloquia illa arcenda sunt, quae de theoreticis potius rebus, quam practicis, pertractant ; de civilibus potius, quam religiosis; maioris videlicet speciei, quam fructus ; quae proinde Ephemeridum palaestris, aulisque accademicis apta forte erunt ; at vero a loco sancto prorsus absona.

Quod vero ad illas polémicas Collationes attinet, quae Religionis ab adversariorum impugnationibus defensionem spectant, sunt eae quidem identidem necessariae, at cuiusvis numeri onus non sunt, sed solummodo robustiorum. Imo ipsi maxime strenui Oratores magna debent prudentia u ti: huiusmodi enim Apologiae in iis tantummodo locis, iisque temporibus, atque iis auditoribus faciendae sunt, qui vere illis egeant, et a quibus aliquod spirituale emolumentum reipsa sperari possit: cuius rei Iudices maxime omnium competentes, locorum quorumlibet Episcopos esse manifeste patet. Has vero Apologías eâ decet ratione fieri, ut earum demonstratio in doctrina sacra potius, quam in humanis seu naturalibus argumentis, solidissime fundetur: tali demum sapientia ac perspicuitate elaboran, ut periculum evitetur, ne in quorumdam auditorum mentibus altius defixi errores inhaereant, quam oppositae veritates, ma-

soverchio delle conferenze non faccia cadere in disistima e in disuso le prediche morali, come se queste fossero cose di second' ordine e di minore importanza che le polemiche, e però da lasciarsi al volgo dei predicatori e degli uditori; mentre il vero si è che la predicazione morale è la più necessaria alla università dei fedeli non è meno nobile della polemica, e quindi anche i più valenti e celebrati oratori, e dinanzi a qualsivoglia più eletta e numerosa udienza, dovrebbero, almeno di quando in quando, trattarla con vivo zelo. Se ciò non facciasi, queste grandi udienze saranno condannate a sentirsi sempre parlare d'errori che spesso non sono nei più dei membri che le compongono, e non mai de' vizii e delle colpe, che in siffatte adunanze sogliono abbondare più che in altre di minor conto.

gisque percellant animos obiecta, quam responsa. Praesertim vero cavendum est, ne frequentior, quam par est, harum collationum usus aestimationi noceat et desiderio moralium concionum, quasi vero istae inferioris ordinis ac minoris momenti sint, quam polemicae; ac proinde praedicatorum et auditorum vulgo relinquendae: dum contra omnino constat, moralem praedicationem fidelium universitati longe maxime necessariam esse, nec nobilitate a polemica vinci : ac proinde etiam valentiores et celeriores oratores in auditorum conspectu quantumlibet electissimo ac frequentissimo hanc deberent, saltem aliquando, sincero zelo exercere. Quod nisi fiat, frequentes isti Auditores semper de erroribus disserere audient, qui saepe numero in iis, qui intersunt, nequaquam reperiuntur; nunquam vero de culpis vitiisque, quae in hisce potius Auditoribus, quam fortasse in aliis, profecto vulgaribus, abundare solent.

5. Ma se molli abusi si notano nella scelta dei temi, altri non meno gravi sono a deplorarsi nella forma della trattazione, intorno alla quale insegna egregiamente 1'Aquinate che, per essere veramente ***lux mundi, tria debet habere praedicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate ; secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate; tertium est utilitas, ut quaerat***

5. At vero si plerique in thematum iractandorum selectione abusus deflentur, plerique alii et quidem haud minus graves, sunt in ipsa thematum tractatione deploranda Circa quam haec praeclara documenta tradit idem S. Doctor Aquinas (loc. cit.): «Ut vere sit « lux mundi, tria debet habere « Praedicator verbi divini : primum « est stabilitas, ut non deviet a veritate : secundum est claritas, ul

Dei laudem et non suam (1). Ma per mala ventura la forma di molti odierni sermoni, non solo è lontana da quella chiarezza e semplicità evangelica che dovrebbe caratterizzarla, ma tutta si avvolge in ambagi nebulose e in materie astruse superiori alla comune capacità del popolo, e fa tornare sul labbro quel pietoso lamento: ***Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*** (2). Il peggio si è poi che vi manca spesso quella sacra impronta, quell' alito di pietà cristiana e quella unzione dello Spirito Santo, per la quale il banditore evangelico dovrebbe sempre poter dire di se: ***Sermo meus et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis*** (3). Costoro invece fondandosi quasi unicamente ***in persuasibilibus humanae sapientiae verbis,*** poco o nulla si curano della ***parola divina,*** della Sacra Scrittura, che pure dev' essere il primo fonte della sacra eloquenza, come insegnava testé il Sommo Pontefice felicemente regnante, con parole gravissime che crediamo opportuno di riferire. « Haec propria et sin« gularis Scripturarum virtus, a « divino afflatu Spiritus Sancti pro« fecta, ea est quae oratori sacro « auctoritatem addit, apostolicam « praebet dicendi libertatem, ner« non doceat cum obscuritate : ter« tium est utilitas (seu recta in« tentio), ut quaerat Dei laudem, « et non suam ». Sed heu ! triste infortunium ! Plerarumque hodie concionum forma non solum ab evangelica perspicuitate et simplicitate longe abest, quam illa constanter praeseferret; sed etiam obscuris ambagibus tota obvolvitur, et in abstrusis argumentis, communem populi captum excedentibus, versatur, ut illud propheticum effatum in mentem subeat hic opportune repetendum. ***Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis*** (Thren. IV. 4).

Quod autem peius est, ille divinus character concionibus abest, ille christianae pietatis habitus, illa S. Spiritus unctio, per quam praeco evangelicus semper de se ipso profiteri et possit, et debeat: ***Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis; sed in ostensione spiritus et virtutis.*** (I. Cor. II. 4). Hi contra persuasibilibus humanae sapientiae verbis ferme unice innixi, verbum Dei, parvi aut nihili pendunt : sacram videlicet scripturam, quae quidem praecipuus sacrae eloquentiae fons sit oportet: quemadmodum summus Pontifex super Cathedram Petri sedens, nuper gravissimis verbis, quae huc referre opportunum putamus, edo-

(1) Loco cit.
(2) Threm. IV, 4.
(3) I. Cor. II, 4.

vosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille ***non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute, et Spiritu Sancto et in plenitudine multa*** (1). Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent, et praecepta divina enunciant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est utpote quae igne careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse ab illa qua divinus sermo pollet virtute: ***Visus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus.*** (2) Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam: id quod Augustinus pervidit diserteque arguit (3), atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo, affirmarunt (4). »

cebat : (In Encycl. De Stud. S. Script. 18. Nov. 1893.). « Haec « propria et singularis Sacrarum « Scripturarum virtus a divino af- « flatu Spiritus Sancti profecta, ea « est quae Oratori sacro auclorita- « tem addit, apostolicam praebet « dicendi libertatem, nervosam vi- « ctricemque tribuit eloquentiam. « Quisquis enim divini verbi spiri- « tum et robur eloquendo refert, « ille ***non loquitur in sermone tan- « tum, sed et in virtute, et Spiritu « Sancto, et in plenitudine multa*** « (I. Thess. I. 5). Quapropter it « dicendi sunt praepostere impro- « videque facere, qui ita conciones « de Religione habent, et praece- « pta divina enunciant, nihil ut « fere afferant, nisi humanae scien- « tiae et prudentiae verba, suis « magis argumentis, quam divinis « innixi. Istorum scilicet orationem « quantumvis nitentem luminibus, « languescere et frigere necesse « est, utpote quae igne careat ser- « monis Dei, eamdemque longe « abesse ab illa, qua divinus sermo «pollet virtute: ***Vivus est enim « sermo Dei et efficax, et penetra- « bilior omni gladio ancipiti, et « pertingens usque ad divisionem « animae ac spiritus.*** (Hebr. IV. 12). « Quamquam hoc etiam prudentio- « ribus assentiendum est, inesse in « sacris Litteris mire variam et « uberem, magnisque dignam re-

(1) I. Thess. I, 5.
(2) Hebr. IV, 12.
(3) De Doctr. christ. IV. 6, 7.
(4) Litt. enc. de studiis Script. S. 18 Nov. 1893.

6. Ecco dunque la fonte principalissima delia sacra eloquenza, la Bibbia. Ma questi predicatori ammodernati, in cambio d'attingere la loro eloquenza al ***fonte dell' acqua viva,*** con intollerabile abuso si volgono alle ***cisterne dissipate*** della ***sapienza umana:*** invece di recare in mezzo i testi divinamente inspirali, o quelli dei Santi Padri e dei Concilii, citano a sazietà autori profani, autori moderni ed anche viventi, autori e parole che si prestano ben sovente ad interpretazioni molto equivoche e molto pericolose. « È anche un « grande abuso della eloquenza sa« era trattare i temi religiosi uni« camente nell' interesse di questa « vita, e non parlare della futura: « noverare i vantaggi recati alla « società dalla religione cristiana, « e dissimulare i doveri : dipingere « il Redentore divino tutto carità, « e tacere della giustizia. Indi il « poco frutto di cotesta predica« zione, dalla quale un uomo di « mondo esce persuaso che, senza « mutare i suoi costumi, purché « dica: Io credo in Gesù Cristo,

« bus eloquentiam: id quod Au« gustinus pervidit, diserteque ar« guit (De Doctr. Chr. IV. 6. 7.), « atque res ipsa confirmat, et prae« stantissimorum in Oratoribus sa« eris testimonium, qui nomen « suum assidue SS. Bibliorum con« suetudini, piaeque meditationi « se praecipue debere, Deo grati « affirmarunt ».

6. En igitur sacrae eloquentiae potissimus fons, sacra Biblia. Sed isti Evangelii praecones dicti, temporum nostrorum ideis ac moribus imbuti, neglecto per summum nefas fonte aquae ***vivae*** ex humanae sapientiae ***cisternis dissipatis*** suam eloquentiam hauriunt : potius quam divinitus inspiratas sacrorum librorum sententias afferant, aut sanctorum Patrum, aut Conciliorum, auctores quamplurimos , eosque profanos, novissimos, atque etiam viventes, testes adducunt ; quorum sententiae affatim ambiguas interpretationes, et quandoque etiam valde periculosas, saepe saepius admittunt. « Est etiam pessimus « sacrae eloquentiae abusus, reli« giosa themata unice ob praesen« tis vitae rationes, quin de futura « vel mentio fiat, passim pertra« dare : commoda recensere a Chri« stiana Religione mundo allata, et « officia dissimulare : divinum Re« demptorem uti egregium cptXav« 6pü)7i:ov pingere, et Eius, ut Iu« dicis aeterni, iustitiam praeterire.

« Exiguus exinde huiusmodi « praedicationis fructus : ex qua.

« sarà un buon cristiano (1). » Ma che importa a costoro del frutto? Non è questo che cercano principalmente : cercano di lusingare gli uditori ***prurientes auribus*** (2) e pur che veggano le chiese piene, punto non curano che le anime si rimangano vuote. Per questo non parlano mai del peccato, mia dei novissimi; mai di altre verità gravissime che potrebbero contristare a salute, ma parlano solo ***verba placentia*** (3) ; e questo pure lo fanno con una eloquenza più tribunizia che apostolica, più profana che sacra, la quale attira loro battimani ed applausi, già condannati da S. Girolamo quando scriveva: ***Docente in ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur : auditorum lacrymae laudes tuae sint*** (4). Di qui e che tutta la loro predicazione apparisce come circondata, tanto in chiesa, quanto fuori di essa, da una certa aura teatrale, che ogni sacra impronta ne toglie ed ogni sovrumana efficacia. Di qui ancora nel popolo, e diciamo pur anche in una parte del clero, la depravazione del gusto della divina parola, lo scandalo di tutti i buoni, e il poco oniun profitto dei traviati o miscredenti; i quali, benché talvolta accorrano in calca ad ascoltare simili ***verba placentia*** massimamente se attira-

« forte mundanus quisque homo « persuasus exit, se, quin mores « corrigat, dummodo in Christum « credat probum christianum fore.» (Card. Bausa Archiep. Florent, ad iuv. cler. 1893).

Sed quid istorum hic fructus refert? Hic profecto non est id quod ipsi in primis expetunt : auditoribus blandiri exoptant, quibus ***pruriunt aures*** (II. Tim. IY. 3.); et dummodo templa stipata videant,, eorum parvi interest animas fructu vacuas permanere. Proinde nunquam de peccato disserunt, nunquam de hominum novissimis, nunquam denique de aliis veritatibus gravissimis, quae auditores salubriter ***contristare ad poenitentiam*** possent (2. Cor. VII. 9.) ; sed solummodo ***placentia*** loquuntur. (Is. XXX. 10.) : atque hoc idem faciunt eloquentia quadam potius tribunitiâ, quam apostolica ; magis profana quam sacra, quae complures manus plaususque ipsis comparat, a S. Hieronymo graviter reprobatus, cum ad Nepotianum scriberet : ***Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrymae laudes tuae sint.*** Ex quo fit, ut eorum praedicatio, ita in templo, sicut alibi, theatrali quadam aura circumcisa appareat, quae eam. omni sacro charactere expoliat,

(1) Card. Bausa Arciv. di Firenze al suo giovine Clero, 1892.
(2) II. Tim. IV, 3.
(3) Is. XXX, 10.
(4) Ad Nepotian.

tivi dalle risonanti parole di ***progresso,*** di ***patria,*** di ***scienza moderna,*** dopo applaudito clamorosamente all' oratore ***che conosce il vero modo di predicare,*** escono di chiesa quali vi erano entrati : ***mirabantur, sed non convertebantur*** (1).

omnique spirituali efficacia destitui. Exinde item in populo, imo etiam in plerisque e Clero, adeo depravatus gustus divini verbi, et exsurdatum palatum : exinde tandem piorum scandalum, perversorum atque incredulorum nulla aut parva emendatio : qui quamvis interdum in templa, huiusmodi ***placentia*** verba audiendi causa, praesertim vero si sonoris illis ac magnificis nominibus ***civili progressu, patria, recenti nostrorum temporum scientia,*** aliisque id genus, allecti fuerint, profuse confluant, postquam Oratorem fragosis plausibus fuerint prosequuti oh ! iste, aientes verum ac legitimum concionandi callet modum! e templo exeunt quales illuc intraverant, sicut Iudaei, qui ***omnes quidem mirabantur, sed non omnes convertebantur*** ». (S. August, in Matth. XIX. 15.).

7. Volendo pertanto questa S. Congregazione, in adempimento dei venerati comandi di Sua Santità, porre un riparo a tanti e sì detestabili abusi, si rivolge a tutti i Reverendissimi Vescovi e Superiori Generali degli Ordini Regolari e pii Istituti Ecclesiastici affinchè contro di quelli insorgano con apostolica fermezza e con ogni sforzo ne curino 1' estirpazione. Ricordevoli dunque che, secondo la prescrizione del Sacrosanto Tridentino Concilio, ***viros idoneos ad hu-***

7. Haec igitur S. Congregatio quum, supremis Romani Pontificis praeceptis obtemperans, tot tamque gravibus sacrae Praedicationis corruptelis consuetudine inductis remedium afferre omnino velit, omnes Rmos Italiae Episcopos, Generales Coenobitarum Praesules, atque omnes ecclesiasticorum Coetuum Rectores compellat, ut in easdem apostolica animi fortitudine insurgant, atque iisdem penitus extirpandis sedulo dent operam.

Itaque memores, se iuxta sa-

(1) Ex Aug. in Matth. XIX, 25.

iusmodi praedicationis officium assumere tenentur (1) usino in questo negozio la massima diligenza e cautela. Se si tratta di Sacerdoti della loro diocesi, sieno fermi nel non affidar loro un ministero sì augusto senza averli prima provati, o per via d' esame o in altra maniera opportuna : ***nisi prius de vita et scientia et moribus probati fuerint*** (2). Se si tratta di sacerdoti d'altre diocesi, non accettino nessuno a predicare nella loro, massime nelle occasioni più solenni, se non presenti lettere del proprio Vescovo o del proprio Superiore Regolare, le quali dieno dei suoi costumi e della sua idoneità a tale uffizio buona testimonianza. I Superiori poi dei Religiosi di qualsivoglia Ordine, Società o Congregazione, a nessuno dei loro sudditi permettano di predicare, e molto meno lo presentino agli Ordinarii con proprie lettere testimoniali, se prima non si sono assicurati assai bene e della sua morale condotta e della sua retta maniera d' annunziare la divina parola. Che se gli Ordinarii, dopo accettato qualche predicatore per le buone commendatizie che presentava, lo vedessero poi nell' esercizio pratico del ministero deviare dalle norme e dai moniti dati in questa Lettera, dessi con opportuna correzione lo richiamino prontamente al dovere; ma se questa non basta, lo rimuo-

(1) **Sess. V, cap. 2,** *De reform.*
(2) **Loc. cit.**

crosanct. Conc. Trident, praescriptum (sess. Y. cap. 2. de Ref.) ***viros idoneos ad huiusmodi Praedicationis officium assumere*** addictos esse, hac in re quam maximam diligentiam curamque adhibeant. Si quidem Sacerdotes designandi ad suam ipsorum Dioecesim pertineant, iis adeo augustum ministerium, ***nisi prius,*** sive per examen, sive alio quolibet opportuno modo, ***de vita, de scientia, de moribus comprobati fuerint*** (CT. Loc. cit.) nequaquam concredant. Si vero illi ad aliam Dioecesim spectent, neutiquam Episcopi in sua concionaturos admittant, praesertim vero occurrentibus quibusdam solemnioribus anni solemnitatibus, nisi proprii Episcopi, seu Praesulis, literas ostendat, quae et sacerdotem bonis moribus praeditum, et huic officio idoneum esse testentur.

Generales item cuiusvis religiosi Ordinis, Societatis, Congregationis Praesules nemini e sacerdotibus sibi subditis publice concionari, inscio loci Episcopo, permittant; eoque minus decet, traditis testimonialibus Literis illos quoquo mittere, ut Episcopis se sistant, nisi prius accurate inquisierint, et certissime optimam noverint sacerdotum eorumdem et moralem vivendi, et consuetam concionandi rationem.

Si vero cuiuslibet Dioecesis Episcopus, postquam aliquem Sacer-

vano a dirittura da tale uffizio, usando anche le pene canoniche, se la natura del caso lo richiedesse.

Nel rimanente, siccome questa S. Congregazione sa di poter fare sulla diligenza e sullo zelo dei Reverendissimi Ordinarii e Capi d' Ordini Religiosi sicuro assegnamento; così confida che principalmente per opera loro, si vedrà presto riformata questa moderna maniera d'annunziare o piuttosto d'adulterare la divina parola, e che, tolti via finalmente dalla sacra predicazione i lenocinii mondani, le sarà restituita la sua nativa maestà veneranda e con essa la sua sovrumana efficacia, a gloria di Dio, a salute delle anime, a vantaggio universale della Chiesa e del mondo.

Roma dalla Segreteria della S. Congregazione de' Vescovi e Regolari li 31 Luglio 1894.

Isidoro Cardinal VERGA ***Pref.***

Luigi Trombetta ***Pro-Segret.***

dotem, uteris huiusmodi a suis commendatum ad Dei verbum praedicandum in propria Dioecesi exceperit, eumque deinceps in sacro Ministerio peragendo ab normis monitisque hic per nos traditis aberrantem conspexerit, opportune primum eumdem admoneat, ut si fieri possit, quam primum resipiscat : quod nisi sufficiat, ab officio illico removeat, poenis etiam canonicis, si necessitas urgeat, adhibitis.

Ceterum quoniam haec S. Congregatio Rmorum Episcoporum, et Praesulum Religiosis quibusvis Ordinibus praepositorum, diligentiae ac zelo se tuto fidere posse probe novit, idcirco per ipsos praecipue fore confidit, ut haec nova recensque Dei verbum annunciando seu potius adulterandi, ratio quam primum reformatam se prodat: et sacra ipsa praedicatio, vanis verborum lenociniis amotis, augusto ac nativo suo splendori, supernaturali simul efficacia denuo suscepta, in Dei laudem, aeternam animarum salutem, ac spiritualem Ecclesiae totiusque christiani Orbis utilitatem, tandem aliquando restituatur.

Romae : ex Scribarum Curia Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis dignoscendis expediendisque praepositae: die XXXI. Iulii, anno MDCCCXCIV.

Isidoras Card. VERGA ***Praef.***

Aloisius Trombetta ***Pro-Secret.***

EPISTOLA ENCYCLICA SSmi D. N. Leonis XIII ad Patriarchas Primates Archiepiscopos Episcopos aliosque locorum ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes *Be Rosario Mariali.*

Iucunda semper expectatione erectâque spe Octobrem mensem conspicimus redeuntem; qui, hortatione et praescripto Nostro dicatus Virgini Beatissimae, non paucos iam annos concordi per catholicas gentes et vivida ROSARII floret pietate. Quae Nos ad hortandum moverit causa, non semel ediximus. Nam calamitosa Ecclesiae civitatumque tempora quum praesentissimum Dei auxilium omnino deposcerent, hoc nimirum Matre eius deprecatrice implorandum esse censuimus, eoque praecipue supplicandi ritu contendendum, cuius virtutem christianus populus nunquam sibi non saluberrimam sensit. Id enimvero sensit ex ipsa marialis Rosarii origine, tum in fide sancta a nefariis tutanda incursibus hominum haereticorum, tum in consentanea virtutum laude, quae per saeculum corrupti exempli relevanda erat et sustinenda: idque perenni sensit privatim et publice beneficiorum cursu, quorum memoria praeclaris etiam institutis et monumentis ubique est consecrata. Similiter in aetatem nostram, multiplici rerum discrimine laborantem, fructus inde salutares provenisse commemorando laetamur: attamen circumspicientes, Venerabiles Fratres, videtis ipsi causas adhuc insidere parumque ingravescere, quamobrem hoc item anno obsecrandae caelestis Reginae ardor, Nostra exhortatione, vestris in gregibus excitetur. — Recedit quod, intima in Rosarii natura cogitationem defigentibus, quanto Nobis eius praestantia utilitatesque illustrius apparent, tanto acuitur desiderium et spes, posse adeo commendationem nostram, ut eiusdem sacratissimae precis religio, aucta in animis cognitione et amplificata consuetudine, optimis vigeat incrementis. Cuius rei gratia non ea quidem revocaturi sumus quae superioribus annis varia in eodem genere ratione libuit edisserere: illud potius ad considerandum docendumque occurrit, qua divini consilii excellentia fiat, ut, ope Rosarii, et impetrandi fiducia in animos precantium suavissimo influat et materna in homines almae Virginis miseratio summa benignitate ad opitulandum respondeat.

Quod Mariae praesidium orando quaerimus, hoc sane, tamquam in fundamento, in munere nititur conciliandae nobis divinae gratiae, quo ipsa continenter fungitur apud Deum, dignitate et meritis acceptissima, longeque Caelitibus sanctis omnibus potentia antecellens. Hoc vero munus in nullo fortasse orandi modo tam patet expressum quam in Rosario: in quo partes quae fuerunt Virginis ad salutem hominum procurandam sic recurrunt, quasi praesenti effectu explicatae: id quod habet eximium pietatis emolumentum, sive sacris mysteriis ad contemplandum succedentibus, sive precibus ore pio iterandis. — Principio coram sunt GAUDII mysteria. Filius enim Dei aeternus sese inclinat ad homines homo factus; assentiente vero Maria et *eoncipiente de Spiritu sancto.* Tum Ioannes materno in utero *sanctificatur* charismate insigni, lectisque donis *ad vias Domini parandas* instruitur; haec tamen contingunt ex salutatione Mariae, cognatam divino afflatu visentis. In lucem tandem editur Christus, *expectatio gentium,* ex Virgine editur; eiusque ad incunabula pastores et magi, primitiae fidei, pie festinantes, *Infantem inveniunt cum Maria Matre eius.* Qui deinde, ut semet hostiam Deo Patri ritu publico tradat, vult ipse in templum afferri; ministerio autem Matris ibi *sistitur Domino.* Eadem, in arcana Pueri amissione, ipsum anxia sollicitudine quaeritat reperitque ingenti gaudio. — Neque aliter loquuntur DOLORIS mysteria. In Gethsemani horto, ubi Iesus pavet maeretque ad mortem, et in praetorio, ubi flagris caeditur, spineâ corona compungitur, supplicio multatur, abest ea quidem Maria, talia vero iamdiu habet cognita et perspecta. Quum enim se Deo vel ancillam ad matris officium exhibuit vel totam cum Filio in templo devovit, utroque ex facto iam tum consors cum eo extitit laboriosae pro humano genere expiationis: ex quo etiam, in acerbissimis Filii angoribus Ct cruciamentis, maxime animo condolesse dubitandum non est. Ceterum, praesente ipsa et spectante, divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat; quod in eisdem mysteriis postremum flebiliusque ob versatur: *stabat iuxta Crucem Iesu Maria Mater eius,* quae tacta in nos caritate immensa ut susciperet filios, Filium ipsa suum ultro obtulit iustitiae divinae, cum eo commonens corde, doloris gladio transfixa. — In mysteriis denique GLORIAE quae consequuntur, idem magnae Virginis benignissimum munus confirmatur, re ipsa uberius. Gloriam Filii de morte

triumphantis in tacita delibat laetitia: sedes autem superas repetentem materno affectu prosequitur; at, caelo digna, detinetur in terris, exorientis Ecclesiae solatrix optima et magistra, *quae profundissima™, divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum* (1). Quoniam vero humanae redemptionis sacramentum non ante perfectum erit quam promissus a Christo Spiritus Sanctus advenerit, ipsam idcirco in memori Coenaculo contemplantur, ubi simul cum Apostolis pro eisque postulans inenarrabili gemitu, eiusdem Paracliti amplitudinem maturat Ecclesiae, supremum Christi donum, thesaurum nullo tempore defecturam. Sed cumulato perpetuoque munere causam nostram -exoratura est, ad saeculum immortale progressa. Scilicet ex lacrimosa valle in civitatem sanctam Ierusalem evectam suspicimus, choris circumfusis angelicis: colimusque in Sanctorum gloria sublimem, quae stellanti diademate a Filio Deo aucta, apud ipsum sedet regina et domina universorum. — Haec omnia, Venerabiles Fratres, in quibus *consilium Dei* proditur, *consilium sapientiae, consilium pietatis* (2), simulque permagna in nos merita Virginis Matris elucent, neminem quidem possunt non iucunde afficere, certa spe iniecta divinae clementiae et miserationis administra Maria consequendae.

Eodem spectat, apte concinens cum mysteriis, precatio vocalis. Antecedit, ut aequum est, dominica oratio ad Patrem caelestem : quo eximiis postulationibus invocato, a solio maiestatis eius vox supplex convertitur ad Mariam ; non alia nimirum nisi hac de qua dicimus conciliationis et deprecationis lege, a sancto Bernardino Senensi in hanc sententiam expressa •* *Omnis gratia quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum. Nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a, Virgine in nos ordinatissime dispensatur* (3). Quibus veluti gradibus, diversae quidem inter se rationis, positis, in hoc extremo libentius quodammodo longiusque ex instituto Rosarii insistimus, salutatione angelica in décades continuata, quasi ut fidentius ad -ceteros gradus, id est per Christum ad Deum Patrem, nitamur. Sic vero eamdem salutationem toties effundimus ad Mariam, ut manca et debilis precatio nostra necessaria fiducia sustentetur; eam flagitantes ut Deum pro nobis, nostro velut nomine,

(1) S. Bernardus, *de XIIpraerogativ. B. M. V. n. 3.*
(2) **S. Bernardus, *serm. in Nativ. B. M. V. n. 6.***
(3) *Serm,* VI ***in festis B. M. V. de Annunc, a. I, s. 2.***

exoret. Nostris quippe vocibus magna apud illum et gratia et vis accesserit, si precibus Virginis commendentur: quam blanda ipsemet invitatione compellat: *Sonet vox tua inauribus meis; vox enim tua duleis* (1). Hanc ipsam ob rem toties redeunt praedicata a nobis quae sunt ei gloriosa nomina ad impetrandum.. Eam salutamus, quae *gratiam apud Deum invenit,* singulariter ab illo *plenam gratia,* cuius copia ad universos proflueret: eam, cui Dominus quanta maxima fieri possit coniunctione inhaeret eam, *in mulieribus benedictam,* quae *sola maledictionem sustulit et benedictionem portavit* (2), beatum ventris sui fructum, in quo *benedicentur omnes gentes:* eam demum *Matrem Dei* invocamus; ex qua dignitate excelsa quid non *pro nobis peccatoribus* certissime èxposcat, quid non speremus in omni vita et in agone spiritus ultimo?

Huiusmodi precibus mysteriisque qui omni diligentia et fide vacaverit, fieri certe nequit ut non in admirationem rapiatur de divinis in magna Virgine consiliis ad communem gentium salutem; atque alacri gestiet fiducia sese in tutelam eius sinumque recipere, ea fere sancti Bernardi obtestatione : *Memorare o piissima Virgo Maria, nunquam auditum a saeculo quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum.*

Quae autem est Rosarii virtus ad suadendam orantibus impetrationis fiduciam, eadem pollet ad misericordiam nostri in animo Virginis commovendam. Illud est manifestum quam sibi laetabile accidat, videre nos et audire dum honestissimas petitiones pulcherrimasque laudes rite nectimus in coronam. Quod enim, ita comprecando, debitam Deo reddimus et optamus gloriam; quod nutum voluntatemque eius unice exquirimus perficiendam; quod eius extollimus bonitatem et munificentiam, appellantes Patrem ac munera praestantissima indigni rogantes *i* hisce mirifice delectatur Maria, vereque in pietate nostra *magnificat Dominum.* Digna siquidem precatione alloquimur Deum, quum oratione Dominica alloquimur. — Ad ea vero quae in hac expetimus, tam per se recta et composita, tamque congruentia cum christiana fide, spe, caritate, addit pondus commendatio* quaedam, Virgini quam gratissima. Nam cum voce nostra vox. ipsa consociari videtur Iesu Filii; qui eamdem orandi formulam

(1) Cant. II, 14.
(2) S. Thomas, *op. VIII, super salut. angel. n. 8.*

«conceptis verbis tradidit auctor, praecepitque adhibendam: *sie* •*ergo vos orabitis* (1). Nobis igitur talem praeceptionem, Rosarii ritu, observantibus propensiore illa voluntate, ne dubitemus, officium suum, solliciti amoris plenum, impendet; haec autem mystica precum serta facili ipsa vultu accipiens, bene largo munerum praemio donabit. — In quo, ut liberalissimam bonitatem eius certius nobis polliceantur, non mediocris causa est in propria Rosarii ratione, ad recte orandum perapta. Multa quidem et varia, quae hominis est fragilitas, orantem avocare a Deo solent eiusque fidele propositum intervertere: at vero qui rem probe reputet, continuo perspiciet quantum in illo efficacitatis insit, quum ad intendendam mentem et socordiam animi excutiendam, tum ad salutarem de admissis dolorem excitandum educendumque spiritum in caelestia. Quippe ex duobus, ut percognitum est, constat Rosarium, distinctis inter se coniunctisque, meditatione mysteriorum et acta per vocem precatione. -Quocirca hoc genus orandi peculiarem quamdam hominis attentionem desiderat; qua nimirum, non solum mentem ad Deum modo aliquo dirigat, verum in rebus considerandis contemplandisque ita versetur, ut etiam documenta capiat melioris vitae omnisque alimenta pietatis. Neque enim iisdem rebus maius quidquam aut admirabilius est, in quibus fidei christianae vertitur summa; quarum lumine ac virtute, veritas et iustitia et pax, novo in terris rerum ordine laetissimisque cum fructibus, processerunt. — Cum hoc illud cohaeret, quemadmodum eaedem res gravissimae cultoribus Rosarii proponantur; eo videlicet modo qui ingeniis vel inductorum accommodate conveniat. Est enim sic institutum, non quasi proponantur capita fidei doctrinaeque consideranda, sed potius veluti usurpanda oculis facta et recolenda : quae iisdem fere atque acciderunt locis, temporibus, personis, oblata, eo magis tenent animos utiliusque permovent. 'Quod autem haec a teneris vulgo sunt indita animis et impressa, ideo fit ut, singulis enunciatis mysteriis, quisquis vere est orandi studiosus, nulla prorsus imaginandi contentione, sed obvia cogitatione et affectu per ea discurra t, abundeque sibi imbibât, largiente Maria, rorem gratiae supernae. — Alia est praeterea laus quae acceptiora apud ipsam ea serta faciat et praemio digniora. Quum enim ternum mysteriorum ordinem pia memoria.

<1) Matth. VI, 9.

replicamus, inde testatior a nobis extat gratae erga ipsam affectio voluntatis; ita nimirum profitentibus, nunquam nos expleri beneficiorum recordatione, quibus salutem ipsa nostram inexplebili est caritate complexa. Tantarum autem monumenta rerum frequenter in eius conspectu diligenterque celebrata, vix: adumbrare cogitando possumus quali beatam ipsius animam usque novae laetitiae voluptate perfundant, et quos in ea sensus exsuscitent providentiae beneficentiaeque maternae. Atque adea ex iisdem recordationibus consequitur, ut imploratio nostra vehementiorem quemdam ardorem concipiat et vim induat obsecrandi : sic plane, ut quot singulatim revolvuntur mysteria, totidem subeant obsecrationis argumenta, sane apud Virginem quantopere valitura. Nempe ad te confugimus, sancta Dei Parens: miseros Hevae filios ne despexeris! Te rogamus, Conciliatrix salutis nostrae aeque potens et clemens; Te, per suavitatem gaudiorum ex Iesu Filio perceptam, per dolorum eius inexplicabilium communionem, per claritudinem eius gloriae in te redundantem, enixe obsecramus; eia nos, quamvis indignos,, audi benigna et exaudi.

Vobis igitur, Venerabiles Fratres, Rosarii marialis praestantia, duplici quoque ex parte quam laudavimus, considerata, eo fiat apertius cur non desinat cura Nostra idem inculcare,, idem provehere. Caelestibus auxiliis, quod initio monuimus, maiorem quotidie in modum indiget saeculum; praesertim quum late sint multa quibus affiictetur Ecclesia, iuri suo liberta tique adversis; multa quae civitatibus christianis prosperitatem et pacem funditus labefactent. Iamvero ad ea demerenda auxilia spem Nos plurimam in Rosario habere sitam, rursus aifirmateque profitemur. Utinam sanctae huic pietati pristinus ubique honor, secundum vota, reddatur: haec in urbibus et villis, in familiis et officinis, apud primores et intimos, adametur et colatur, non secus ac praeclara christianae professionis tessera, optimumque praesidium divinae propitiandae clementiae. — Quod quidem in dies impensius urgeant omnes oportet, quando impiorum vesana perversitas nihil iam non urget machinando et audendo, ut divini Numinis iram lacessat iustaeque animadversionis trahat, pondus in patriam. Inter ceteras enim causas, hoc dolent Nobiscum boni omnes, in sinu ipso gentium catholicarum nimium esse multos, qui contumeliis religioni quocumque modo illatis laetentur, ipsique, incredibili quadam licentia quidlibet evulgandi,

in id videantur incumbere ut sanctissimis eius res exploratamque de Virginis patrocinio fiduciam in contemptionem et ludibrium multitudinis vocent. Proximis hisce mensibus, ne Christi quidem IESU Servatoris personae augustissimae temperatum est. Quam rapere in illecebras scenae, iam passim contaminatae flagitiis, minime puduit, eamdemque referre propria deminutam naturae divinae maiestate; qua detracta, redemptionem ipsam humani generis tolli necesse est. Neque puduit velle a sempiterna infamia hominem eripere, sceleris reum perfidiaeque summa post hominum memoriam immanitate detestabilis, proditorem Christi. — Ad haec, per Italiae urbes vel patrata vel patranda, indignatio universe commota est, acriter deplorantium sacerrimum ius religionis violatum, in eaque gente violatum, oppressum, quae de catholico nomine in primis meritoque gloriatur. Tum vigil Episcoporum sollicitudo, perinde ac oportebat, exarsit: qui expostulationes aequissimas ad eos detulerunt, quibus sanctum esse debet patriae religionis tueri dignitatem, et greges suos non modo de gravitate periculi admonuerunt, sed etiam hortati sunt, ut nefarium dedecus Auctori amantissimo salutis nostrae singularibus religionis officiis compensarent. Nobis certe omnino probata est bonorum alacritas, multis modis egregie declarata, valuitque ad leniendam aegritudinem ea de re intime acceptam. Per hanc vero alloquendi opportunitatem, supremi Nostri muneris vocem iam nequimus premere; atque cum eis ipsis Episcoporum et fidelium expostulationibus Nostras coniungimus quam gravissime. Eodemque apostolici pectoris studio quo sacrilegum facinus conquerimur et exsecramur, cohortationem ad christianas gentes, nominatim ad Italos, vehementer intendimus, ut religionem avitam, quae locupletissima hereditas est, inviolate custodiant, strenue vindicent, honeste pieque factis ne intermittant augere. — Itaque, hac etiam de causa, continua Octobri mense certet optamus singulorum et sodalitatum industria in honore habendo magnae Dei Matri, Adiutrici potenti christianae rei, Reginae caelesti gloriosissimae. Nos vero munera indulgentiae sacrae, in hoc ipso antea concessa, maxima voluntate confirmamus.

Deus autem, Venerabiles Fratres, qui nobis *talem Mediatricem benignissima miseratione providit (i),* quique *totam nos*

(I) **S. Bernardus,** ***de XII praerogativ. B. M. V. n.*** **2.**

habere voluit per Mariam (1), eiusdem suffragio et gratia, faveat communibus votis, cumulet spes; accedente benedictionis Apostolicae auspicio, quam vobis ipsis et vestro cuiusque Clero populoque peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Sept. an. MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

CASTRI MARIS. Dubia varia.

Die 20 Iulii 1894.

Hodiernus Redactor Kalendarii dioecesani Castrimaris de mandato sui Rmi Episcopi Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum :

Dubium I. In civitate Castrimaris extat ecclesia, quae Beatae Mariae Virgini nuncupatae *de Succursu* fuit dicata, uti patet ex actis authenticis, scilicet : ex instrumento fundationis per publicum Notarium confecto, ex inscriptione super campana eiusdem ecclesiae apposita et ex imagine eiusdem Virginis sub eodem titulo, publicae fidelium venerationi in maiori altari exposita. Quum tamen eadem ecclesia in sua solemni consecratione, nulla facta mentione de supradicto titulo *de Succursu,* Sanctissimis Nominibus Iesu et Mariae fuerit dedicata; quaeritur an Clerus Civitatis, eiusdem ecclesiae servitio addictus, debeat celebrare, uti titulare, et sub ritu Duplici primae classis cum octava, solummodo festum de Sanctissimis Nominibus Iesu et Mariae, an etiam festum Beatae Mariae Virginis *de Succursu?*

Dubium II. Quando in aliqua ecclesia agitur de Sancto in die non propria, et de eo, ob speciale privilegium a S. Sede Apostolica obtentum canitur, et leguntur Missae, uti in die festo; in hisce Missis Aerine debet Commemoratio de Officio diei?

(1) S. Bernardus, *serm. in Nativ. B. M. V. n. 7.*

Dubium III. Usus invaluit in pluribus huius civitatis ecclesiis, in functionibus Marialibus aliisque, quae cum Missa persolvuntur dimittere populum cum Benedictione Sanctissimi Sacramenti in pyxide adservati, adhibito velo humerali super planeta. Quaeritur an hic usus tolerari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam :

Ad II. Dilata: interim serventur Rubricae quoad commemorationes :

Ad III. Affirmative; ita observandum.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 20 Iulii 1894.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Praefectus.*

L. & S.

ALOISIUS TRIPBPI *Secret.*

CARTHAGINEN. IN INDIIS. Rescriptum quoad usum mitrae.

Die 20 Iulii 1894.

R. D. Petrus Brioschi, Vicarius Generalis Dioeceseos Carthaginen. in Indiis sequens Dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Quotiescumque in Carthaginensi Dioecesi aliqua consecratio novi Episcopi fit, simplices Sacerdotes qui, Sancta Sede benigne annuente, adsistere Episcopo consecrant^ aliarum Dioecesium exemplum secuti, mitra utuntur. Quaeritur, utrum toleranda sit haec consuetudo ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Negative.* Atque ita rescripsit die 20 Iulii 1894.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secret.*

DECRETUM pro moderando cultu servorum Dei, qui nondum ab Apostolica Sede relati sunt inter beatos.

Die 14 Augusti 1894.

Inter Constitutiones Romanorum Pontificum, ac S. Rituum Congregationis Decreta, quae edita fuere pro moderando cultu Servorum Dei, qui cum fama Sanctitatis vel Martyrii decesserunt, sed inter Beatos aut Sanctos ab Apostolica Sede adhuc relati non sunt, nonnulla ad eorum imaginum sive in templis, sive in publicis oratoriis appositionem pertinent. Recenter etiam cum Vicarius Apostolicus Districtus Occidentalis Scotiae retulisset, in vitris coloratis, quibus templorum fenestrae decorantur, praefatas imagines interdum dipingi ; Sacra eadem Congregatio per Decretum die 24 Martii 1860 editum, hunc morem minime approbandum censuit. Verumtamen cum non raro, nedum in eiusmodi vitris, sed etiam in templorum parietibus facta ac gesta repraesententur, quorum Dei Famuli, vel praecipui actores, vel pars aliqua fuerunt; dubitatum est, num prohibitio illa etiam ad historicas huiusmodi repraesentationes sese porrigat. Re itaque maturo examini subiecta, auditisque votis virorum in Sacra Theologia, et in ecclesiastica quoque Archaeologia praestantium, Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Cardinali eidem Praefecto, in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, respondendum censuit : « Imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum Beatificationis aut Canonizationis honores consecuti sunt, neque altaribus utcumque imponi posse, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis, aliisve sanctitatis signis, posse tamen eorum imagines, vel gesta ac facta in parietibus Ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquam profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni». Die 14 Augusti 1894.

Facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me subscriptum Cardinalem Praefectum de praedictis relatione, idem Sanctissimus Dominus Noster Sacrae Congregationis sententiam ratam habuit, confirmavit, et ita de-

creta, quae in contrarium facere videantur, intelligi debere iussit Die 27 iisdem mense et anno.

G. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM GENERALE. De methodo faciendi solemnem votorum professionem.

Die 14 Augusti 1894.

Non semel a S. Rituum Congregatione exquisitum fuit: Utrum, et quomodo solemnis votorum professio, aut eorum renovatio, quae in plerisque religiosis tam virorum quam mulierum Congregationibus locum habet, intra Missam peragi valeat. Porro in peculiaribus casibus non una eademque fuit responsionis ratio, quin umquam Generale Decretum hac de re editum fuerit. Quapropter, ad omnem ambiguitatem de medio tollendam, et uniformitatem inducendam, eadem Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Cardinali eidem Praefecto, cunctis mature perpensis, atque iis praesertim, quae in Bulla s. m. Gregorii Papae XIII « *Quanto fructuosius* », data Kalendis Februarii 1583 pro approbatione Constitutionum Societatis Iesu, hac de re continenter, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequentem methodum, servari posse constituit : « Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, absoluta confessione, ac verbis quae ante fidelium Communionem dici solent, Sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet : hi vero singuli, alta voce, professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim SSmum Eucharistiae Sacramentum sumet. In renovatione autem votorum, Celebrans ad altare conversus exspectet donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno praeeunte formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine SSmum Corpus Domini accipient. Haec tamen methodus, cum recepta fuerit, in respectivis Congregationum Constitutionibus minime apponenda est. Non obstantibus quibuscumque particularibus Decretis in con-

trarium facientibus, quae prorsus revocata atque abrogata censeantur. Die 14 Augusti 1894.

Facta autem SS. D. N. Leoni Papae XIII per me infrascriptum Cardinalem Praefectum de praemissis relatione, jdem Sanctissimus Dominus Noster sententiam Sacrae Congregationis approbavit, ratam habuit, ac Decreta in contrarium facientia per praesens penitus abrogata esse declaravit. Die 27, iisdem mense et anno.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

DECRETUM quoad dubium super primariis et secundariis festis.

Die 14 Augusti 1894.

Evulgato Generali Decreto super primariis et secundariis festis, et eorumdem catalogo, Dubium excitatum fuit in Sacrorum Rituum Congregatione, an praecedentia festis primariis super secundariis tributa, afficiat solum Duplicia primae et secundae classis et Duplicia maiora, an etiam Duplicia minora et Semiduplicia ? Itaque in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, subscriptus Cardinalis eidem S. Congregationi Praefectus sequens proposuit Dubium : *An distinctio inter Primaria et Secundaria Festa, vi Decreti Generalis diei 2 Iulii i893j sola respiciat Duplicia primae et secundae classis, ac Duplicia maiora; vel etiam Duplicia minora ae Semiduplicia, tam in occursu, quam in concursu, et in repositione ?*

Et Sacra Congregatio, omnibus mature perpensis respondendum censuit.

Negative ad primam partem: Affirmative ad secundam: ae Decreta quaecumque particularia in contrarium facientia per illud Generale superius memoratum uti revocata, ac nullius roboris habenda esse. Die 14 Augusti 1894.

C. CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secret.*

DECRETUM quoad festum Sanctissimi Cordis Iesu.

Die 14 Augusti 1894.

In Catalogo festorum, quae iuxta Decretum die 27 Augusti 1893 uti primaria aut secundaria habenda sunt, festum Sacratissimi Cordis Iesu inter secundaria relatum fuit. Quapropter Dubium in Sacrorum Rituum Congregatione excitatum est, utrum per hoc Decretum alteri Generali diei 28 Iunii 1889 derogatum fuerit, et quomodo.

Sacra autem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum coadunata, referente subscripto Cardinali eidem Praefecto, omnibus mature perpensis, respondendum censuit : *Affirmative, et Festum Sacratissimi Cordis Iesu, utpote secundarium, omnibus Duplicibus primae classis primariis locum cedere, tam in occursu, quam in concursu atque in repositione. Cum autem ad normam eiusdem festi Sacri Cordis ordinatum quoque fuerit festum translatum S. Ioseph, Duplex primae classis, alia festa Duplicia primae classis, dummodo primaria, tam in occursu, quam in concursu, ac in repositione illi esse praeferenda. Idem quoque servandum circa festum translatum Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Annuntiationis Deiparae Virginis, nisi hoc transferatur simul cum praecepto audiendi Sacrum, iuxta Decretum in Aquen. diei 2 Septembris 1741.* Atque ita declaravit ac decrevit die 14 Augusti 1894

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. C. R. *Praef*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secret.*

ANGELOPOLITANA. Dubia quoad observantiam Caeremonialis Episcoporum.

Die 17 Augusti 1894.

Hodiernus Vicarius Generalis Dioeceseos Angelopolitanae, qui et Archidiaconus est illius Ecclesiae Cathedralis, exponens abhinc duobus annis in Vesperis Caeremonialis Episcoporum praescriptiones servari ibidem coeptas esse, insequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit :

Quum olim obtinuerit consuetudo, ut capitulares pluviali induerentur ad Vesperas, quin tamen diaconorum officio fungerentur; statutum fuit, ut portionarii praebendis diaconalibus fruentes, suum in vesperis officium implerent : ex reductione enim bonorum ecclesiasticorum exiguus est beneficiariorum

numerus, qui a suis officiis distrahi nequeunt, ut in solemnibus Vesperis hebdomadario assistant.

Inde quaeritur :

I. Archidiaconus et Capitulum rectene egerunt statuendo Caeremonialis Episcoporum in divinis officiis observantiam, praesertim ad vesperas solemnes; ac proinde talis agendi ratio S. Rituum Congregationis approbationem ne meretur ?

II. Continuari potest vetus consuetudo, qua, pluviali induti quatuor aut sex canonici hebdomadario comitantur quin diaconorum officium adimpleant?

III. Quatenus negative ; quia canonici et dignitates ex variis S. Congregationis decretis prohibentur diaconorum vices agere, nam eorum praebendae non diaconales sunt, sed presbyterales ; nec non quia canonici in hac Ecclesia solum Episcopo Diaconi officio funguntur; possuntne portionárii diaconorum praebendis gaudentes et ad canonicorum gradum non pertinentes cogi, ut in divinis officiis, praesertim vero in vesperis solemnioribus, diaconi officium adimpleant?

IV. Quia chorus a maiori altari distat iuxta sententiam *De Herdt* in hoc casu, hebdomadarius et assistentes dum ad *Magnificat* transitum faciunt a choro ad altare maius, illud incensandi causa, cooperto capite incedere possunt ?

V. Cum maior distantia sit a choro usque ad Sacellum ubi asservatur SSma Eucharistia, cumque illuc ascendere, per tres scalas, quae sunt in tractu difficile senibus sit, potestne Sanctissimi Sacramenti thuriflcatio omitti, ut diu factum est: et quatenus negative, idipsum per specialem gratiam, attentis expositis concedi potest?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit videlicet:

Ad I. Ad Caeremonialis Episcoporum observantiam, iuxta Apostolicas Constitutiones teneri omnes ecclesias, praecipue autem metropolitanas cathedrales et collegiatas;

Ad II et III. Servetur Caeremoniale Episcoporum;

Ad IV. Servetur consuetudo;

Ad V. Affirmative; nisi SSmum Eucharistiae Sacramentum solemniter sit expositum.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 17 Augusti 1894.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. « S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

APPENDIX IL

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. de Prop. F. — C. G. I Aprilis 1861. Bardstowo (Louisville).
Dubium de taxa applicanda dum dispensatio matrimonialis conceditur.

An licitum sit petere vel exigere taxam seu contributionem applicandam aedificandis novis Ecclesiis, monasteriis et aliis piis causis, dum dispensatio quaedam v. g. in matrimoniis cum consanguineis conceditur, idque per modum eleemosynae, satisfactionis etc.

R. Licere per modum eleemosynae tantum, seclusa taxa.

S. C. S. Officii 13 Ianuar. 1869.
De fidei professione emittenda a Bulgaris ad fidem conversis

Quum occasione conversionis ad fidem catholicam quorumdam Bulgarorum, ex iis quae ad rem relata fuerunt a Rmo Vic. Ap. Patriarchali Constantinop., nunnulla dubia exorta fuerint quoad modum eosdem conciliandi, ac fidei professionis formulam ab ipsis emittendam, S. Congregationi S. Officii haec quae sequuntur quaestionum capita enodanda proposita fuerunt, nempe:

1. Se gli scismatici idioti ed ignoranti, emessa la professione di fede, debbano essere assoluti in modo semplice, ovvero condizionato.	1. An schismatici idiotae et ignorantes, facta fidei professione, absolvi debeant simpliciter aut sub conditione.
2. In quale formóla debba concedersi questa assoluzione.	2. Qua formula indulgeri debeat absolutio haec.
3. In quale lingua debba darsi l'assoluzione medesima dai sacerdoti bulgari.	3. Qua lingua eadem absolutio dari debeat a sacerdotibus Bulgaris.
4. Se quegli scismatici bulgari, che senza avere emessa la profes-	4. An illi Bulgari schismatici, qui, quin emiserint fidei profes-

sione di fede, e senza essere stati assoluti dalle censure, sono stati già ammessi alla partecipazione dei Sacramenti, debbano fare la professione di fede, e ricevere l' assoluzione prima di essere di nuovo ammessi ai Sacramenti.

sionem, et quin a censuris fuerint absoluti, iam ad sacramenta admissi fuerunt, facere debeant fidei professionem, et absolutionem recipere antequam iterum admittantur ad excipienda sacramenta,

5. Se convenga approvare la professione di fede formulata dal Vescovo di Scio...

5. An probanda sit professio fidei, concinnata ab Episcopo Chiensi.

Emi ac Rmi DD. decreverunt ut infra, nempe :

Ad 1. In hypothesi de schismaticis orientalibus sive bulgaris sive aliis etiam idiotis reconciliandis ab ecclesia occidentali, absolutionem eisdem impertiendam modo absoluto iuxta formulam absolutionis S. Officii. In hypothesi vero de praedictis orientalibus reconciliandis iuxta liturgiam orientalem, supplicandum SSmo D. N. ut pro nunc nihil innovetur, atque ut valeat absolutio a censuris implicite et indirecte data, quae subintelligi debeat in ipso ritu reconciliationis.

Ad 2. In casu bulgarorum vel aliorum slavorum, qui reconciliantur a S. G. S. Officii vel ab aliquo ritus latini specialiter deputato, ritum peragendum, atque absolutionem impertiendam iuxta eam formulam, quae adhiberi solet ab eadem S. C. S. Officii, vel iuxta formulam a Pontificali Romano praescriptam pro haereticis et schismaticis reconciliandis.

Ad 3. Provisum in 1.

Ad 4. Búlgaros, de quibus in casu, iam in communionem Ecclesiae receptos non esse cogendos ád fidei professionem, neque subiiciendos ritui reconciliationis antequam iterum ad Sacramentorum perceptionem admittantur.

Ad 5. Tradendum esse symbolum Gonstantinopolitanum pure et simpliciter, prout legitur in formula professionis fidei Urbani VIII, nonnullis additis iuxta mentem, ut infra, idque pro rudibus et idiotis dumtaxat, firmis formulis Gregorii XIII et Urbani VIII pro doctis et instructis personis.

S. C. S. Officii 21 Iulii 1880. — Vic. Ap. Bengal.
Dubia quoad admissionem ad Fidei professionem etc.

1. An tuto admitti possit ad fidei catholicae professionem puella decem annorum in monasterio degens, eiusdem patre haeretico invito.

2. An tuto admitti possint ad fidei catholicae professionem puellae in monasterio degentes, quarum parentes haeretici consentientes sint, imo spondeant se easdem in matrimonium daturos catholicis viris, quamvis quoad se ipsos declarent, haereticos se esse, et tales permanere velle.

3. An tuto admitti possint ad fidei catholicae professionem puellae (ut in praecedenti), quamvis ipsi (parentes) catholici non sint, sed indifferentes, hoc est increduli.

4. An sine mora admittendae sint ad fidei catholicae professionem et Sacramentorum susceptionem puellae in praesenti bene dispositae ; vel earum admissio differenda erit usque ad matrimonium cum catholico vi.ro, propter timorem perversionis?

5. Si differenda : an admittendae sint in monasterio ut edoceantur catholicam fidem, vel expectandum usque ad tempus matrimonii cum catholico viro ?

R. Ad 1. Curet prius Vicarius Ap. totis viribus consensum patris puellae obtinere : si consensus non obtineatur, perpendat serio incommoda quae ex talis puellae admissione in Ecclesiam provenire praevideantur, tum quoad periculum proximum perversionis eiusdem puellae, tum quoad grave damnum scholae ac missionis catholicae; et quatenus nulla, aut spernenda incommoda praevideantur, eamdem admittat sine mora : quatenus vero gravia praevideantur incommoda futura, eiusdem admissionem ad formalem et publicam professionem fidei catholicae differat, nisi periculum mortis immineat ; et interim curet eam hortari ut in bono proposito perseveret, atque Deum precetur ut obstacula omnia auferre dignetur; simulque curet ut ipsa in monasterio manere pergat, et tali modo suam educationem catholicam compleat et perficiat.

Ad 2. et 3. Affirmative; et curent ut parentes stent promissis. Et quoad 1. 2. et 3. cum mente; mens est ut fiant opportunae inquisitiones super valore baptismatis puellarum: et quatenus his peractis, probabile dubium supersit de validitate huius baptismatis, puellae secreto baptizentur sub conditione.

Ad 4. Negative, nisi fundata affulgeat spes catholicae earum educationis.

Ad 5. Provisum per responsiones ad 1. 2. et 3 ; et si ulteriores difficultates exurgant, R. P. D. Vicarius Ap. recurrat in singulis casibus.

Ex Litt. S. C. S. Officii 6 Martii 1891. — Dubium quoad irregularitatem

Fu risolulo che si comunicasse a cotesta S. C. (di Propaganda) per norma in altri simili casi il decreto emanato in fer. IV. 4 Décembre 1890, ch' è il seguente, cioè avendo 1' Episcopato Germanico domandato se anche in quelle regioni gli eretici e i loro discendenti fossero soggetti, come altrove, all' irregolarità, fu risposto :

Resolutum fuit ut mitteretur ad S. C. de Propaganda, ceu regula pro casibus similibus, decretum feriae IV, 4 Decembr. 1890, huius tenoris: quum Episcopi Germaniae quaesivissent, utrum etiam haeretici illarum regionum, eorumdemque descendentes subiiciantur, irregularitas, ceu in aliis locis responsum fuit:

Affirmative; et haereticos ad fidem catholicam conversos, ac filios haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat, esse irregulares etiam in Germania et in aliis locis, de quibus petitur; ideoque dispensatione indigere, ut ad Tonsuram et Ordines promoveantur.

S. C. S. Officii 5 Sept. 1736 — Dubia de superstitione

Mos est in Regno Tunkini, ut ad aedificationem templi idolorum aliaque superstitiosa concurrere debeat tota communitas, sicut etiam ad alia opera publica, pecuniam vel alia contribuendo: quod si quis recuset, inevitabiliter et violenter de bonis eius communitas multo plus accipiet quam sit summa illi praefixa, vel ei mulctam multo graviorem imponet, vel etiam accusabit apud magistratus cum periculo quoad christifideles abnegandae fidei, carceris, aliorumque pergravium damnorum, Quaeritur:

1. An id sit licitum.

2. An saltem id sit licitum praemissa protestatione, qua fidelis declarat se contribuere tantummodo ad evitandum grave damnum imminens etc.

3. An licitum sit fidelibus, quando coguntur ligna caedere in sylvis, aut etiam ea ad locum, templi aedificationi destinatum, deferre, ea peragere.

4. An sit licitum fidelibus, quando coguntur cibos coquere, aut orizam contribuere pro substentatione opificum, ea peragere.

R. Ad 1. 2. 3. 4. Non licere, sive praemissa, sive non praemissa protestatione.

Item mos est, ut aliquoties in anno comestibilia sacrificentur, seu offerantur idolis, et tota communitas congregetur ad comedendum; coguntur autem christiani aliquando pecuniam contribuere pro emptione victimae, aliquando vero talium eduliorum partem praeparare, eamque ad locum sacrificii, ubi etiam ordinarie epulantur, deferre; hinc quaeritur :

1. An licitum sit praedicta peragere, praemissa protestatione quod solummodo intendant fideles concurrere ad convivium laetitiamque communem, vel reddere vicem iis, quorum impensis antea epulati sunt.

2. An licitum sit praedicta peragere in casibus in quibus talia edulia offeruntur, sed non ibidem in communi comeduntur, praemissa protestatione quod talem pecuniam contribuant, vel talia edulia illuc deferant tantummodo ad evitandum grave damnum, inevitabiliter imminens, vel consimili alia protestatione emissa.

Ad **i.** Non licere sive praemissa protestatione, sive non praemissa. Ad 2. Ut ad proximum ***(i. e. proxime anteced.J.***

S. C. S. Officii 15 Decembr. Í768 Miss. Sin.
Dubia quoad communionem ad mensas paganas

Cum christiani numero pauci non possint quin saepe utantur gentilium consortio, reperiunt se quotidie ad mensas eorum, et convivia; quia autem pagani habent pro more, ut cibos non solum directe ad cultum idolorum, sed et ad comestionem ordinariam familiae praeparatos idolis offerant, apponantque indifferentes super mensam : christiani qui ibi sedent timidi indifferenter quoque comedunt, quia esset sibi rubor, et gentilibus iniuria si cibis appositis uti recusarent. Quaeritur ergo :

1. An possint isti christiani de istis comedere quando non est datum scandalum.

2. An possint et christianae uxores gentilium, quae, nisi comedant, maledictis, iniuriis et interdum idibus impetuntur.

3. An possint et ipsaemet uxores, partu aliisque infirmitatibus praepeditae, in quo casu necessarius est usus carnium, nihil enim aliud offertur quam carnes idolis oblatae.

4. An possint operarii christiani, qui ut familiam suam sustentare valeant, tenentur saepe pro gentilibus laborare, hisque nisi ***(sic)*** semel intra hebdomadam offeruntur carnes, aut alii cibi, sed idolis oblati. Si autem isti omnes denominali prae debilitate, et timiditate prohibitioni «ibis istis utendi non obediant, debentne a Sacramentis arceri?

R. Relato praemisso dubio ex Synarum Imperio Sacrae Congr. de Prop. Fide proposito et ab eadem ad S. Off. pro resolutione remisso, SSmus D. N. auditis Emorum DD. Card. Gen. Inq., suffragiis, decernit licitum esse comedere epulas indifferenter appositas, quamvis idolis oblatas, dummodo non in templo, neque in loco idolis sacro, et dummodo omnis absit species cultus aut venerationis idolis ac superstitionis, nullumque adsit periculum scandalizandi fideles vel infideles.

S. C. S. Officii 16 Nov. 1769 N. Miss. Sutchuen.
De collatione argenti in usum paganum

Expertus fui pluries, difficultatem quam christiani superandam habent, ne scilicet conferant ullatenus superstitiosis. Modo enim prodit diploma praetoris, quo mandatur, ut quisque de plebe conferat aliquid argenti, vel ad construendum aut reficiendum templum, vel ad sacrificia idolis facienda. Quisque autem refragans, alligatus percutietur, et, si sit christianus, post ictus ad apostasiam compelletur. Modo septem vel octo superstitionibus a communitate praepositi veniunt exactum paululum argenti a christianis, qui, si recusent, vestibus exuuntur, aut res vi rapiuntur, aut ictibus impetuntur.

Quoad praetoris exactionem, quidam Illmus Episcopus et Vicarius Apostolicus Provinciae Fokien in Sinis, consultus olim, respondit christianos posse conferre, non quidem ratione superstitionis, sed potius ratione iuris quod habet praetor exigendi tributa.

Quod autem spectat exactores a communitate constitutos, probe novi missionarios antiquos permisisse christianis conferre modicam summam, ea tamen conditione, ut non ^scriberentur nomina eorum in catalogo conferentium et fieret insuper protestatio a christianis, se nimirum non conferre pro superstitiosis, sed potius se conferre quasi munus exactoribus, ut possint inter se convivari, ut tandem hoc modo christiani debiles se possint a vexationibus et molestiis redimere...

Non obstantibus tamen eiusmodi decisionibus, fateor me semper anxiam habuisse conscientiam; ideo ut securius agere valeam, tutius censui consulendum circa eiusmodi casus etc.

R. In proposito casu non licere. Scribendum esse missionario postulanti quod secundum ea quae in casu proponuntur, tam praetor in edicto, quam superstitiosis a communitate praepositi, pecuniam a christianis exigunt, vel ad construendum aut reficiendum templum, vel ad sacrificia idolis facienda, et christiani praeterea sciunt, quidquid ab eis

solvitur in eam causam esse erogandum. Itaque minime laudandum illum Vicarium Apostolicum provinciae Fokien, qui olim respondit christianos posse conferre, non quidem ratione superstitionis, sed potius ratione iuris quod habet praetor exigendi tributa ; neque antiquorum missionariorum sententiam sectandam, qui pei mittebant christianis conferre modicam summam, ea tamen conditione ut non inscriberentur nomina eorum in catalogo conferendum, et fieret insuper protestatio a christianis, se nimirum non conferre pro superstitiosis, sed, potius conferre quasi munus exactoribus, ut possint inter se convivan. In utroque enim casu, quidquid solvitur, pro susperstitiosis solvitur; haec causa proponitur in praetoris diplomate; ad eumdem finem, suique etiam ratione muneris exigunt imperatam pecuniam viri illi qui a communitate sunt praepositi superstitiosis. Qualiscumque igitur esset solvendis animus, quaecumque etiam oris protestatio, si quis praetori, si viris illis pecuniam penderet, iam facto demonstraret se aliquo modo superstitiosis cooperari, quod christianis nefas est summum scelus, nec etiam pro vitae incolumitate perpetrandomi.

S. C. S. Officii 15 Dec. 1769. Vic. Ap. Sutchuen.
De cibis parandis pro idolis a muliere christiana

Pagani, **d** et io die mensis cuiusque, in fine et initio anni sinici, in anniversariis defunctorum, aliquando semel aut ter in anno, offerunt, directe vel indirecte, sacrificia aut idolis aut defunctis: mulieres autem christianae uxores eorum, quarum officium est culinae gerendae, iubentur, ut cibos ad hoc necessarios praeparent. Istae vero mulieres metu ictuum, maledictorum et iniuriarum obediunt... In responsione S. C. ad Vicarium Ap. Provinciae Ghen-si consulentem, legi tolerari posse in istis mulierculis praeparare cibos ad comestionem familiae destinatos, cum protestatione se agere pro comestione familiae, non autem pro idolo ; S. autem C. nihil decrevit circa cibos qui primario et directe ad idolum diriguntur. Occurrit mihi aliquando talis mulier confitenda; a me vero prius interrogata circa dictos modo cibos, respondit se non posse quin indifferenter praeparet, cum esset domi sola et unica mulier, cuius maritus gentilis esset superstitiosus valde et iracundus. Advertens igitur ego huius mulieris debilitatem, absque confessione cito remisi illam flentem amare, eo quod in tanta ex utraque parte pressura esset constituta. Quaeritur ergo an istae mulieres, tantis oppressae angustiis, possent se salvare a superstitione quocumque modo

in praeparandis cibis indifferenter, si faciant protestationem se non intendere pro idolis laborare, debeantque absolute Sacramentis privari in casu quo praeparent cibos, quos non possunt praeparare?

R. In proposito casu non licere christianis mulieribus, ad vitandam iram superstitiosi atque iracundi mariti, praeparare carnes, quas sciant esse idolis progenitorumque spiritibus offerendas. Moneantur autem Vicarii Ap. et missionarii, quibus ab Apostolica Sede conceditur facultas dispensandi in matrimoniis super disparitate cultus, ipsis non licere ea uti quando periculum adsit perversionis coniugis fidelis. Quapropter caveant, ut omnino et adamussim servent conditiones in formula indulti ipsis praescriptas, necnon declarationes et decreta hac de re a S. G. S. Off. alias edita, atque Episcopis et Vicariis Apostolicis in Regno Sinarum a S. G. de Prop. Fide superioribus annis transmissa. Cum vero, inter eas conditiones, ea praesertim servanda sit, quod omne absit periculum perversionis coniugis fidelis, si, quemadmodum in proposita casu, vir infidelis fidelem uxorem cogit ad praeparandos idolis cibos, iam illam ad peccatum mortale patrandum induxit. Itaque, antequam matrimonium contrahatur, si huiusmodi casus praevideri poterit vel ob nimiam superstitionem aut iram viri infidelis, dispensationes in hoc casu non sunt elargiendae.

8. C. S. Officii 17 Martii 1847 - Vic. Ap. Siam.
De consuetudine radendi pueros apud Siamenses

Est apud Siamenses consuetudo radendi pueros et puellas a tenerrima aetate, conservando cirrum in vertice capitis; quando vero pervenerunt ad octo annos et supra (aliquando differunt usque ad sexdecim annos), tunc parentes vocant bonzios adorandum et aspergendum aquam superstitiosam super puerum vel puellam; postea radunt cirrum, vacantque conviviis et comoediis, parentesque colligunt pecuniam a suis notis et amicis. Omnes Siamenses, quos consului, mihi dixerunt, aspersionem hanc eo fine fieri ne puer vel puella insaniat, et ut a morbis aut daemonibus praeservetur. Talis consuetudo nullo modo per falsam eorum religionem praescripta videtur, et a multis non observatur; videtur ergo esse caeremonia civilis, cui admisceri quasdam superstitiones apud paganos necesse est. Sed nunc quaeritur:

1. Quando bonzii iam abierunt veniaque tempus vacandi conviviis^ christiani (praesertim si a magnatibus invitantur) possuntne participare istis conviviis? Usque modo non prohibuimus quando sine comoediis. lusibusque inhonestis fiunt.

2. Apud quosdam christianos, et praecipue neophytos, observatur etiam consuetudo radendi pueros, et puellas, servando ipsi cirrum in vertice, quem suo tempore radunt, sed modo sequenti : mane cum comitatu adducunt ad ecclesiam puerum vel puellam, pro quo vel pro qua parentes petierunt Missam; qua finita, sacerdos benedicit ipsi secundum formulam Ritualis Romani, et postquam ad domum reduces fuerint dignior inter notos et amicos cirrum, sine ulla caeremonia, radii; deinde parato vacant convivio, parentesque colligunt pecuniam quam ipsi conviviis in simili circumstantia expenderant. Vicarii Ap. praedecessores mei illud permiserunt, sed cum quadam repugnantia, et quia inter confratres snnt quidam, qui illam caeremoniam reprobare videntur propter quamdam similitudinem cum illa quam exercent pagani, ideo consulendum esse duximus, et si, ut puto, tolerari possit tuta conscientia, illam christianis permissam esse declarabimus.

R. Ad 1. Detur decretum Cong. Part. de Prop. Fide mensis Martii 1817, hoc est: ***Non licere adesse tonsioni capillorum; et quoad eleemosynam et mensam, non licere, si haec habeantur ut partes religiosae caeremoniae ; si autem habeantur pro laetitia familiae, licere.***

Ad 2. Monendos ut se abstineant.

S. C. S. Officii 21 Febr. 1850. - Vic. Ap. Siam Orient.
De consuetudine alendi nonnulla animalia, quae dubitatur superstitiosa

Iam a pluribus annis rex Siam, praeter animalia quae sunt in horto regio, alit varia animalia, elephantes, equos, boves, oves et capras, anseres, porcos, anales, gallinas etc., vel in stabulis, vel in septis intra hortos; aluntur expensis regiis, et per servos numerosos.Quoties moritur aliquod animal, illud statim deferre debent ad ***Rong viset*** (culinas regias), ubi coquitur et partim comeditur a famulis, operariis et ancillis palatii, partim mittitur ad ***Rong than*** (domum eleemosynae) pro alendis pauperibus. Quidam etiam dicunt opimam partem offerri talapuinis.

Porro, si rex exigat a ducibus christianis quaedam animalia ad alendum in septis vel stabulis suis, protestando quod non intendit ***Kum,*** id est superstitionem, neque laxabit illa intra fines fanorum, sed mandabit alere illa ob solum beneplacitum suum, duces christiani possuntne, tuta conscientia, illa animalia regi offerre?

Ratio dubitandi est quia, ex una parte, quamvis rex utatur quidem his animalibus ad alendos servos et ancillas, operarios et pauperes, supponitur tamen in animo regis quaedam intentio superstitiosa, v. g.,

sustentando vitam animalium, intendit suam propriam vitam conservare. Sed. ex alia parte quando rex non solum non manifestat intentionem superstitiosam, sed coram tota aula sua saepe saepius protestatur quod ob merum beneplacitum, et non ob ullam causam superstitionis, intendat alere animalia, videtur loquelae regiae fidem adhibendam esse, quia vox regis ubique ut sacra et veridica habetur. Alioquin omnes qui verbo regio non credent (secundum ingenium huius nationis) ut rebelles reputabuntur, et maximis poenis cum tota sua cognatione affligentur.

R. Christiani catholici de quibus agitur, si vera sunt exposita, praemittant protestatione!» se dare animalia, de quibus agitur in quaesito, taxative in merum tributum. Sciat Vicarius Ap. eosdem christianos non esse ob id inquietandos. Monendus autem per S. C. de Prop. F. Vicarius Ap. praefatus, simplices sacerdotes, in vera Christi Ecclesia, in rebus ad fidem moresve spectantibus, non habere suffragium decisivum, sed solummodo, consultivum. Atque hinc acriter moneantur etiam praedicti siamenses missionarii ut in posterum abstineant se a similibus, nimirum ne audeant ferre suffragium decisivum in rebus fidei et morum.

S. C. S. Officii 8 Ian. (851. - Vic. Ap. Tunk. Occid.
Dubia quoad constructionem fanorum pro idolis

Sunt christianitates, quae iam a mandarinis coactae sunt fanum publicum idolis erigere, et in posterum certe aliae ad hoc cogentur. Porro, stante crudelissimo tyranno qui hoc miserrimum Regnum gubernat, difficillime erit haec fana publica destruere ob mandarinorum et paganorum rabiem, qui civili potestate freti eadem destrui non patientur, vel destructa reaedificari urgebunt ; sed facilius erit christianis intra pagum suum sese a superstitionibus faciendis abstinere. Quaero:

1. An, attentis supra memoratis, christianitates quae fana huiusmodi erexerunt, censeri vere possint a superstitionibus immunes, modo nullos superstitionis actus in istis fanis erigant.

2. Vel, ut illae christianitates a superstitionibus vere liberae sint, estne absolute necessarium ut illa fana destruant, quaecumque sint vexationes et mala quae exinde illis accidere poterunt? Et in quantum affirma tive :

3. Tota christianitas debetne censeri superstitionibus implicata, quamdiu fanum ab eadem erectum adhuc stabit, vel tantum istius christianitatis primores ?

R. Ad 1. Non licere christianis templa idolis fabricare aut eorum fabricae cooperari, et detur decretum pro iaponia, die 7 Decembris 1626, videlicet: ***Non possunt laponii fideles, ut periculum mortis vel exilii évitent, altaria vel idolis fabricare aut eorum fabricae cooperari.***

Ad 2. Negative, et detur decretum ***Sutchuen.*** feriae V, 20 Augusti 1778, nempe: ***Christiani qui emunt territoria, supra quae idola sunt aut parva idolorum oratoria, possuntne monere gentiles, quorum prius erat territorium, e territorio tollere, ipsisque recusantibus, teneturne confringere illa et destruere? — Cum territoria venduntur, videtur quod cum fundi dominio in emptorem transferatur etiam ius ac proprietas idolorum aut oratoriorum idolis dedicatorum, quae in fundo sita sunt. Si res ita se habet, tenetur christianus idola tollere ac oratoria destruere, vel in aliam formam ac usum ita redigere, ut nulla amplius species appareat oratorii idolis consecrati, et omnis superstitiosi cultus removeatur occasio. Monere autem gentiles ut ipsi idola tollant ac oratoria destruant, nec turbarum excitandarum periculo vacat, nec iustum est ut, quae idola per se potest christianus evertere, permittat paganis alio transferre ac profano cultu adorare. Si vero idola ac oratoria huiusmodi, quamvis in privatorum territoriis constituta, publici iuris ac sub principis potestate sunt, tunc non licet christianis ea tollere ac destruere; et potius abstineant ab iis territoriis emendis, in quibus profana haec simulacra ac oratoria reperiuntur.***

Ad 3. Provisum in secundo.

S. C. de Prop. Fide. C. P. pro Sin. 18 Martii 1817. Vic. Ap. Siam
Dubia quoad nonnulla opera superstitiosa

1. Tempore eclipsis lunae Siamenses tumultuantur, campanas et alia instrumenta pulsant, explodunt tormenta bellica, ea opinione ducti quod credant draconem magnum deglutire velle lunam aut solem: strepitum magnum sic faciunt ut liberent eum de ore draconis, et sic putant se habere meritum magnum et ostendere gratum animum. Rex Siami solet eleemosynas dare sui corporis custodibus et aliis quos prope se invenit. Possuntne christiani tales eleemosynas recipere, et si iubeantur, tormenta bellica explodere?

2. Viget consuetudo, raso capite puerorum, servandi capillaturam in vertice. Cum autem annorum decem aut duodecim plus minusve aetatem attigerint, parentes diem assignant qua capilli tonderi debent, invitantur ad caeremoniam cognati et alii quoscumque voluerint. Invi-

tantur et bonzi, qui orant et aquam suam benedictam aspergunt supra modo tonsum. Licet caeremonia sit superstitiosa, videtur tamen, sicut de ore praefectorum siamensium audierunt nostri christiani, eo potissimum fine introducta illa consuetudo, ut pecuniam colligant parentes quae copiose datur occasione illius caeremoniae. Possuntne christiani ad illam invitati, praesertim a praefectis suis, dare pecuniam et ad convivium sedere? Possuntne vendere comestibilia ad huiusmodi convivia facienda? Usque modo prohibuimus nostros. Sunt tamen aliqui qui furtive adiuvant, seclusa omni superstitione; possuntne christiani similem adhibere caeremoniam, eo tantum fine ut laetentur et pecuniam colligant?

3. Siamenses solent emere passeres, pisces, testudines, quas croco liniunt, quas iunctis manibus salutant, et sic in flumen demittunt, et credunt habere meritum magnum, quia sic libertatem et vitam illis tribuunt, petuntque ab ipsis ut in futuro illos adiuvent : possuntne christiani praedicta vendere, quin superstitioni illorum conniveant?

R. Ad **1.** Nisi publica opinione explosio tormentorum bellicorum et acceptio eleemosynae ex parte christianorum habeantur in casu, de quo agitur, tamquam actus superstitiose christianos non esse inquietami os.

Ad 2. Non licere adesse tonsioni capillorum ; et quoad eleemosynam et mensam non licere, si haec habeantur ut partes religiosae caeremoniae ; si autem habeantur pro laetitia familiae, licere.

Ad 3. Nisi constiterit animalia, de quibus agitur, a christianis vendi gentilibus, ut ab istis libertate donentur aut asserventur ad effectum fovendi superstitionem, non esse inquietandos.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 16 Iunii 1894.

Sess. 24 Cap. 5 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Die 10 Aug. 1876 Gilbertus S. . . . aet. 44 annorum et Laura L. . . . aet. 29 an., ambo ex civitate Parisiensi, matrimonium contraxerunt inter se in forma Tridentina, obtenta super cultus disparitate dispensatione, praemisso, secundum legem Galliae, actu civili, et statim individuam vitae consuetudinem ducere coeperunt in domo mariti. Verum, quam misera sorte collocata Laura fuerat, brevi patuit. Pro marito ebriosum, inhumanum percussorem et turpem sodomitam habuit, ut ipsa et uno ore testes omnes, qui plures sunt, proclamant. Exhorruit sane puella et totis viribus libidinosis viri spurcitiis semper resistere conata est. In dies tristior efficitur, idque rescientes parentes eius, et animadvertentes insuper, filiam hac de causa grave in valetudine detrimentum passam esse, medico impellente, ad propriam domum illam reduxerunt. Hoc contigit Ianuario mense anni 1881.

Transactis dein aliquibus annis, mense martio 1887, mulier divortii sententiam a iudice laico postulavit ac consequuta est. In decursu vero huius actionis civilis, quod praestat recolere, Laura duo documenta produxit Dñi Brouardel, quibus fides fiebat, hanc mulierem adhuc virginem esse, et peritorum viri corpus inspicientium conclusiones infirmabantur. Vicissim vero vir attestationes DD. Martineau et Descouts allegavit, quibus de sua viri potentia testimonium dabatur, simulque ad trutinam revocato documento Dñi Brouardel , inferebatur matrimonii consummationem locum habere

potuisse, quin uxor deflorata fuerit ob defectum proportionis genitalium, nec unquam Gilbertum sodomiae vitio induisisse. Haec vero documenta in actorum fasciculo inserta reperiuntur.

Post haec Laura ad novas nuptias convolare cupiens, ad Ecclesiam confugit dissolutionem postulans sui matrimonii, qua rati et non consummati.

Preces de more ablegatae fuerunt Archiepiscopo Parisiensi, qui SSmi Patris iussa faciens, consuetum confici curavit processum. Mulier percontata fuit a iudice, testes septimae manus produxit, ac demum iudiciali corporali inspectioni duorum medicorum, adstante matrona ac balneo praemisso, se subiecit. Vir quoque examen subiit, affirmans se continuo per integrum vitae communis spatium, singulis fere noctibus copulam maritalem exercuisse, quam putabat esse perfectam; ac nunquam uxore abusum fuisse. Testes septimae manus haud adduxit, sed, postquam ipsi omnia acta legenda tradita fuissent, satius duxit prolixam sua manu conscribere epistolam memorialem « in qua, ut Iudex delegatus scribit S. C. O. Praefecto, refutare nititur accusationes contra se ingestas. Vehementer se offensum ostendit ex vitio intemperantiae, quod ipsi tribuitur a pluribus testibus, ideoque a vidua Auger obtinuit ut declarationibus coram Iudice sub fide iuramenti datis, quasdam restrictiones afferret, quas ipse dictavit, ut ex authentica ipsius scriptura nobis compertum est »; atque omnes quasi testes, qui favore actricis deposuerunt, repudiat, "quippe qui de auditu sunt.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Duo itaque, ait Theologus, inquiramus oportet: utrum nempe de praesentis matrimonii inconsummatione iuridice constet, atque urgentes et sat idoneae rationes praesto sint petitam elargiendi dispensationem.

Ad primum quod spectat, respondendum esse au turno *affirmative.* Ex tribus sane de matrimonii alicuius inconsummatione iudicatur scilicet: 1) ex iurata declaratione

coniugum ; 2) ex septimae manus testimonio ; 3) ex physica exploratione corporis. Singula itaque, prout in actis iacent, perscrutemur.

Uxor seu actrix nihil haesitans non solum matrimonium nunquam fuisse consummatum, sed ulla nunquam ex parte mariti in ordine ad consummationem habita fuisse tentamina, sub sacramento declaravit. Interrogata utrum maritus cum ipsa copulam coniugalem habuerit, respondit : numquam, neque ipsa prima nocte, ulla fecit tentamina maritus qui abhorret a feminis et ab officiis matrimonialibus.

Paulo prius dixerat solitariis turpitudinibus maritum consueto induisisse. Iam vero apud molles naturalem ad femineum sexum inclinationem exulare, experientia utique duce, auctores communiter docent. Cfr. Alibert *El ment thérap. t. 2, pag. 521;* Roubaud *Traite' de V Impuissance.* Praeterea in *Neapolitana Nullitatis seu dispensationis matrimonii, die 14 Iunii 1862,* recte observatum est « nefandum mollitiei vitium necnon veneris abusus haud raro impotentiam producunt ». Quare si in iis stare velimus quae actrix testata est, praesumptio nascitur, virum ea de causa ad actum matrimonium consummantem non devenisse, quia absolute incapacem se sentiebat.

Vir autem sciens se de impotentia esse suspectum, atque uxorem, - prout infra dicam - a peritis intactam inventam esse, medicos duos extraiudicialiter adiit qui eum inspicerent atque potentiam scripto testarentur. Coram iudice itaque vocatus horum testimonia produxit, atque circa coniugale debitum interpellatus, dixit se continuo per integrum vitae communis spatium, singulis fere noctibus, rei uxoriae induisisse et copulam maritalem habuisse, quam putabat esse perfectam; quod si uxor deflorata non fuerit, hoc *oh defectum proportione* contigisse.

In hisce verbis vir non solum mulieri contradicit, sed secumetipso pugnat, cum ex una parte ob defectum proportionis se istam deflorare, seu copula perfecta penetrare non potuisse fatetur, ex altera putat se matrimonium consummasse.

Iure itaque etiam virum habemus fatentem se matrimonium non consummasse, eum consummatio penetrationem atque seminationem non intra vulvam solum, sed intra vaginam requirat, quod eumdem latuisse mirum non foret. Haec autem omnia confirmantur per testimonia septimae manus, qui uno ore, tum oratricis veracitatem, tum matrimonii inconsummationem affirmarunt, neque ullus eorumdem apprehenditur, qui vel dubitando hac de re locutus sit. Restat ut ad ultimum quod ex corporis exploratione deducitur, argumentum ponderandum transeamus.

A tribus peritis medicis, praemisso, prout de more, aquae tepentis bal neo , mulier inspecta est, qui deinceps singuli tum scripto, tum oretenus sub sacramento coram iudice mentem hac de re manifestarunt. Mens autem eorum est, oratricem talia prae sé ferre virginitatis seu integritatis signa, quae copulam perfectam, nullo interiecto dubio, excludunt. Verum, repones, magni non esse facienda huiusmodi peritorum iudicia; nam acceptissima est conclusio quod << virginitatis nullae dantur certae et inseparabiles notae » Zacchias *Quaest, medico-lega les, I. IV, tit. II, q. 1, n. 14.* Unde etiam canon : « Saepe manus fallitur et oculus obstetricum » *cap. penult. de proh.*

Respondeo aliud esse in universim non dari notas quibus, omni in casu, virginitas dignosci certo possit, et aliud, non dari unquam casus in quibus certae virginitatis notae adsint. Rursus, aliud est est organa, maxime vero hymen, inveniri integra, aliud integritatem, quae non est eiusdem indolis apud virgines omnes, talem apprehendi, quae copulam perfectam certo excludat.

Dico itaque 1) accidere posse mulierem, etiam post repetitus concubitus, genitalia prae se ferre ita naturaliter composita atque integra, ut non quidem ex mera integritate qua tali, sed magis ex speciali integritatis indole et natura certo peritus iudicare valeat, eam nunquam fuisse a viro copula perfecta cognitam ; 2) ita reapse in praesenti themate contigisse.

Ad primum quod attinet, sciendum est hymenem quod vocant et de quo* tum apud veteres tum apud moderniores acriter disputabatur, minime in pellicula aliqua consistere quam virgines omnes et singulae habeant undequaque identicam. Hymen enim, prout recentissimis temporibus in comperto positum est, ipsum externum os vaginae dicitur quod natura plus minusve angustum vel laxatum aut laxabile apud diversas apprehenditur. Interdum vero, imo et saepe saepius contingit os illud esse augustissimum, atque talis tenuis contexturae, ut a viro etiam mediocriter mentulato sine laceratione, nunquam resarcienda, penetrari omnino non possit. Quod autem in casu apud oratricem res ita sit, ex peritorum declarationibus aperte deducitur.

Tertius peritus Dr. Ferrand ulterius testatus est, nequidem in vulva signa dari, quibus decernere liceat virum tentasse consummare matrimonium.

Restat itaque ut iure concludamus, constare de eiusdem matrimonii inconsummatione.

Ad dispensationis causas gradum faciendo, in themate, statim dicam, plures et quidem idoneas atque sufficientes adesse plane mihi videtur. Sane inter causas huiusmodi recensetur viri probabilis impotentia, Sánchez *De matr. I. II, disp. 16, n. 6,* quam vel absolutam, prout ex iis facile deducitur quae actrix testata est, vel saltem relativam, quam ipse vir est fassus in themate apprehendimus.

Altera dispensationis causa ex animorum incurabili aversione excerpitur. Porro coniuges sic ab invicem in casu aversos animos habere, ut de omni reconciliatione desperandum sit, non ipsi solum, sed et integra septima manus affirmavit.

Tertia demum causa, ad dispensationem impetrandam movens, in mutuo consensu coniugum sistit. Talis consensus, ait Sánchez *I. Il, disp. 16,* « iuncto odio et discordia, cum sit absque remedio et cum timore infelicis exitus » , causa sufficiens est dispensationis. Porro ab actrice solutionem matrimonii petente, vir se non dissentire declaravit, nec ce-

teroquin civilis divortii sententia vitam communem redintegrare permittit.

VOTUM CANONISTAE. Evidens est, ad hoc ut matrimonii initi a Laura L. . . . cum Gilberto S. . . . dissolvendi quoad vinculum sententia proferatur, duo haec constare debent: I° illud non fuisse consummatum, 2° graves ad dissolutionem pronunciandam adesse causas. Iamvero, actis processualibus mature perspensis, illa duo probata in casu videntur.

Matrimonium non fuisse consummatum probat primo loco depositio iurata actricis Laurae L. . . . Haec enim postquam ad 2. interrogationem iuridice factam iuramentum de veritate dicenda praestiterit, fatetur aperte in 8. interrogatione matrimonii non consummationem : idem repetit in responsione ad 9 interrogationem. Quam mulieris assertionem confirmat sententia tribunalis civilis 15 Martii 1887, qua divortium inter Laura m L. . . . eiusque virum pronunciatum est, ex eo quod vir gravem iniuriam uxori intulisset abstinendo ab actu coniugali. — Verum quidem est Gilbertum S. . . . . aliud omnino in iudicio deposuisse. Ipse enim praestito iuramento retulit coitum habuisse cum sua, uxore saepe saepius ; et matrimonium iuxta eius opinionem consummatum esse. At omisso quod saltem dubiae fidei censendus sit homo, qui catholicam religionem deseruit, et perdifissimis moribus sit addictus, certum in iure est quod, quando coniuges discordes sunt, illius iuramentum, ut verum haberi debeat, cui ceterae probationes concordant. Iamvero hae optime confirmant attestationem Laurae et excludunt Gilberti depositionem, quod ex nunc dicendis patebit.

Testimonium secundo loco septimae manus totum est in adserenda veritate ab uxore facta : omnes testes fere iisdem verbis se exprimunt. Ex altera vero parte vir Gilbertus nullum pro se attulit testem : solum contentus fuit. remittere praefato Dno Monlezun epistolam memoria lem, in qua omnes quasi testes, qui favore actricis deposuerunt, repudiat, quippe qui *de auditu* sunt, duos vero reiicit, quia eum impotentem

ad actum coniugalem traducunt. Uti patet, repudiatio testium, ideo quia sunt de auditu, in casu est ridicula ; agitur enim de re, quae *de visu* nonnisi a peritis, ad hoc deputatis cognosci potest. Insuper adducti testes tales sunt, ut omnimodam fidem firmiter asserant se adiungere assertioni Oratricis. Nec pariter infirmatur depositio testium ex eo quod Carolus Etienne et Henricus Gouran asserant Gilbertum S. . . . . . impotentia laborare ad actum coniugalem, quod Dr. Descout falsum demonstrat. Nam in primis duo sunt prae quatuordecim aliis, qui testantur matrimonium non fuisse consummatum. Deinde quum et ipsi, primus in respons. 4. alter in resp. 6. credant, matrimonium non fuisse consummatum, ipsos errasse tantum in non consummationis ratione adducenda concludendum est.

Probationes iuridicae, roborantur postremo loco, uti iuris est, ex inspectione corporis mulieris facta a peritis, ex quorum depositionibus iuramento firmatis deducitur, Gilbertum matrimonium non consummasse cum Laura L. . . . . — Verum quidem est virum in contrarium attulisse attestationem alterius doctoris Pauli Descourt, in qua duo asseruntur, tum scilicet Gilbertum S. . . . . . non esse impotentem ad actum coniugalem, tum consummationem matrimonii locum habere potuisse quin membrana *(hymen)* Laurae L. . . . . indicia praebeat factae consummationis ; nam ipsa potest intacta perseverare, ex eo quod membrum virile ingredi potuit « dans le canal vulvo-vaginal » non autem in vaginam : quod etiam diu evenire potest, quum aliquando mulier intacta inveniatur etiam tempore partus. At primum non quaeritur in re nostra. Quoad alterum primo adnotandum est auctoritatem doctoris Descourt non esse ullo modo praeferendam sententiae aliorum medicorum, quos archiepiscopalis Curia parisiensis consulendos esse duxit. Deinde praefatus Doctor nunquam inspexit membranam *(hymen)* Laurae L. . . . eiusque ratiocinium nititur in assertione Gilberti S. . . . . . consummationem factam dicentis, qua supposita idem Doctor viam quaesivit ad explicandum quomodo Laura L. . . . virgo adhuc

videatur. Ulterius Descourt assertio licet theoretice vera, in casu tamen uti nullius valoris est habenda: nam Dr. Brouardel eam expresse excludit in resp. 6.

Ergo talis est membrana Oratricis, ut non cedat membro virili et per eiusdem membri ingressum omnino rumpi debuisset. Ex alio tandem capite irritatur assertio doctoris Descourt. Siquidem Dr. Bucquoy in sua attestatione habet : « l'hymen offre une légère résistance, qu'il serait facile de vaincre, si l'on voulait porter le doigt plus avant dans la cavité vaginale. Sans même aller jusqu'à faire cette tentative on éveille une douleur assez vive ». Iamvero Gilbertus S. . . . . . in responsione 6. asserit: «Dans nos premiers rapports ma femme n'a pas éprouvé de douleur ». Quod impossibile ex dictis apparet. Restat igitur matrimonium non fuisse consummatum, quod probavimus ex iurata actricis depositione , ex testimonio septimae manus et ex medicorum peritia.

Ad obtinendam dispensationem a matrimonio rato et non consummato, praeter factum non consummationis matrimonii, graves etiam causae concurrant necesse est. Iamvero inspectis actibus processus habemus *a)* sententiam latam a tribunali civili de divortio absoluto ; *b)* impossibilitatem adducendi cum effectu coniuges ad vitam coniugalem restaurandam. Quae impossibilitas eruitur in primis ex confessione ipsorum coniugum. Conciliationis impossibilitas nititur tota in perversa indole viri, qui uxorem in pessima servabat conditione, eamque ad actus illicitos cogere studebat, quod tum ipsa uxor testatur, tum testes aperte deponunt, a quorum depositionibus excluditur contraria viri assertio in resp. 8; c) conditionem Oratricis, quae cum habeat solam matrem longaevam et infirmam, plurimum cupit ad novas nuptias convolare.

Quae cum ita sint, puto consulendum esse SSmo pro gratia dispensationis a matrimonio rato et non consummato in casu.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII. Tametsi non pauca, nec levia huiusmodi petitioni obstent ; actrici nihilominus benignissime favent duo eximii Consultores, qui ad processus acta de more examinanda adlecti fuerunt. Nonnulla proinde ad rem pro mei muneris officio brevissime innuere operae pretium puto.

Ponderandum equidem primo est, Lauram nonnisi post diuturnum tempus, opere infectum proclamasse matrimonium; Gilbertum vero absque ambagibus fateri, se pluries eam maritaliter cognovisse. Ex quo plane consequitur, huiusmodi negotium expediendum esse iuxta statutum cap. *Accepisti 1 de frig. et malef.,* ibi : « Illa autem (mulier) si prior post annum aut dimidium ad Episcopum aut eius Missum proclamaverit, dicens quod non cognovisset eam, *tu autem contrarium affirmas, tibi credendum est, eo quod caput es mulieris : quia, si proclamare voluit, cur tamdiu tacuit?* Cito enim et in parvo tempore scire potuit, si secum coire potuisses. Si autem *statim in ipsa novitate* post mensem aut duos ad Episcopum aut eius Missum proclamaverit... *si probari potest per rectum iudicium,* separari potestis, et illa, si vult, nubat in Domino ».

Atque canonica huiusmodi regula eo vel magis in themate urgenda est, quia Laura dum nullum prorsus de viri potentia dubium movere audet, talia narrat ad excludendam matrimonii consummationem, quae abnormia profecto et inverosimilia apparent. Etenim sciscitanti iudici : « Pendant ce temps (vitae coniugalis) avez-vous toujours, la nuit, partagé le même lit avec lui ? » respondit : « Mon mari a l'habitude de boire. Alors il ne couchait pas avec moi. Il dormait sur un fauteuil, puis venait le matin au lit quand j'en sortais... ». Et eidem iudici urgenti: « Dès la première nuit de vos noces, Mr. Gilbert vous a-t-il proposé de remplir le devoir conjugal? Y avez-vous consenti sans la moindre difficulté ? Quel a été le résultat de ces premières tentatives ? » dixit : « Il ne m'a rien proposé en fait de devoir conjugal dès la premiere nuit, ni depuis. Il m'a lu des vers sur l'amour,

c'est tout. Il ne m'a pas demandé autre chose et je n'ai eu rien à lui refuser ». Ulterius instante iudice: « A quelle cause attribuez-vous cette non consommation de votre mariage ? » hanc protulit rationem : « Parceque le mariage et son devoir n'est pas dans ses idées. Il ne supporte pas la femme ».

Quomodo componi haec valeant, minime perspicio. Durum namque est credere, quod qui, nuptiis inhians, uxorem ducit et cum ea diu noctuque per plures annos conversatur, ab opere maritali abhorreat. Durius adhuc est, id credere de viro, qui ebriosus dicitur : « quia vini potus venerem stimulat iuxta illud Proverb. *cap. 20, v. 1: Luxuriosa res est vinum;* et illud Pauli ad Ephes. *cap. 5, v. 18 : Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Cuius rei notissimam experientiam habemus in Loth, qui vino inebriatus a propriis filiabus non abstinuit, ut narratur Genesis *cap. 19,* unde optime dicitur ab Ovidio: *Vina parant animos Veneri ».* Cf. Zacchiam *quaest, med. leg. lib. 5) tit. 1, q. 6, n. 16.* Durissimum tandem est credere, talem virum abhorruisse sponsae suae amplexus, cum Laura ipsa profiteatur : « Il était tyrannique et *jaloux.* Je ne pouvais pas regarder quelqu'un sans le fâcher. Il avait des hallucinations, croyant voir ce qui n'existait pas » ; cumque zelotypia inter coniuges non sit nisi *coniugalis amoris filia,* ceu tradit Coscius *De separat, tori, coni. lib. 2, cap. 11, n. 88,* ibi: «Odium quoque quarto producit sive viri sive mulieris zelotypia, *quae quidem inter coniuges est filia coniugalis amoris ;* sed si amor zelotypum sic exagitet, ut tandem certo credat ab altero sibi datam fidem violari, non semel amor in odium capitale dégénérât, nulla namque ex animi perturbationibus vehementior est zelotypia, quippe quae mentem perturbat, et quasi eripit... ».

Quarum difficultatum vim Laura persentit, et ideo a iudice ulterius percontata : « Pendant le temps que vous avez vécu ensemble avez-vous souvent essayé d'accomplir l'acte conjugal ? Etes-vous bien sûre que c'a été toujours sans suc-

cès? » rem ita explicare praesumit: « Jamais il n'a essayé. Toutes les habitudes de mon mari sont hors nature. Il me faisait des propositions auxquelles je me refusais. Il s'agissait de mauvaises habitudes contre nature. Il a voulu me faire violence, j'ai constamment résisté. J'ai constaté qu'il avait des habitudes solitaires ». Id tamen facilius est canere quam suadere ; eo vel magis, quia plane pugnat cum praefata viri zelotypia. Haec porro, cum filia sit coniugalis amoris, inverosimilem magis reddit nefandi criminis accusationem, et insuper iure omnium optimo arguere facit, zelotypum virum nihil officii sui erga uxorem praetermisisse, ut intimos eius sensus sibi conciliaret ac devinciret.

Quoad specimen demum in actricis corpore peractum, ne repetam hic quae in assimilibus casibus saepe saepius animadverti, recolere praestat quae hodiernus Consultor theologus scribebat in causa S. Galli *Matrimonii 14 Aprilis 1894:* « Ad tertium nunc inconsummationis argumentum deveniendo, quod ex feminei corporis inspectione eruitur, severior, ut puto, a nemine habendus ero, si a limine dixerim illud sedulo cribrandum esse periculum. Huiusmodi utique organorum inspectionem, probationem solum facere adminiculativam non diffiteor ; ast cum de caduco agitur fulciendo stipite, adminiculum etiam validum omnino requiri quis neget ? Quo autem rectius de adminiculativae istius in themate probationis vi et virtute iudicemus, abs re non erit regulas hic referre, quas in eadem instituenda S. C. C. servandas atque Episcopis Ordinariis communicandas, sub die *22* Aug. 1840, decrevit ». Atque recitatis heic regulis traditis in § *Procedendum* et § *Padex cit. instr,* concludebat : « recensitas regulas eo magis utique in themate servandas, quo infirmior oratorum causa videbatur ».

Mea facio praelaudati Consultoris verba, cum ex superius dictis, satis infirma appareat actricis causa, et nemo praeterea sit, quin videat, non levem adesse in casu difficultatem recognoscendi eiusdem actricis virginitatem. Iudicialis quippe feminei corporis inspectio nonnisi decem ferme

annis post dissoci ationem vitae coniugalis a duobus peritis medicis peracta fuit, qui ceteroquin muliebria tantummodo explorarunt, posthabitis ceteris corporis partibus, ex quibus- alia indicia ad rem colligi poterant.

Eapropter minime dubito, quin supra inscriptum dubium dimittatur responso : *Negative,* vel sin minus : *compleantur acta.*

Hisce animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 16 Iun. 1894, censuit respondere : *Affirmative.*

BOLIVAREN.

TAXAE PRO SEMINARIO

Die 14 Iulii 1894.

Concil. Trid. Sess. 23, cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Congregationis SSmi Redemptoris Patres, Bolivarum acciti ut ibidem sacris missionibus vacarent, ex conventibus in civitate Bolivarensi extinctis, scilicet Patrum S. Augustini, B. M. V. de Mercede et S. Francisci, bonorum eisdem antea spectantium unam mediam partem obtinuerunt ; altera media parte Seminario Dioecesano adiudicata. Haec divisio ordinata fuit per decretum S. Congr. super Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis sub die 25 Februarii 1870, et executioni ita demandata fuit ut usque ad annum 1877 aequis portionibus inter se dividerent reditus canonis locationis horum bonorum, computatos in Libellas Italicas 4800 pro unaquaque parte; anno vero 1877 ipsi fundi divisi sunt atque unicuique per publicum instrumentum in liberam et perpetuam proprietatem fuerunt adiudicati.

Res pacifice taliter composita, hoc in statu perduravit usque ad annum 1891, quo controversiae occasio fuit Decretum Deputationis Seminarii Dioecesani, ab Ordinario approbatum, Superiori PP. Redemptoristarum intimatum sub die 11 Septembris eiusdem anni, ita conceptum: « Pii Loci illius Deputationem in sessione 27 Augusti eiusdem anni, cui praeerat Rmus Vicarius Generalis, habita prae oculis *sess. 23, c. 18 de Ref.* Conc. Trid., decrevisse ut RR. Patribus Redemptoristis solvenda quotannis essent, favore Ven. Seminarii dioecesani, scutata 800 id est franci 4000 ».

Huic decreto obstiterunt RR. PP. Redemptoristae et protestati sunt Episcopo Bolivarensi, se eo decreto non teneri ob exemptionem plenissimam qua fruebantur ad instar Ordinum Mendicantium, vi *Brevis Pii VII diei-9 Ian. 1807.* Tunc Episcopus Bolivarensis controversiam proposuit Apostolicae Delegationi Limae, in Republica Peruana residenti, eidem Brevis Pii VII transmisso exemplari, hoc concinnato dubio : « An, scilicet, Communitatis Religiosorum SSmi Redemptoris in civitate Bolivarensi, minime obstante privilegio exemptionis a iurisdictione Ordinarii, solvere teneatur taxam favore Seminarii iuxta Decretum S. Conc. Trid. *sess. 23, cap. 18 de Ref. ».* Delegatus Apostolicus sub die 19 Ian. 1892 reposuit « super dubio... respondendum esse censemus, affirmative. In Instructione edita a S. C. C. anno 1725 iussu S. M. Benedicti XIII una cum constitutione *Creditae Nobis* eiusdem Pontificis in IV legitur : Taxa favore Seminarii solvi etiam debet a Regularibus, et ab ipsa Constitutione SSmi Dñi Nostri, eximuntur Regulares solummodo respectu illorum beneficiorum ac fructuum relate ad quos Sedes Apostolica concessit eis clare et expresse, et ob causam vere et proprie onerosam, omnimodam exemptionem. Insuper S. C. C. die 6 Febr. anno 1646, declaravit: nullum esse exemptum a contributione Seminarii, nisi qui nominatim a S. C. Trid. in c. 18, sess. XIII excipiuntur, etiam si sint Praelati familiares Papae et S. R. C. Cardinalium quamvis camerales, nec eis suffragari privilegia exemptionis, nisi in dictis pri-

vilegiis facta fuerit specialis et individua derogatio Conc. Lateranensis etc. etc. Nec videtur communicationem privilegiorum Mendicantium comprehendere etiam exemptionem a vectigalibus ecclesiasticis ; cum, hac super re, Possidentium et Mendicantium impar omnino, immo opposita conditio sit ».

Huius sententiae certiores effecti PP. Redemptoristae conquesti sunt quod ipsis insciis ad sententiam deventum sit; quum e contra Delegatus Apostolicus putaret, ipsos defluisse quaestionem ad suam decisionem excipiendo tantum contra Decretum Episcopi ius exemptionis Regularis. Quare hic utramque partem monuit et suasit ut recurrerent ad S. Sedem , formiter promoto iudicio, quod partes peregerunt ad S. C. C. negotium remittentes.

Idem Delegatus Apostolicus super delata ad S. C. C. controversia de more pro voto interpellatus, sub die 5 Iunii 1893 respondit, se in sententiam super allatam descendisse, quia putabat religiosos obsistere Episcopi decreto tantum ob rationem exemptionis; quod si cognovisset alias rationes, posthac a religiosis adductas, in contrariam sententiam abiisset.

Disceptatio Synoptica

RELIGIOSORUM IURA. In primis opponunt peremptoriam exceptionem iam initae transactionis, adiudicantis certam bonorum partem respective Seminario Dioecesano et PP. Redemptoristis.

Secundo, advertunt Episcopi intentionem infirmari etiam alia ex parte, quia Seminarium non iis fruitur conditionibus a Conc. Tridentino requisitis ad exercendum ius sibi vindicandi contributionem ab universis bonis ecclesiasticis. Nam dum Tridentini Patres expostulant, ut in Seminario alantur, habitu et tonsura clericali utentes, qui vocationis ecclesiasticae indolem et voluntatem praeseferunt eique impensius respondent, ex adverso in Seminario Bolivarensi instituuntur iuvenes in scientiis profanis, habitu saeculari utentes, nullam vocationem ecclesiasticam praeseferentes, et hinc ex

alumnis perpauci ecclesiastico ministerio se consecrant qui ad sua studia perficienda ad Seminarium Quiti constitutum remittuntur.

Episcopus Bolivarensis de hac re percontatus, hoc non negavit, sed insimul significavit se animum adiecisse ad instituendum Maius Seminarium exclusive ad clericos instituendos, quem in scopum a Patribus Redemptoristis *taxam*, ex praescripto Concilii Tridentini, exigebat.

Praeterea PP. Redemptoristae advertunt, suam Congregationem Sacris Missionibus vacantem secus oram Oceani Pacifici, proprium habere Seminarium, ubi in studiis Ecclesiasticis Patres Missionarii instituuntur ; quaeque studiorum domus in praesentiarum numerat triginta fere clericos. At alumni pene omnes ex Europa proveniunt ; quamobrem Patrum congregatio, praeter sustentationis expensas, etiam grave itineris dispendium ferre debet.

Patres vero Redemptoristae operam sane particularem dant extraordinariis praedicationibus Missionum, quas gratis omnino perficiunt, unde in divino cultu conservando et in dies provehendo magnas opes impendunt ita ut asserant ordinarios fructus hisce operibus non sufficere et suppetias venire fidelium eleemosynas praesertim per missas manuales. Quocirca concludunt, se impares esse solvendae taxae ab Episcopo impositae, nisi magna cum fidelium pernicie intermi ttantur suetae sacrae functiones.

Demum notant, *dato et non concesso;* legitime Episcopum taxam imposuisse, tamen in mensura plane omnem excedisse modum. Revocant praedia universa ante divisionem reddidisse annuum locationis censum libellarum 9600, quarum media pars usque ad annum 1877, scilicet lib. 4800 respective PP. Redemptoristis et Seminario assignabantur. Adeo ut Episcopus expostularet fere omnes reditus ratione taxae seminarii, in mensura libellarum 4000. Verum est, quod Redemptoristae aperte fatentur, nunc illa praedia, ex eorum industri administratione maiores reddere fructus, sed negant eos esse quos praetenderet Episcopus.

Nam hic interrogatus ut sua adduceret iura contra Patrum exceptiones sequentes dedit literas : « Cum tempus sit rationes afferendi circa taxam a deputatis Seminarii Conciliaris dioecesani impositam Patribus Congregationis Smi Redentoris huius civitatis, mihi dicendum est : I° Valorem fundorum dictae Congregationis aestimatum esse 95,000 nonaginta quinque millibus scutis romanis vulgo dictis *sucres** seu quadringentis septuaginta quinque millibus francis iuxta aestimationem a Gubernio factam proprietatum immobilium huius Reipublicae, ut solvatur pensio decimarum substitutiva; 2° illos fundos producere saltem quatuor pro centum singulis annis ; 3° seminarium constitutum esse iuxta regulas a Tridentina Synodo fixas, quamvis Minus sit in hac civitate Maius autem Quiti; 4° nihilominus Minus functionibus sacris Cathedralis Ecclesiae inservire ; 5° subveniendum proin esse expensis huius Seminarii, expensis magnis, quia solvendum est centum scuta romana pro singulis alumnorum degentium in Metropolitano Seminario, hoc est singulis annis ; 6° denique consulto Superiore Congregationis, exposuisse deficientiam reditus domus, ita ut non posset solvere pensionem, nempe specialiter, quia debitis gravatus est ». In actis extat attestatio qua confirmantur reditus bonorum PP. Redemptoristarum iuxta Gubernii civilis censum, quemque memorat Episcopus in citato documento.

At PP. Redemptoristae subsumunt, non posse assumi gubernium uti testem, cum omnibus in confesso sit, ipsum exaggerare reditus ad maiores imponendas taxas. Revera gubernium in allato documento, quarto loco ponit « *Censos approximadamenle* S. (scudi) 20,000 ». Atqui Patres supponunt in hoc « censos » venire reditus incertos seu fidelium oblationes et nonnullos fructus derivantes ex libris editis a Patribus, qui omnes proventus, aliunde incerti, sane illam summam non attingunt.

Notant insuper admitti non posse Episcopi assertionem, nempe illos fundos *producere saltem quatuor .pro centum singulis annis,* nam ob ingentes expensas necessaria in fra-

ctibus obtinendis iisque colligendis *duo* vel ad summum *ter pro centum* singulis annis percipitur. At admissa etiam Episcopi computatione, innixa bonorum aestimatione a gubernio facta, concludunt Patres, ita ut fere duodeviginti millia libellarum perciperentur, tamen non libera essent a taxis gubernii civilis et ordinariis expensis domus religiosae viginti personarum, unde patet enormem esse taxam seminarii in libellas 4000 impositam.

Ex officio animadversum fuit iuris momenta ab Apostolico Delegato in citato Decreto memorata validissima esse, quae extra dubitationem collocent ius Ordinarii imponendi taxam pro Seminario etiam super bonis Regularium, nisi expresse ab hoc onere immunia declarata sint. Nam quamvis Benedicti XIII Literae Encyclicae *Concreditae nobis,* et apposita Instructio S. C. C. datae sint tantum ad Italiae Episcopos, tamen utrumque documentum innititur innumeris declarationibus generalioribus S. C. C. ius commune constituentibus; uti videre est apud cl. Pallottini in *sua Collectione* ad § V *Seminarium quoad taxam.*

Inter alias in hac specie recolenda est resolutio S. C. C. in *Monasterien. 7 Sept. 1714;* nempe monasteria quae Seminario sui ordinis contribuunt teneri ad con tribuendum pro Seminario Episcopi de reditibus *qui supersunt.*

Ex adverso Patribus Redemptoristis in casu suffragari videtur ratio petita ex conditionibus Seminarii quod donec oneribus a Conc. Trid. impositis non satisfaciat, nec iuribus ab eodem concessis frui valet. Ceterum si Episcopus intendat maius Seminarium instituere iuxta mentem PP. Tridentinorum, in primis eiusdem institutioni suppetere videntur ea bona a Summo Pontifice in dotem Seminarii Conciliaris adiudicata; quibus tantummodo deficientibus ius erit Ordinario recurrendi ad media extraordinaria, a Concilio comparata ad Seminaria sustentanda.

In mensura vero taxae imponendae, antea animadvertendum erit non posse imponi super fructibus, nisi deductis expensis, quia tralatitii iuris est non considerari fructus nisi

deductis expensis. Praeterea, quando agitur de monasteriis deduci etiam debent ea onera iisdem secundum ius commune inhaerentia, cum reputentur tamquam aes alienum, in *Theanen, ad cap. 18, Sess. 23 de Reform. Posit. 54,* et *Ulyxbonen. lib. 2 Decretorum pag. 117.*

Hoc pacto aestimatis fructibus, taxa favore Seminarii imponenda nec minor esse debet scutis tribus pro quolibet centenario, nec maior scutis quinque, decernit *Mileten. Taxae Seminarii die 6 Decembris 1737,* et Bened. XIII in Const. *Creditae Nobis.*

Hisce praehabitis, suppositum fuit diluendum

Dubium

An Decretum Episcopale sit confirmandum vel infirmandum in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii re disceptata sub die 14 Iulii 1894 censuit respondere: *Decretum esse infirmandum; et scribatur episcopo ad mentem.*

URBBVBTANA

FUNERUM

Die 11 Augusti 1894.

Sess. 25 cap. 13 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Urbevetere die 10 Martii 1893 diem obiit supremum Maria Benedetti, eiusdem loci oriunda, quae patriam dereliquit, transferens Viterbium suos lares quando nupsit Iosepho Bernabei. At in dotem sortita est domum paternam, unde ei in more fuit, fere quotannis apud parentes Urbevetere aliquod tempus commorari. Tempore huius commorationis accidit quod Mariae mater die 8 Ianuarii 1893 hac vita decessit, quam post duos menses, filia secuta est, disponens ut sepulturae mandaretur in coemeterio Viterbii prope suum virum. Quia Mariae paterna domus sita est in

paroecia Collegiata S. Andreae, parochus eidem uti in mortis articulo adstitit, non secus ac matri, et sacramenta administravit ; ratus est, ius sane habere Mariae cadaver levandi, super eodem funebre officium peragendi, idemque ad sepulturae locum associandi. Verum obstitit Ecclesia Cathedralis, quae haec omnia peragere sibi vindicavit, quia de non subdito Parochi agebatur. Negans Parochus, agi de peregrino, prouti contenderet Capitulum, protestatus est se cedere Capitulo, sed non renunciare iuri suo quod omnimode tueri debebat. Quapropter controversiam ad S. C. C. detulit, *die 8 Iunii 1893.*

Disceptatio Synoptica

IURA CAPITULI CATHEDRALIS. Capitulum Ecclesiae Cathedralis exorditur notans, praesentem controversiam duplici implicari quaestione, *iuris* altera, altera *facti.* Quaestio iuris est. An Ecclesia Cathedralis ius habeat funerandi cadavera non solum vagorum et peregrinorum, sed etiam eorum omnium qui in aliqua paroecia nec domicilium, nec quasi domicilium acquisierunt, nec in eadem sibi sepulturam elegerunt. Exinde nascitur quaestio facti, nimirum : an Maria Bernabei iis in conditionibus versata sit, ut in paroecia S. Andreae funera recipere debuerit.

Circa iuris quaestionem, canonici asserunt, hoc ius suae Basilicae Cathedralis solemniter recognitum fuisse a nonnullis iudicatis apud Curiam Romanam, et consuetudine constanti confirmatum, sed maxime roboratum fuisse per quamdam *Concordiam* hac de re initam a Clero Urbevetano et ab Ordinario Dioecesano approbatam sub die *18 Iulii 1874.* Iuvat referre huius concordiae partem, se referentem ad controversiam :

« *Restat ut de Parochorum iuribus in funeribus ho scitum et advenarum pateca dicamus:* neque enim regulae communiter a Doctoribus traditae, difficultatibus omnibus consuluisse videntur, imo in praxi nonnullarum ambiguitatum seminarium extitisse, et extare animadvertimus. Et quoniam

Rmi Cathedralis Capituli plurimum intererat, ne suo iuri defraudaretur, hinc Rmi Canonici capitulariter congregati, hanc proposuerunt unanimiter concordiam, scilicet:

« 1. Quotiescumque talium hospitum et advenarum mors obtingat aliquo insigniori titulo praestantium, prout sunt Cardinales, Episcopi, Praelati, Principes alicuius dominationis, eorumque consanguinei et affines, aliaeve personae primis aulicis honoribus decoratae, mulieribus non exceptis, sive de funer ando agatur, sive de tumulando (ubi lex non obstet) ius ad utrumque se tenet ex parte Ecclesiae Cathedralis, salva et integra Parocho defuncti quarta funeraria, iuxta et in terminis mox dicenda.

« 2. Hospites vero et advenae utriusque sexus, qui quasi domicilium ad tramites legis contraxisse dici possunt, cuiusmodi sunt qui aliquo Civitatis munere funguntur, (vulgo impiegati) advocati, procuratores, studentes, mercatores, musici, comici per id tempus, quo fuerunt conducti, vel manere in civitate ipsi condixerunt, puellae in Conservationis degentes, et in orphanotrophiis pueri, dummodo sepulchrum gentilitium non habeant, vel parentes suo tempore pro impuberibus elegerint, (quod tempus iuxta probabiliorem computatur pendente dumtaxat ipsorum impuberum vita) deinde artifices, opifices, qui aliquam sive officinam sive domum ad propriam professionem exercendam statuto tempore, et ipsi conduxerint, animo tamen non permanendi ; hi omnes et si alii sint, quos infra huiusmodi partium enumerationem complecti liceat, si in civitate mori contingat, in ipsa paroecia, ubi decumbunt, pleno iure funus erit agendum, imo et tumulatio, quoties lex non adversetur; nulla detracta quarta funeris favore Ecclesiae Cathedralis.

« 3. Ceteri omnes aliqua ex praedictis notis, seu caracteribus carentes, quicumque sint, sive vagorum nomine veniant, sive peregrinorum, sive alio vocentur vocabulo, nisi aliter eos disposuisse constat ad tramites legis, ubicumque excedant e vita, in Cathedrali Ecclesia funerentur et tumulentur ; salva Parocho defuncti quarta funerali, quae vi de-

cisionis S. Rotae die 4 Iunii 1768, debet sumi in sola medietate cerae accensae iuxta Crucem ».

Iamvero Canonici contendunt, Mariam Bernabei peregrinorum, utique, numero accensendam non esse, sed tamen, nec domicilium, nec quasi domicilium in paroecia S. Andreae habuisse; nam, aiunt, Mariam nec quotannis Urbemveterem venisse ad invisendam suam matrem, sed haec potius Viterbium petebat singulo quoque anno filiam visitatura. Imo quia filia raro et ad breve tempus matrem visitabat, explicant Capitulares factum quo mater, posthabita filia, nepotes suos haeredes instituit.

Contra Parochum afferentem attestationem cuiusdam dominae Aemiliae Cozza per literas asserentis, se audisse a filiabus Mariae quod cum haec Romae degeret causa valetudinis, de hac recuperanda desperans, ait : quoniam mihi moriendum est, mori cupio loco ubi nata sum, advertunt canonici haec verba non sufficienter significare voluntatem contrahendi quasi domicilium, uti non sufficienter hoc effecit factum commorationis fere trium mensium, ante eius mortem.

Unde concludunt Capitulares, ad contrahendum quasidomicilium, defuisse *factum et animum. Factum* quia trium mensium tempus non sufficiens est ad acquirendum quasidomicilium. Sed praecipue *animus* defuit; quum postremo tempore venerit Maria ad matrem, quia graviter aegrotabat ; et mortua matre voluntatem ostenderit statim et perpetuo se conferendi Viterbium, quo transferri iussit supellectiles paternae domus, uti attestantur Cleofes Calabresi, Mariae famula et Clelia Leandri amica famulae matris Mariae.

Proinde Canonici arguunt, se iure merito egisse, designando quemdam sacerdotem, qui cadaver associaret ad electam sepulturam Viterbii ; nam hoc idem ius Ecclesiae matrici competebat, et ita morem gesserunt defunctae consanguineorum, qui desideraverant ad cadaver associandum illum sacerdotem, familiae addictissimum.

IURA PAROCHI S. ANDREAE. EX adverso s. Andreae parochus sibi propositis eisdem quaestionibus a Capitulo pro-

motis, in contrariam descendit conclusionem. Nam inprimis *quaestioni iuris,* nimirum an Capitulo ex iure communi, vel ex consuetudine, vel potius ex peculiari concordia Cleri Urbe ve tani competat ius funerandi *in casu,* negative respondet.

Ius commune quod spectat, quasi principium, citat sententiam Ferraris Voc. *Sepultura,* n. 22, 23, scilicet: « *Peregrini pertranseuntes et viatores,* nisi sepulturam elegerint, sepeliendi sunt in Cathedrali : advenae autem seu exteri et peregrini habentes per aliquod temporis *habitationem* in aliqua paroecia, sepeliendi sunt in ipsa ». Cui sententiae cum communi Canonis concinit Mattheucc. *De offic. Cur. eccles, c. 48, n. 12:* « Distinguendum est inter *exteros* in loco habentes *habitationem, et peregrinos pertranseuntes,* ut primi debeant sepeliri in parochiali, in qua inhabitant, nisi sepulturam elegerint alibi ».

Nec diiformis est SS. CC. iurisprudentia, nam in *Fulginaten. 3 Iulii 1592* S. C. EE. et RR. decrevit: «Etiam circumscripta consuetudine, *advenas et peregrinos pertranseuntes* in cathedralibus, et reliquos in parochia intra cuius fines obierint, si *per aliquod tempus* habitaverint, esse sepeliendos ». In *Barcliinonen. 13 Ianuarii 1730 Iurium parochiali um,* S. Cong. Concil. Cathedrali ius attribuit sepeliendi cadavera exterorum, alienigenarum, peregrinorum et aliorum non habentium fixum domicilium etc. itemque electorum etc.; et in *Ariminen. Sacramentorum et funerum, 24 Martii 1888,* dubio : *An parocho cathedralis competat ius sacramentorum et funerum in advenas rusticantes, qui infra fines paroeciae S. Nicolai, nulla electa sepidtura, decedunt?* S. Congr. respondit: *Negative* (1). Et ratio decidendi, ait Parochus, in promptu est ; nam Ecclesiae parochiales habent intentionem fundatam in iure sepeliendi omnes decedentes intra fines propriae paroeciae ; dum e contra Ecclesiae Cathedrali, quasi per exceptionem, recognitum est ius funerandi eos qui *in mero transitu* per civitatem, aliqua

(1) Eecole Vol. XXI, 94.

infirmitate aggressi, fato cedunt. Tunc enim huiusmodi peregrinantes cum nulli paroeciae pertineant, ne carerent proprio ministro sacramentorum in articulo mortis et funebrium functionum post mortem, aequum erat ut subiicerentur potius Ecclesiae Cathedrali, maxime ob eius matricitatem et praeeminentiam.

Postea actor, accedens ad quaestionem consuetudinis, utrum nempe haec speciali ratione faveat Cathedrali Urbevetanae, notat quod ob innumeras causas hac de re ag ita tas heic in Curia Romana, nec in illius favorem definitas, plane nullimode in pacifica consuetudine confidi valet. Revera anno 1768 ob mortem cuiusdam Albicini, advenae, civitatis Gubernato ris, commorantis intra fines paroeciae S. Andreae, cum ius funerum sibi vindicaret Ecclesia Cathedralis, instaurato iudicio, apud S. Rotam haec sub die 2 Ian. 1768 sententiam tulit in favorem paroeciae S. Andreae, ita disserens *Cadavera Parocho Collegiatae adscripsit, vagis dumtaxat et peregrinis fortuito decedentibus Cathedrali reservatis,* et Cathedrali appellanti respondit : *In decisis.*

Dein actor ad evincendum quomodo Capitulum nullam certam consuetudinem potest in sui favorem invocare, urget factum mortis cuiusdam Mariae Bernabei filii, qui post *quadraginta dies* a suo adventu Urbem veterem e Viterbio, apud suam avam, Carolam Benedetti, decessit. Iamvero parochus S. Andreae, cuius in finibus sita est, uti iam innui, domus Benedetti, funus egit, nemine contradicente et cadaver sepulturae dedit, uti refert *parochialis liber mortuorum sub die 13 Ianuarii 1880.*

Actor postquam disseruerit de valore iuris communis et peculiaris consuetudinis in praesenti controversia, examinare aggreditur actus *Concordiae,* quam uti decretorium argumentum invocat et urget Capitulum.

Statim advertit quod omnis valor posset auferri praetensae Concordiae anni 1874, dummodo perpendatur, hic agi de iuribus a iure communi parochis concessis quae proinde per *transactionem* mutare nec Capitulo, nec parochis, nec ipsi

Ordinario permissum erat. Quare omnibus propositum erat petendi sanctionem Pontificiam, quod factum non fuit propter discordias illico enatas ex ipso tenore *Concordiae,* quae executioni numquam demandari potuisset» Unde parochi ad tollendum hunc fomitem et discordiarum praetextum Episcopo Ingami sub die *15 Decembris 1888* aliud proposuerunt Concordiae Schema, cum profiteantur, veterem Concordiam anni 1874, numquam executioni demandatam fuisse et neminem uti legem revereri. Episcopus parochorum excepit postulatum, sed effectu vacuum remansit.

Tamen ab incoepto non destiterunt parochi qui Elpiscopo nunc sedenti Bucchi-Accica, iterum preces obtulerunt ut dignaretur super propositis quaestionibus optatam inire concordiam. Instantiae exitus fuit ut Ordinarius ordinaverit et promulgaverit suo decreto firmatum quemdam elenchum *taxarum funebrium.* In hoc propositum notat actor, taxas nunc determinatas ab Ordinario esse diversas ab aliis propositis in Concordia anni 1874, cuius nec ulla fit mentio ; unde concludit, ipsum Episcopum recognovisse antiquam Concordiam nullum habere valorem. Imo in actis prostat quaedam Parochorum declaratio, a Cancellaria Episcopali legitime recognita, in qua protestantur *Concordiam anni 1874* nunquam observatam fuisse, uti probant aperte alia Concordiae schemata a Parochis proposita.

Praesul Briganti, quo sedente haec *Concordia* proposita fuit, in quadam litera data parocho Collegiatae s. Andreae, concludit conventionem anni 1874, seu *concordiam funerum* nunquam habuisse vim obligandi; quia numquam approbationem obtinuit a Sede Apostolica.

Cum ita responderit actor *quaestioni* iuris, accedens *ad facti quaestionem,* notat, Mariam Benedetti Bernabei sane *advenam, transeuntem et perfunctorie commorantem* vocari non posse, quae Urbevetere originem habuit et fere quotannis in sua domo paterna aliquam commorationem ducere solebat. Et S. C. C. in *Caven, funerum, diei 7 Februarii 1733>* dubio: *An tumulatio oriundorurn caventium ac exterorum*

qui incolatum per decennium non fecerint, nec bona possideant in eadem civitate_____spectet ad proprium parochum vel Capitulum; responsum prodiit: *Quoad viatores, peregrinos et advenas tantum spectare ad Capitulum.* In *Decisione vero 398, n. 5, S. Rotae coram Caprar.* legitur: « Fortius, quia in praesenti non agitur de funeribus vagantium et peregrinorum super quibus dubium videre posset an ius assistat parocho, intra cuius paroeciam decedunt, ut volunt Sánchez etc., vel potius Ecclesiae Cath.; sed quaestio est de exteris habentibus *domum apertam* in paroecia, cuiusmodi erat Comes Franciscus, super cuius funere orta est controversia inter parochum et Capitulum ; *in his enim terminis* non est dubitandum quod parocho assistat iuris dispositio cum *ad effectum funeris non sit necessarium quod defunctus in paroecia domicilium contraxerit, sed sufficit sola habitatio* ». Quas argumentationes a fortiori urget actor quia non agitur de *extero,* sed de *oriundo,* qui forsitan posset dici in ea paroecia fovisse quasi domicilium ob domum propriam inibi sitam, quam fere quotannis per aliquod dies habitare consueverat, quamque in supremam sibi commorationem elegerat aiens : « Giacché debbo morire, voglio andare a morire dove son nata ».

Quia vero Capitulum e contra affert attestationes duorum mulierum asserentium, Dominam Mariam nunquam sibi dixisse velle ibi suum constituere domicilium ; et citant factum quod ipsa Domina, mortua matre, domesticas supellectiles Viterbium deduxerit ; reponit parochus, priorem attestationem esse pure negativam ; factum autem translatarum supellectilium mirum non esse, quia Viterbii principale habebat domicilium, eidemque facto aliud opponit, nempe nihilo secius Mariam domum vendere noluisse, neque locare, prouti efflagitabant.

Subinde, argumento quasi ad hominem compellat Capitulum recolens Iuris effatum *a quo viventes recipimus Sacramenta ab eo post mortem debemus recipere sepulturam ;* unde advertit, quod si Capitulum de suo iure in huiusmodi

advenas sollicitum vere fuisset et persuasum, debuisset ipsum per tres menses ante mortem, Mariae aegrotae adsistere et moribundae Sacramenta administrare, prohibendo, ne contra canones hoc ministerio fungeretur parochus non proprius. Sed postquam Capitulum passum est ut haec omnia perageret s. Andreae parochus, non videtur quonam iure sibi ius funeris vindicare possit; nam *qui sentit commodum et onus sentire debet.*

Insuper, in meritum quaestionis, observat, ipsam defunctam, designasse locum propriae sepulturae, scilicet coemeterium Viterbii et proinde exclusisse Ecclesiam Cathedralem Urbevetanam. Unde eius parochus proprius Viterbii, ius habuisset cadaver elevandi et ad sepulturam associandi; quod cum facere non potuisset, ius succedit parochi illius loci in quo defunctus diem obiit supremum, maxime si ibi receperit extrema Sacramenta. Nam ad funeranda cadavera parochus contra quemcumque, intentionem habet in iure fundatam et Cathedralis Ecclesia habet tantummodo, quasi ex privilegio, ius funerandi et tumulandi peregrinos non sibi alibi eligentes sepulturam; uti aperte decrevit S. C. C. sub die *22 Decembris 1866* in causa *Iuris associandi cadaver* in qua intra Capitulum hoc ius sibi vindicans associandi defuncti peregrini cadaver, qui sepulcrum gentilitium in propria patria sibi designaverat ; et parochum loci in quo peregrinus defunctus erat, proposito dubio : *An et cui competat ius associandi cadaver in casu;* respondit: *Affirmative favore parochi S. Iuvenalis.*

Ex hac decisione actor parochus gradum facit ad ultimam quaestionem ; nempe *cuinam spectet ius associandi cadaver ad coemeterium Viterbii,* et observat Parochi ius in citato responso decretorie assertum fuisse. Revera illo in casu agebatur de peregrini cadavere, quod sepeliri debuisset in Cathedrali, iuxta receptum morem, nisi aliud sibi determinasset sepulcrum; et sepulturae specialis electio cognita est quando cadaver in Ecclesiam Cathedralem, iam elatum fuerat et funus peractum. Unde considerato defuncti cada-

vere, veluti *in loco depositi,* tantummodo quaesitum est, an idem associare ad sepulturam spectaret ad Capitulum, vel potius ad parochum. Proinde concludit actor, *dato etiam, sed minime concesso* quod ius funerandi in casu spectaret ad Capitulum Cathedrale, non inde sequeretur, eidem competere cadaveris associationem ad electum sepulcrum; nam *iuridice* ex uno privilegio aliud non infertur, uti decrevit S. C. C. in citata causa.

Quae res adeo clara est, refert parochus, ut. idem Capitulum in capitulari conventu declaravit' se alium presbyterum destinasse ad cadaver associandum, quia s. Andreae parochus hoc nullimode petiit; et constat, ipsum Capitulum prohibuisse Vicarium curatum quo minus cadaver associaret ad evitandas parochi Collegiatae s. Andreae querelas.

Hisce iuribus innixus actor, petit non solum sibi iuris controversi adiudicationem, sed etiam emolumentorum a Capitulo, illegitime perceptorum, restitutionem.

Quibus praemissis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An Ecclesiae Cathedrali competat ius funerum in casu.*

Et quatenus affirmative :

II. *An eidem competat ius associandi cadaver ad, electam sepulturam, extra dioecesim in casu.*

Et quatenus negative ad utrumque:

III. *An sit locus restitutioni emolumentorum pro funere defunctae in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 11 Augusti 1894 censuit respondere : *ad* I *et 11 Negative: ad* III *Affirmative, detractis expensis.*

BEJEN.

DUBII QUOAD EPISCOPUM PROPRIUM S. ORDINATIONIS

Die 11 Augusti 1894.

Per summaria preonm.

COMPENDIUM FACTI. Sub die 26 Aprilis 1894 Episcopus Beiensis S. C. C. haec dubia proponebat : « Gubernium Lusitanum solet nominare in perpetuum ad thesaurarias parochiales ordinandos, qui cursum studiorum parvorum seminariorum absolverint, ut in illis patrimonia ad Ordines sacros recipiendos, constituant

« Hae thesaurariae, uti mihi videntur, rationem vere non habent beneficiorum ecclesiasticorum, sed, haud dubio pensionum, nam reditus habent, unde ordinati sustentationem auferant.

« His positis, Vestram Eminentiam omni respectu rogo, ut Sacram Congregationem Concilii consulere velit super sequentia dubia, quorum responsa *affirmative* admodum proficua fore ad bonum huius Dioecesis, ubi rarae sunt vocationes ad vitam Sacerdotalem.

« Dubium 1um : An Episcopus nisus S. C. C. decisione diei 2 Augusti 1721, § 5, poterit ordinare familiarem suum, non subditum, ad titulum pensionis, si prius in favorem eiusdem obtinuerit a Gubernio thesaurariam perpetuam, in Dioecesi sua fruendam?

« Dubium 2UM : An poterit etiam nisus S. C. C. decisione diei 17 Septembris 1791, § 7, si hae thesaurariae, perspecta sua perpetuitate, adhuc intueri queant ad instar beneficiorum, iuvenem non subditum ordinare, quando in Dioecesi sua thesaurariam parochialem, in perpetuum possidendam a Gubernio obtinuerit?

« Magna igitur in spe maneo, Eme ac Rme Domine, Te meis votis obsequi voliturum, ac denique indulgentem mihi futurum, quoniam necessitas tantum me coegit, ut nunc molestus sim Eminentiae Vestrae ».

Quum in themate de effectibus iuridicis beneficii aut pensionis quoad Episcopum proprium S. Ordinationis deliberari non posset, nisi constet perspecte de qualitate huius beneficii aut pensionis, sub die 22 Maii huius anni, hac de re ab Episcopo quaesitum fuit; qui haec reposuit: « Obsequendo iussimus Emorum Patrum S. C. Concilii, litteris Eminentiae Vestrae scriptis die 22 Maii proxime elapsi, modo sequenti respondere mihi est :

« I°. Thesaurariae parochiales consistunt in officiis Sachristarum seu Custodum singularum ecclesiarum parochialium cum iure annexo in perpetuum percipiendi oblationes quasdam et reditus annuos a consuetudine legitime praescriptos, et insuper lege civili fulcitos.

« 2°. Incardinationem important in ecclesiis parochialibus, ubi sunt constitutae.

« 3°. A civili auctoritate tantummodo pendunt, quoad nominationem, seu praesentationem, quae non fit, nisi praevio consensu Ordinarii, qui postea mittit singulos praesentatos vel nominatos in possessionem thesaurariarum, seu sachristiarum parochialium. Titulus vero, quo auctoritas civilis nominat, seu praesentat ad thesaurarias parochiales, est lex praecipua, seu organi regni lusitani, quo etiam eadem auctoritas nominat seu praesentat ad omnia ecclesiastica munera. In hoc maxime thesaurariae parochiales a civili auctoritate, quoad reliqua vero ab Ordinario pendunt.

« 4°. Thesaurariae parochiales, haud dubio, veteribus beneficiis suppressis Sachristarum et Custodum ecclesiarum parochialium subrogatae fuerunt ».

Disceptatio Synoptica

THESAURARIAE NON VIDENTUR VERA BENEFICIA. Quoad 1um dubium, scilicet: « An Episcopus nisus S. C. C. decisione diei 2 Augusti 1721, § 5, poterit ordinare familiarem suum, non subditum, ad titulum pensionis, si prius in favorem eiusdem obtinuerit a Gubernio thesaurariam perpetuam

in Dioecesi sua fruendam? » Verba § 5 citata ex decisione diei 2 Augusti 1721, sunt sequentia: « Additur quod idem Concilium Tridentinum *sess. 23, cap. 9,* statuit quod Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus et Beneficium statim reipsa illi conferat, cumque disputato in hac Sacra Congregatione articulo, an pro ordinatione Familiaris sufficeret si Episcopus illi non beneficium, sed pensionem conferret; et *affirmative* fuerit responsum, uti habetur apud Fagnan. in *cap. Ad audientiam, n. 19[, de Rescriptis* ». Sed quomodo huic dispositioni modo Episcopus amplius inniti non possit, docent sequentia verba *in eode?n folio causae cit.* nempe : « Iuxta saepe memoratam Bullam *Speculatores,* non posset Episcopus alienae Dioecesis subditum familiarem suum ad minores aut Sacros Ordines promovere, nisi ultra triennale servitium eidem conferat Beneficium sufficiens pro vitae sustentatione ». Disputato autem in hac S. C. articulo die 27 Iunii 1697 in quadam *Tricaricen.* Ordinationis, *an stante novissima Constitutione* Speculatores, *posset Episcopus Familiarem suum triennalem ad titidum Patrimonii promovere ad Sacros Ordines ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiae nullo collato Ecclesiastico Beneficio;* S. C. C. *negative* respondit... et id quod in casu patrimonii fuit ibi resolutum a S. C. extenditur etiam ad titulum Pensionis, ita ut post Bullam *Speculatores,* supra citatam antiquae resolutiones nullum amplius sibi vindicent locum, *teste Monac. in form. part. 1, tit. 3, form. 17, n. i:* « Proinde quia post Constitutionem *Speculatores* restringentem ius vetus commune, constans et firma est S. C. C. iurisprudentia quod non pensio, sed verum ac proprium beneficium conferri debeat clerico Ordinato ab Episcopo proprio ex titulo familiaritatis » ; nimis enim clara sunt verba Pontificis in cit. Const. scilicet: « . . . beneficium insuper quod ei ad vitam sustentandam iuxta modum superius definitum sufficiat, quacumque fraude cessante, statim hoc est saltem infra terminum unius mensis a die factae ordinationis, re ipsa illi conferat etc… ». Quam-

obrem negative respondendum videtur priori dubio ab Episcopo proposito.

Quoad 2um dubium « an Episcopus nisus S. C. C. decisione diei 17 Sept. 1791, § 7, si hae thesaurariae, perspecta sua perpetuitate, adhuc intueri queant ad instar beneficiorum , poterit iuvenem non subditum ordinare , quando in Dioecesi sua thesaurariam parochialem in perpetuum possidendam a Gubernio obtinuerit », advertatur praeprimis paragraphum ab Episcopo citatam ita se haberi: « Dubium non est quin Ordines alieno subdito conferre valeat Episcopus beneficii cum testimonialibus eius Ordinarii, dummodo beneficii reditus deductis oneribus, synodalem patrimonii sacri taxam attingant : in id namque expressa est citata Constit. *Speculatores...* ». Quatenus autem Sutrino favendum esset Episcopo, dimetiendi viderentur beneficii reditus ad taxam sutrinam, quum de residentiali agatur beneficio, ut declaravit Innocentius XIV in Const. *Apost, ministerii,* § 7, pluribusque collectis Sacrae huius Congregationis resolutionibus, firmavit Benedictus XIV, *de Syn. Dioec. lib. 12, cap. 9, § 2,* Const. vero *Speculatores*, ita decernit: « eius (beneficii) sit reditus ut ad congruam vitae sustentationem sive iuxta taxam synodalem sive, ea deficiente, iuxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu quavis alia dioecesi obtineret, ac Episcopus sic ordinans tam de praedictis testimonialibus litteris, quam de reditu beneficii huiusmodi expressam in consueta collaturum ordinum attestatione mentionem facere debere ». Quocirca etiam alteri Episcopi dubio *negative* respondendum videtur, quia ipse Episcopus dubitat an huiusmodi thesaurariae beneficiis comparari queant; quo in dubio possidet lex seu prohibitio generalis ne huiusmodi ordinationes fiant absque beneficii collatione, eo maxime quod non constat ex relatione Episcopi an reditus sint sufficientes

pro vitae sustentatione ; quam sufficientiam praecipue exquirit Const. *Speculatores.*

THESAURARIAE VIDENTUR VERA BENEFICIA. Sed ex adverso si intimius harum thesaurariarum natura inspiciatur, in primis patet optimo iure beneficia appellari posse, nam convenit inter doctores, beneficiis accenseri debere pensiones quae a Gubernio civili in aliquibus regionibus sacris ministris, ex assumpta cum Ecclesia obligatione, solvuntur ob munia ecclesiastica quae exercent. Nam Sacra Poenitentiaria in hunc sensum respondit, sub die 19 Ianuarii 1819, revera ad quaesitum ita expressum: *A Sacra Poenitentiaria quaesitum fuit, an salaria quae in Belgio solvuntur Pastoribus et canonicis induant naturam beneficiorum seu bonorum Ecclesiasticorum et adnexam habeant obligationein expendendi superflua pauperibus seu piis causis et residendi sub poena non faciendi fructus suos.* S. Poenitentiaria respondit: *Iam alias a S. Sede rescriptum fuisse: affirmative.* Quocirca hac ex parte Episcopus ordinans non subditum ob titulum triennalis familiaritatis satisfacit Const. *Speculatores,* conferens intra tempus legitimum huiusmodi thesaurariam. Inquam *hac ex parte;* quia ulterius necessario requiritur ut harum reditus sint sufficientes. De redituum sufficientia Episcopus in suis Uteris nihil dicit; sed hoc arbitror desumi posse ex hac circumstantia ab eodem relata; nimirum has thesaurarias solere conferri clericis in titulum S. Ordinationis. Atqui dubitari non licet, Episcopos examussim non observare gravissimam Conc. Trid. praescriptionem factam in *sess. 21, cap. 2 de Reform.,* circa sufficientiam redituum huiusmodi tituli, hisce verbis expressam : « Cum non deceat, eos qui divino ministerio adscripti sunt cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere___; statuit S. Synodus nec quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, et aetate^ ad sacros Ordines promoveatur, nisi legitime constet eum beneficium ecclesiasticum quod sibi ad victum honeste sufficiat pacifice possidere ». Quapropter nullum in thesaurariis videtur deesse

ex requisitis pro necessaria collatione beneficii facienda clerico ordinato titulo triennalis familiaritatis.

Ex dictis prono alveo fluere videtur affirmativa responsio etiam alteri Episcopi quaesito; quum thesaurariae, quatenus sint *beneficia sufficientia* constituunt Episcopum proprium S. Ordinationis, ex titulo beneficii ecclesiastici, ad tramites Const. *Speculatores,* servatis omnibus de iure comuni servandis.

Imo in huiusmodi thesaurarius detegi potest alius titulus S. Ordinationis. Refert enim de his Episcopus in postremis uteris sub n. 2: « Incardinationem important in ecclesiis parochialibus, ubi sunt constitutae », scilicet sunt beneficia proprie residentialia. Quae beneficia proinde pro clericis determinant domicilium, et domicilium constituit fere principalem S. Ordinationis titulum. Sed iuxta voluntatem Const. *Speculatores,* praeter *factum* residentiae ad domicilium acquirendum requiritur *animus* perpetuum residendi , si nihil avocet. Quare Episcopus, hoc in casu, a clerico thesaurariâ investito exigere deberet iuramentum, confirmans suam voluntatem retinendi huiusmodi beneficium, et tunc sibi efficeret clericum ad S. Ordinationem subditum ratione domicilii.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quodnam dandum esset responsum dubiis propositis ab Ordinario.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 11 Augusti 1894, censuit respondere: *Ad primum et secundum affirmative; dummodo constet thesaurarius esse vere et proprie beneficia.*

EX QUIBUS COLLIGES : I. Post Bullam *Speculatores,* qua ius commune restringitur, Episcopos non posse conferre sacros ordines, nisi investitis beneficio proprie dicto.

II. Ex responsis Apostolicae Sedis et auctorum sententia, beneficiis accenseri posse pensiones, quae rependuntur a Gubernio civili, sacris ministris ob munia ecclesiastica quae exercent causa assumptae obligationis erga Ecclesiam.

III. Hisce requisitis non destitui videntur thesaurariae in tnemate, quae a gubernio conferuntur ministris sacris, qui Ecclesiae custodiam habeant.

NETEN.

ELECTIONIS

Die 11 Augusti 1894.

Sess. 25 cap. 9 de Eeform.

COMPENDIUM FACTI. In civitate Netensi Ecclesia S. Nicolai a quodam Carolo Giavanti suo testamento diei 29 Augusti 1606 pluribus beneficiis aucta fuit; quamobrem a S. P. Paulo V sub die 21 Maii 1609 per Bullam *In supremae,* eadem Ecclesia in Collegiatam erecta fuit statuendo, frui canonicos iure patronatus *activi, passivi* vero quoscumque natos et in ea civitate baptizatos. Quia Pontifex Gregorius XIV per Bullam *Gravissimum sane munus,* Netensem Collegiatam in Cathedralem erexit, quaestio exorta est, an hac mutatione non obstante, adhuc integrum perduraret ius patronatus passivum quoad cives Netenses et controversia apud S. C. C. hoc dubio proposita fuit: *An constet de iure patronatus passivo super simplices praefatos canonicatus, (Giavanti) favore civium Neten. ad tramites Const. Pauli V,* atque fuit rescriptum : *Affirmative quoad canonicatus Giavanti a capitulo praesentandus.*

Vi huius potestatis capitulum sub die 9 Novembris 1893 procedebat ad electionem cuiusdam vacantis canonicatus, cuius tamen electionis exitus est obiectum praesentis controversiae. Nam legitime convocatis capitularibus, omnes convenerunt, scilicet *undecim* numero, qui suetis servatis formis ad electionem per secreta vota processerunt, quorum quinque favorabilia fuerunt Sacerdoti Salvatori Guarino ; quatuor Sacerdoti Francisco Ciulla; et ex reliquis duobus votis unum *Divo Petro* datum fuit, et aliud *album* seu vacuum. Exinde, nemine contradicente, publicata fuit electio cadens in personam Sacerdotis Guarino. Verum quando divulgari coepit electionis exitus, nonnulli insinuare coeperunt dubium nullitatis electionis, quia deerat maioritas absoluta votorum, quae su-

per undecim capitularibus sex suffragiis constituitur. Cum huiusmodi dubium vehementer commoveret partem faventem Sacerdoti Ciulla, et rumores percrescerent, statim Capituli Praepositus, qua prima dignitas, iterum capitulares convocavit ad deliberandum de quaestione promota super validitate peractae electionis decidendo an maioritas votorum deberet esse *absoluta* seu aestimata absolute iuxta numerum votantium, an potius *relativa*, scilicet perpenso tantummodo numero votantium per schedulas positivas, seu exclusis albis seu vacuis. At animorum dissensiones, quae electionem praecesserunt et aliquantisper secutae sunt, non permiserunt pacificam dubii discussionem, unde capitularis conventus controversiam potius asperiorem reddidit. Tunc Franciscus Ciulla, de suo bono iure magis confidens, recursum habuit ad S. C. C. sub die 12 Ianuarii 1894 petens, *primo loco*, electionem nullam declarari, quia maioritas votantium revera Sacerdoti Guarino non favebat iuxta sacros canones ;. et *secundo loco* effiagitans ut huiusmodi electio improbaretur alio ex capite ; scilicet quia servata non fuit consuetudo nominandi absque electione ad canonicatum vacantem, seniorem ex Mansionariis, quae consuetudo in casu favebat ipsi actori.

Loci Ordinarius manifestavit suam sententiam favorabilem validitati electionis Sacerdotis Guarino. Posthac Episcopo rescriptum fuit sub die 22 Februarii 1894 ut partibus praefigeret congruum tempus ad deducenda sua iura, nec non ut capitulum interrogaret circa praxim huiusmodi electionum et an aliquid statuerint capitulares constitutiones vel particularis consuetudo. Episcopus iussa faciens partium deductiones transmisit. Opportunum vero non arbitratus est a Capitulo collegialiter congregato exquirere votum, ob plane certum discordiarum exitum, sed potius a singulis exquisivit votum in scriptis exarandum. Capitulares huic praecepto obtemperarunt, at ex votis exaratis et S. C. C. transmissis patet, capitulares per suam sententiam favere illi parti cui iam per votum favorabiles extiterunt. Verum sufficienter constat constitutiones capitulares nihil de hac re praecipere ;

item consuetudinem non significare an votorum maioritatem *absolutam* vel *relativam* esse debere, unde quaestionis solutio a iuris communis principiis repetenda est. Quoad vero aliam partem nempe an consuetudo constans et legitima statuat, quod senior ex mansionariis, absque electione, consueverit nominari ad canonicatum vacantem, asseverant omnes hunc morem adesse, sed non esse ita firmum et iuridicum, ut capitulum pro lubito aliquando ab hoc recedere non decernat, prouti nonnulla vel recentiora exempla docent.

Disceptatio Synoptica

DEDUCTIONES FRANCISCI CIULLA. Actor contendit sacerdotem Guarino non habuisse nec maiorem nec saniorem partem capitularium prouti a iure exigitur et exprimitur a cl. De Angelis *Vol. I, part. 1, l. 1, pag. 135,* scilicet electionem valide peragi debere *a maiori atque a saniori parte capituli. Hic autem notandum est, maioritatem debere esse absolutam scilicet omnium congregatorum.* Proinde arguit defuisse in casu maioritatem absolutam ad quam non quinque, sed sex requirebantur vota; sed etiam partem saniorem desiderari; cum ex declarationibus post vota secreta factis constet omnes dignitates et spectabiliores canonicos sibi favorabiles fuisse, scilicet Praepositum, Poenitentiarium, canonicum Theologum et Canto rem. Imo eo magis confirmat maioritatem defecisse, quia duo schedulae albae tandem aliquando contrariae Guarino considerari debent; non enim tertiae personae datae fuerunt, quo in casu per se non implicarent alterius reprobationem, sed explicite recesserunt a persona Guarino.

Dein plura enarrat facta ad comprobandas violentias, fraudes, sollicitationes adhibitas a fautoribus Guarino pro comparandis eidem votis, sed immorari nolo, ait, in huiusmodi factis quae facili negotio ab una parte asserta ab alia negantur, alia opponendo non minus indecora facta; quae contentio unum tantum probat, hanc electionem peractam fuisse magno animorum aestu et cum ardenti partium studio,

sed non constat simoniam adfuisse vel fraudem aut vim absolute hanc electionem vitiantem.

Aliam vero instantiae partem quod spectat, scilicet ius actoris ad beneficium obtinendum absque proprie dicta electione, recolit antiquiorem consuetudinem, comprobatam a ratione agendi capituli quod considerabat seniorem inter mansionarios uti habentem praecedentiam, ut ipse nominaretur ad beneficium vacans canonicale. Citat nonnullas exceptiones factas favore Ministri Caeremoniarum Episcopi, postquam Ecclesia S. Nicolai ad dignitatem cathedralis erecta fuit; sed advertit modo utramque qualitatem in ipso consolidari, quamobrem nulla de causa fas erat capitulo antiquam consuetudinem posthabere, aliunde in certa aequitate fundatam, scilicet in fere nulla retributione Caeremoniarum Ministro assignata, cui ad remunerationem soluit tribui canonicatus Ecclesiae cathedralis. Eo maxime quod ex altera parte sacerdos Guarino qua parochi cappellanus, habet reditus pro suo ministerio non pauperes.

DEDUCTIONES SACERDOTIS GUARINO. Ex adverso conventus sacerdos Guarino notat, electionem processisse omnibus servatis iuris solemnitatibus et requisitis. Praeprimis advertit, maioritatem votorum adfuisse pro legitima electione, quae maioritas est *relativa* si considerentur etiam duo votantes schedulam nullam offerentes ; sed melius est *absoluta,* quia ista duo vota uti non data aestimare deberi contendit. Nam, ait, ille qui schedulam *albam* seu vacuam in urnam ponit aperte renunciat iuri suo suffragii, uti docent Canonistae. Revera Passerinus *âe Electione cap. 19, n. 11,* ait: « Ideo non est habenda ratio de votis illorum qui recedunt a loco electionis... nec eorum qui dederunt schedulam albam, quia haec est renunciatio » et postea sub n. 11, prosequitur « si decem sint eligentes in capitulo, quorum tres talia vota inutilia dent, detrahi debent et de electione iudicandum ac si essent solum septem eligentes et ita, ut si tunc aliquis e quatuor ex aliis sit nominatus, censendus sit nominatus a maiori parte ». Et Ferraris sub voce *Electionis,* n. 16, scribit:

« Si aliquis vocalium schedulam vacuam inserit in communem votorum urnam, adhuc electio erit valida; quia talis, qui dedit schedulam vacuam censetur iure suo renuntiasse ».

Si maior pars non defuit, nec defuit sanior, prosequitur conventus. Cum enim vota fuerint secreta, mirum est quod actor praesumat personas votantium scrutari ; at iuris praesumptione, ob vota secreta, ea pars praesumitur sanior quae maior fuit, iuxta intentionem *cap. 14 de Electionibus.* Nec concedit quod digniores capituli ex propria confessione fuerint favorabiles adversae parti, nam ait, omnibus notum esse, capituli Praepositum declarasse, se nec uni nec alteri favorabile votum daturum, quia utrumque aeque acceptum habebat.

Quoad vero secundam partem instantiae actoris, notat non potiore iure posse sibi actorem vindicare ius ad nominationem beneficii quatenus est sanior; cum uterque, iur Regii Patronatus sub die 13 Octobris instituti fuerint in Beneficio, cuius canonicam possessionem acceperunt uterque die 1 Novembris eiusdem anni. Sed ait, *dato etiam, sed non concesso,* praecedentiam habuisse Mansionarium Ciulla ratione senioritatis, tamen probare nunquam poterit sibi exclusive et proprio sensu ius competere ad beneficium, quia capitulum hoc formale ius numquam recognovit, prouti docet electio facta actualis capituli thesaurarii, qui nec mansionarius electus fuit ad beneficium canonicale. Proinde concludendum est, non agi de stricto iure, sed de simplici aequitate.

Hisce a partibus adductis, aliquid ex officio adiectum est. Sententiae cl. De Angelis ab actore citatae concinit Reiffenstuel *Tit. de Eieci. n. 138,* inquiens: « Maior pars capituli censetur ea, ubi est maior numerus eligentium, respectu totius capituli praesentis. Et notanter additur *respectu totius capituli praesentis ;* tum quia absentium, canonice citatorum non est ratio habenda, cum ipsi sese alienos reddiderint *c. Cum nobis 19 h. t.* tum quia de iure non sufficit habere maiora seu plura vota comparatione alterius minoris partis, *text. clar. c. Ecclesia Vestra 48 h. t.,* sed requiruntur maiora vota respectu totius capituli, ita ut si sint duodecim

vocales, requiruntur saltem septem vota; *c. C umana 50 h. t. et* c. *Si cui 23 h. t. in 6.* Insuper non solum maior, sed et sanior debet esse haec maior pars, uti explicat idem Reiff, *loc. cit. n. 142:* « Illa pars capituli censetur sanior quae est iustior, et maiori ratione nititur et auctoritate iuxta Glossam, *cap. in Genesi* § /i. *t.* sive, ut alii explicant, *Pars sanior capituli* dicitur quae constat viris dignitate , aetate, et tempore officii, nec non et prudentia pietateque magis conspicuis ; nam praecellentes in praedictis habent voces ponderosas, ut loquitur Abbas, *c. Eccl. Vestra 57, n. 11 h. t.* ». Quae omnia actoris intentioni favorabilia videntur; eo maxime quia sane acres non defuerunt contentiones, a quibus abhorrere digniores capituli perspecte significarunt.

Alia ex parte suffragatur conventui consideratio necessarie facienda circa maioritatem votorum ne locus fiat aequivocationi. Nam maioritas utique requiritur *absoluta* id est habita ratione *absolute* numeri vocalium, sed iste numerus non est numerus capitularium in genere, sed est numerus capitularium legitime votum dantium in illo actu capitulari; adeo ut si nonnulli vocati non conveniant, vel praesentes, in actu electionis, recedant vel alia ratione a voto se abstineant, tunc maioritas desumenda est a numero capitularium, actu suffragium praestantium. Hinc Reiffenst. loc. cit. sub num. 241, ait: « Si quis vocalium schedulam vacuam seu in qua nullius electi nomen habentur annotatum, eius nulla erit ratio habenda. Ita desumitur ex *d. c. Cum nobis 19 h. t.* et notat Glossa magna *in Clem. Quod circa 6 h. t.;* Navarrus *Consil. 7 de Elect. n. 1 ;* Rodericus *tom. 2, qq. Reg. quaest, art. 13;* Layman *loc. cit. n. 3,* et alii. Ratio est; quia talis, qui dedit schedulam vacuam censetur iuri suo renunciasse ». Et sub hoc aspectu maioritas veluti *relative* consideratur.

Quod vero maioritas *copulative* sanior esse debeat dubitari non licet. Verum adverti debet, in Decretalibus magis et frequentius urgeri hoc requisitum ; quum electio fleret per

vota non secreta, subiecta triplici collationi nempe *meriti ad meritum electorum, zeli ad zelum, numeri ad numerum eligentium,* unde maioritas necessaria ad electionem non ex solo numero habebatur. Introductis votis secretis, superest fere tantum collatio *numeri* ad *numerum;* quocirca uti habet Reiff, *loc. cit. n. 143:* « Ceterum in dubio maior pars numero praesumitur etiam sanior ». Quum praesumptio cedere veritati debeat, ad labefactandam numeri maioritatem, oporteret argumentis indubiis docere maiorem partem vocalium dolo et fraude in aliquem consensisse.

Hisce hinc inde adnotatis, diluenda proposita sunt

Dubia

I. *An electio sustineatur in casu.*

Et quatenus *Negative.*

II. *An constet de iure passivo nominationis Francisci Ciulla, ad beneficium canonicale in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 11 Augusti 1894, censuit respondere: *Ad primum affirmative; ad secundum, provisum in primo* (1).

MALACITANA

DE VALORE CUIUSDAM DISPENSATIONIS AB IMPEDIMENTO MATRIMONIALI

Die 16 Iunii 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Vicarius generalis Episcopi Malacitani insequentem casum a quodam huius dioecesis parocho sibi oblatum, S. C. C. humillime exponit:

« Raymundus Rodríguez, solutus, et Maria Sánchez, vidua, quae ex priori legitimo coniugio filiam habebat, nomine Carmelam Garcia Sánchez, matrimonium contraxerunt.

(1) Recole Vol. VIII, 389, IX, 158, X, 273, XIII, 390, XV, 100, XVIII, 97, XIX, 68.

« Mortua Maria, Raymundus iam viduus et Carmela sua privigna, soluta, sese carnaliter cognoverunt, et per plures annos incestuosam vitam duxerunt, atque tres filios procrearunt.

« *In articulo mortis* viro constituto, parochus fuit vocatus, qui quidem recte sciens impedimentum affinitatis in primo gradu lineae rectae non comprehendi inter novissimas facultates Episcopis a Romano Pontifice concessas et in hac dioecesi ab Episcopo parochis delegatas, innixus tamen doctrinae S. Alphonsi *De impedivi, dispens, in articulo mortis,* atque in praxi Sanctae Sedis, quae aliquando Americae Episcopis facultatem huiusmodi impedimentum dispensandi concessit, ut ait Lemkhul, *Theol, moral. Tract, de matrim.,* et certior factus, Carmelam nullo modo gigni potuisse a Raymundo, ipsos matrimonio coniunxit et antequam inscriptio fieret in libro parochiali, factum ad meum tribunal detulit.

« Die insequenti Raymundus e vita decessit; Carmela eiusdemque filii pauperes miserabiles existunt.

« Rebus omnibus perpensis, mihi rectius visum fuit, rem integram Bmae Vestrae subiicere, insequentia dubia proponendo et resolutionem humiliter deprecando.

« I. Utrum matrimonium inter Raymundum et Carmelam ut validum reputari queat, atque ut tale in libro sacramentali describi.

« IL Quatenus negative, utrum sanatio in radice ad trium filiorum legitimationem peti et concedi oporteat ».

Disceptatio Synoptica

Validitati dispensationis in casu videtur suffragari generale iuris principium, a Trid. Conc. solemniter confirmatum, *Sess. 14 De poenit. 7;* scilicet, in mortis articulo nullam adesse reservationem, ne hac occasione aliquis pereat; omnis enim potestas non in destructionem, sed in aedificationem data est. Quapropter saltem ex praesumpta Romani Pontificis delegatione videretur parochum in casu absolvere potuisse ab affinitatis impedimento.

Sed hanc rationem, cui parochus confidebat, quocumque destitui fundamento in aprico est, si consideretur, S. Sedem, dispensationem in impedimento affinitatis *in primo gradu lineae rectae affinitatis* nunquam concessisse, unde S. C. C. in *Leodiensi Matrimonii 28 Maii 1796,* haec habet : *Obstat sane huiusmodi dispensationi in primo gradu affinitatis lineae rectae quod centies a S. Pontifice implorata, toties ab ipso, de voto etiam S. Inquisitionis, fuit denegata; licet a magnis principibus petita et copula inter affines intercessisset.* Quamobrem ad propositum dubium : *An et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione super impedimento prioris gradus affinitatis lineae rectae in casu,* respondit : *Negative.* Revera adhuc inter Doctores controvertitur an hoc impedimentum sit iuris ecclesiastici an divini et quamvis numero plures Doctores recognoscant tantum iuris ecclesiastici esse impedimentum, tamen unanimes admittunt, ob magnam indecentiam, Ecclesiam facultate dispensandi usuram non fore, uti usa non est. Huic doctrinae conformis est nuperrima facultas Ordinariis concessa, per litteras S. O. 20 Februarii 1888 (1), dispensandi nempe per se aut per alios, servatis servandis, in articulo mortis, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super quibuslibet impedimentis etsi publicis, excepto sacro presbyteratus ordine et *affinitate in linea recta ex copula licita provenienti.* Proinde non obest facultas facta Americae Episcopis dispensandi in impedimento affinitatis, quia ibi agitur de huiusmodi impedimento *ex copula illicita,* uti habet Lemkul *Theol, moral, de matr. n. 298.*

Quocirca in 2° Dubio frustra quaeritur de sanatione in radice in casu quo, missis ceteris rationibus, impeditur ex iuris momentis supra memoratis.

Quibus animadversis, quaesitum est quomodo esset respondendum propositis dubiis.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 16 Iun. 1894 censuit respondere: *Ad utrumque negative.*

(1) Recole Vol. XX, 543, et Vol. XXI, 696.

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Etiam in *articulo mortis* non posse Episcopos, aut ab eis delegatos, dispensare, ad matrimonium ineundum, super impedimento s. ordinis Presbyteratus, et affinitatis in linea recta, ex copula licita provenientis.

II. Romanum Pontificem, etsi de rigore iuris valeret dispensationem concedere super impedimento affinitatis in primo gradu lineae rectae, ex copula licita promanantis ; hac tamen auctoritate numquam usum esse, maximae indecentiae causa.

III. Sanationem in radice concedi solere ab Apostolica Sede quando constet, matrimonium, de facto initum, speciem habuisse veri matrimonii.

IV. In themate, praeter existentiam impedimenti, super quod Ecclesia numquam dispensavit, abfuit omnino species veri matrimonii ; dum ageretur tantum de commercio incestuoso inter vitricum et privignam.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

NEAPOLITANA seu LYCIEN. Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. servi Dei Bernardini Realini sacerdotis professi e Societate Iesu.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur ?

Quam alte sibi in animo haereret Apostoli praeceptum : *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum.* Ven. Bernardinus Realinus, rebus totius vitae naviter sancteque gestis, luculenter prodidit. Is enim domo cum primis honesta, anno a partu Virginis millesimo quingentésimo trigesimo, natus, pueritiam pientissime traduxit; emensusque conspicua quum doctrinae tum virtutis laude, studiorum rationem, quamquam publicis muneribus summopere distinebatur, a peculiari tamen christianae

morum integritatis studio nunquam vel abduci vel deflecti passus est; sive pluribus in regione padana praefecturis, vix ex. ephebis excedens, perfungeretur praetoria auctoritate; sive Neapolim digressus vicariam operam nonnullis oppidis instituendis atque temperandis impenderet. Cum annum autem aetatis ageret quartum et trigesimum, humanis rebus nuncium remisit, inque Societatis Iesu, quam diligebat eximie, sinum confugiens, religiosae perfectionis sic cursum arripuit, ut perbrevi in ea summus evaderet : atque, in omne divinae gloriae incrementum et animarum lucrum unice intentus, vir apostolicus et haberetur et ceteris ad exemplum continenter praeluceret. Tanta enim omnigenae virtutis, caritatis praesertim, cordis demissionis, Deum orandi studii, suique despicientiae gratia valuit, quanta aliorum mentes, supra quam cuique credibile est, in sui admirationem abripere et ingentem sibi famam vel in dissitis excitatam nationibus conciliare posset. Quo factum, ut non modo Bellarminus aliique Patres Cardinales Reges Poloniae et Galliarum, Duces Parmae, Mantuae et Vindeliciae, innumerique viri dignitate et virtute praestantes, ei multum, datis litteris, tribuerint, eiusque consiliis, in dubiis dirimendis, vel maxime exquisitis sese crediderint; sed etiam Paulus V, Pontifex Maximus, meritis virtutes eius egregias ornaverit laudibus, seque Bernardini precibus commendatum haberi haud semel voluerit. Immo ita omnium oculos in se converterat, ut ipsi religionis hostes eum vel inviti demirarentur et praeclarioribus accenserent Christi ministris, qui divinae lucis donis cumulati, nec plausu hominum nec con vicus moti, nihil spectarent impensius, quam ut imagini Filii Dei conformes fierent, omnes laeto animo obirent labores et in id unice conferrent ingenium, quo vel durissima aliorum corda sibi demeriti, ea ad pietatis cultum inflexa, quibus possent viribus, indesinenter adducerent. Gloria autem, quae, teste Hieronymo, *virtutem quasi umbra sequitur*, uti vitae fuerat comes, ita nedum non intercidit, sed, caelestibus suffulta charismatis, latius in dies mirifice percrebuit, post beatissimum Realini exitum, qui laboribus potius quam senio confectus, an. MDGXVI, postridie calendas iulias, ipso Dominae Nostrae Mariae Hospitae festo, quam ille, ceu filius dulcissimam matrem, coluerat studiose, Aletii caducam vitam cum aeterna commutavit. Quin etiam sepulcrum innumeris est auctum honoribus, ob populorum concursum ac superna quoque prodigia, quibus Deus servi

sui virtutis fidem fecisse ferebatur. Adeoque omnium insederat animis eius sanctitatis validaeque apud Deum tutelae opinio haud paucis comparata miraculis, ut Lycienses morientem adhuc Realinum sibi patronum inclamarent et deligerent atque ad eum testimonium a Christo editum passim transferrent: *Qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet.*

Quapropter ipsius Beatificationis caussa, apud Sacram Rituum Congregationem his omnibus haud immerito permotam, institui coepit, sumptisque probationibus ad iuris normam exactis, controversis rite expensis, caeterisque omnibus absolutis, quae ex recepta consuetudine et Summorum Pontificum decretis praemittenda exhibentur, de singulari vitae ratione, integris moribus eximiisque gestis, quibus ven. Bernardinus inclaruit, Ecclesiaeque exemplo fuit et adiumento, disquisitio firmata est; et fel. rec. Leo Papa XII illius virtutes heroicum attigisse culmen solemni sanxit decreto, pridie calendas sextiles an. MDCCCXXVIII. — Ad perficiendam deinde disceptationem de miraculis, quae, sequestro ven. Dei servo, patrata tradebantur, septies actum: nempe duplici antepraeparatorio coetu apud cl. me. Cardinalem Carolum Sacconi, causae Relatorem, XII calendas augusti anno MDCCCLXVIII, et denuo, resumpta caussa, XVII calendas septembres anno MDCCCXCII penes Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella, S. R. C. Praefectum Caussaeque Ponentem in Cardinalis Sacconi vita defuncti locum suffectum ; triplici autem praeparatorio conventu in Apostolicis Vaticanis Aedibus, pridie idus ianuarias an. MDCCCLXXV; pridie calendas martias an. MDCCCXCIII, et iv nonas augusti eodem anno; demum coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII in iisdem Vaticanis Aedibus pridie calendas maias an. MDCCCLXXVIII, et tertio idus martias an. MDCCCXCIV, novissima de miraculis disquisitione rite habita, in qua et Rmi Cardinales et Patres Consultores huius Sacrae Rituum Congregationis, ad generalia comitia rursum coacta advocati, suffragium singuli protulere Sanctitas vero Sua, omnium audita sententia, in re tanti ponderis non illico mentem declarare censuit, adhortata interea omnes vehementer, ut in gravissimo hoc iudicio supernae claritatis auxilium effusis precibus enixe efrlagitarent. Hodierna autem die feria tertia a Domin. xxvi post Pontecosten, qua festum S. Stanislai Kostkae e Societate Iesu percolitur Eucharistico sacrifìcio religiosissime litato, Pontificio solio in hac Vaticani aula assidens, ad se accersiri iussit

Rmum Cardinalem Caietanum Aloisii-Masella, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum et Causae Relatorem, una cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter pronunciavit : *Constare de duobus propositis miraculis;* nimirum de primo, quo *Infans Ioseph Rigliani, acuto et gravissimo abdominis morbo consumptus, iamque a, novem horis adstantium iudicio habitus ut mortuus, imploratio ab eius matre Venerabili Bernardini suppetiis, illico perfecte sanus materna ubera petiit;* ac de altero, quod sic effertur : *Pater Antonius Grassi e Societate Iesu inveterata et incurabili fistola intestini recti laborans, quae ferro et igni restiterat, dum asportandis Veri. Bernardini sacris lipsanis operam praestat, illico, perfecte consanatur, nullo remanente cicatricis vestigio.*

Hoc insuper Decretum in vulgus edi et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit, idibus novembribus, anno MDCCCXCIV.

CAIETANUS CARD. ALOISI-MASELLA
S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI S. R. C. *'Secretarius.*

EUGUBINA. Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. servae Dei Clarae Isabellae Gherzi abbatissae ex ordine Sanctae Clarae in ven. monasterio Eugubino Sanctissimae Trinitatis.

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque ad- ***nexiSj*** *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ?*

Sapientissimum Dei consilium, quo maioribus temporum improbitatibus maiora in Ecclesia exempla virtutum opponi et affulgere contingit, Ven. Claram Isabellam Gherzi, saeculo XVIII ad ingentia scelera et errores innumeros prolapso, in eximiam

sanctitatis speciem excitasse non immerito perhibetur. Hanc enim, in suburbio Genuensi, Ponte Decimo, piis parentibus ortam, mire a teneris ad pietatem indole et facultate factam, atque anno reparatae salutis MDCCLVIII, die ipso solemniis in honorem purissimi Mariae sanctae Conceptus consecrati, in Eugubino a SSma Trinitate asceterio, nuncupatis votis Deo obstrictam, usque eo vitae tempus recte integreque exegisse perennia monumenta testantur, ut praeclarum omnimodae virtutis non tam decus quam fere prodigium haberetur. Ea autem cum laude sibi concreditis, iisque gravibus, perfungebatur muneribus, qua vix sextum et trigesimum annum ingressa, unanimi sanctimonialium assensione et apostolica exorata venia, percelebris Eugubini monasterii antistita renuntiata sit; et incepto, diutino licet aftlictata morbo, et, remediis in irritum cadentibus, duodeviginti annos lectulo defixa, quoad tamen vitam transegit, eximie et in exemplar perstiterit. Christo siquidem coniunctissime adhaerens, haustasque ab ipso vires singularem in modum adepta, uberrimos illos attulit fructus, quibus omnia, quae in virginum virtute praestantium vitis insignia ad pietatem cognovit, ea sibi ad imitandum selegerit, inque sua degendi ratione referre sit conata. Quod eiusmodi evasit, ut nihil ei magis cordi esset, quam fidei scientiam, morum puritatem ferme ad angelorum candorem exactam, sui abnegationem, vigilem vel in rebus perarduis prudentiam, et mandi contemptum, non modo colere sed etiam adeo in deliciis habere, ut de ea testimonium ab Apostolo prolatum posset iure evulgari: *Virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* Ad illud autem animum speciatim adiunxerat, quo flagrantissima Deum charitate unice adamaret, nihil nisi caelum spectaret, tempus omne ita orationibus daret, ut eas ad multam noctem producens in rerum divinarum commentationem se totam abderet, castasque flammas aleret ac magis magisque in dies augeret effusis indesinenter ad sanctos coelites precibus ac potissimum ad Deiparam Virginem, quam matrem compellare solebat. Mirum proinde non accidit, si, innumeris vexata ac penitus attrita cruciatibus, asperrima et acerbissima quaeque forti et libenti animo non ferret modo, verum etiam discuperet, proprias laudes omnino fastidirei, crucemque insigne esse Dei donum cum maxime exoptandum et autumaret et alios doceret. Hinc etiam, dum infandae per saeculum XVIII grassarentur impietates altiusque in dies ra-

dices agerent, omnibus ad salutem praesto erat, et non tam hortatu quam exemplo alios ad religionem, quo valeret studio, acriter exacuebat. Moniales vero praestes continenter excitabat, monens ut ad pietatis fastigium contenderent, Dei honorem rebus omnibus potiorem ducerent, vitaque ad Evangelii disciplinam composita, se divinae committerent voluntati, nihilque magis haberent in optatis quam ut, caritatis studio actae, virtutem impigre provehere eniterentur, et, Dei amorem quum in se tum in aliis foventes studiosissime, ad perfectionem christianam animos vehementer incenderent. — Ut autem coeperat, sic pergere nunquam destitit, donec diuturnitati morbi in extremum vitae discrimen adducta, veniam moniales, magna animi dimissione, rogavit; cumque exitum sibi imminere, praenlinciato die, placide persentiret, ut magna Dei Mater labis ab origine nescia a suis coleretur impense, veluti testamento mandavit. Atque omnium desideriis et lacrimis honéstala, Christi conspectu tandem ut frueretur exoptans, eius in adloquiis complexuque suavissimo ex humanis rebus exempta quievit, annos nata octo et quinquaginta.

Quamquam caelestem potius quam terrestrem, vitam in Christo absconditam duxerat ven. Dei famula Isabella, delitescere tamen haud potuit eius sanctitatis fama. Quin tum ad conterráneos, tum Italiae fines excedens ad caeteros Europae populos, divinis clarescens gratiis, late manavit; multisque sacrorum Antistitibus, Patribus Cardinalibus aliisque insigni virtute viris magnam sui admirationem ingessit, qui tantam reveriti innocentiam, Isabellam cum S. Teresia conferre et beatam cognomine appellare non dubitarunt. Heroicas quippe eius virtutes, supernis affluentes charismatis, non modo fama vel ad exteras gentes diffusa, sed etiam prodigiis, quae, dum ipsa in terris ageret et postquam ad coelestes advolavit, Clara Isabella deprecante, patrata efferebantur, Deus commendare et augere non defuit. Quapropter ordinaria de eius vita rebusque gestis inquisitione, non multo post obitum, incoepta et facile dein ad iuris normam persoluta, ceterisque omnibus integre servatis et peractis, quae ex Apostolicis constitutionibus canonicisque praescriptionibus praehabenda ac praestanda decernuntur, Sacra Rituum Congregatio ad examen de virtutibus merito devenit. Atque triplici hac de re actione disceptatum: prima, scilicet IV calendas décembres anno MDCCCLXXXII in Aedibus Rmi Car-

dinalis Aloisii Oreglia a Sancto Stephano, Episcopi Portus et S. Rufinae, Caussaeque Relatoris; altera in Vaticano Palatio v idus décembres anno MDCCCXC; tertia demum in generali Conventu ibidem habito XIII calendas iulias, hoc vertente anno, coram Beatissimo Patre Leone XIII; in quo idem Rmus Cardinalis dubium ad discutendum proposuit: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum ; nec non Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servae Dei Clarae Isabellae Gherzi, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur•?* Atque omnes, qui interfuere, Rmi Cardinales et Patres Consultores singuli suffragia prodiderunt. Sanctissimus autem Dominus Noster, omnibus attente auditis, quamvis favorabili suffragationis Suae testimonio spem praebuerit, sententiam tamen patefacere distulit; utque prius, in re tanti momenti, lumen caelestis Sapientiae, quae sibi ad caussam absolvendam propitia adesse, expostularetur, admonuit.

Hodierno vero die, qui inclito Stanislao Kostka adolescenti angelico festus incidit, rei divinae, in Suo sacello, rite operatus, hanc Vaticanae Aedis Aulam adiit, et Pontificio solio insidens, Rmos Cardinales accivit Caietanum Aloisii-Masella, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Aloisium Oreglia a Sancto Stefano Caussae Ponentem, cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore et me infrascripto Secretario ; iisque adstantibus solemniter edixit : *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servae Dei Clarae Isabellae Gherzi, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri iussit idibus novembribus anno MDCCCXCIV.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. >£ S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

Additiones faciendae in festis s. Ioannis de Deo et s. Camilli de Lellis.

Die VIII Martii. — In festo Sancti Ioannis De Deo Confessoris.

ADDITIO AD CALCEM VI LECTIONIS.

Post verba « in sanctorum numerum retulit » : addatur : « et Leo decimus tertius, ex sacrorum catholici orbis Antistitum voto ac Rituum Congregationis consulto, caelestem omnium hospitalium et infirmorum ubique degentium Patronum declaravit, ipsiusque nomen in agonizantium Litaniis invocari praecepit».

ADDITIO MARTYROLOGIO ROMANO INSERENDA.

(8 Martii) Octavo Idus Martii......

Granatae in'Hispania Sancti Ioannis de Deo, Ordinis Fratrum Hospitalitatis Infirmorum Institutoris, misericordia in pauperes et sui despicentiâ celebris : *quem Leo decimus tertius Pontifex Maximus omnium hospitalium et infirmorum caelestem Patronum renuntiavit..*

Apud Antinoum etc.

ORBIS.

Quo subsidia caelitus multiplicentur, dum ab infensissimis christianae religionis hostibus bellum quoque instauratur in nosocomia, ecclesiasticae auctoritati iam subducta, omnique spirituali solamine fere orbata; Rmus P. Ioannes Maria Alfieri, Prior Generalis Ord. S. Ioannis de Deo, praeeuntibus non paucis quum Emis Patribus, tum Rmis Sacrorum Antistitibus, consecutus est, ut, per Litteras Apostolicas in forma Brevis diei 22 Iunii 1886, Sanctus Ioannes de Deo, misericordia erga pauperes aegrotos vere insignis, omnium Hospitalium et Infirmorum una cum S. Camillo de Lellis, caelestis Patronus declaratus et constitutus fuerit. Nuper autem piis Fratrum ipsius Ordinis votis satisfacturus Parentis sui honorem et gloriam in orbe adaugeri cupientium, Rmus Pater Cassianus Maria Gasser hodiernus Prior Generalis Ordinis memorati Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII iteratis precibus rogavit, ut tantum caritatis heroem praeclaro eiusmodi Patroni titulo tam in Officio quam in Martyrologio cohonestandam decernere dignaretur. Cum igitur respectivae additiones tum sextae Lectioni, tum Martyrologio Ro-

mano inserendae, ab Emo Cardinali Lucido Maria Parocchi Episcopo Albanensi, Relatore, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis, ut approbaretur, propositae fuerint; Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, ita rescribere censuerunt: *Pro gratia et ad Emum Ponentem eum Promotore Fidei.* Die x Iulii MDCCCXCIV.

Harum itaque additionum revisione per eundem Emum ac Rmum Dnum Cardinalem una cum eodem Promotore S. Fidei rite paracta, atque a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII de hisce omnibus relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habens, eiusmodi additamenta, prouti huic praeiacent Decreto, tum Breviario tum Martyrologio Romano inseri iussit. Die XXIII iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus*

L. & S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

Die XVIII Iulii. — In festo Sancti Cantilli de Lellis Confessoris.

ADDITIO AD CALCEM VI. LECTIONIS.

Post verba: « Sanctorum fastis adscripsit » addatur: « et Leo » Decimus tertius ex sacrorum catholici orbis Antistitum voto » ac Rituum Congregationis consulto, caelestem omnium hospi- » -talium et infirmorum ubique degentium Patronum declaravit, » ipsiusque nomen in agonizantium Litaniis invocari praecepit».

ADDITIO MARTYROLOGIO ROMANO INSERENDA.

(18 Iulii) Quinto decimo Kalendas Augusti... « Sancti Camilli » De Lellis Confessoris, Clericorum Regularium infirmis mini- » strantium Institutoris, cuius natalis dies pridie Idus Iulii recen- » setur: Quem Leo Decimus tertius Pontifex Maximus hospita- » lium et infirmorum caelestem Patronum renuntiavit ».

ORBIS.

Per Apostolicas Litteras in forma Brevis die 22 Iunii 1886 Sanctus Confessor Camillus De Lellis inclitus christianae caritatis heros, pluribus instantibus Patribus Cardinalibus et sacrorum Antistitibus, caelestis hospitalium omnium et infirmorum ubique degentium Patronus una cum Sancto Ioanne de Deo declaratus et constitutus est. Quo. tamen novus honor accedat Parenti, ac Fundatori suo, eiusque nomen et gloria magis propagetur; Rmus P. Ioannes Mattis Praefectus Generalis Congregationi Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium, communia eorumdem vota depromens, Sanctissimum. Dominum Nostrum Papam XIII iteratis precibus exoravit, ut idem Sanctus Cammillus ubique terrarum suavissimo titulo Patroni omnium Hospitalium atque Infirmorum, tum in divini Officii, tum in Martyrologii recitatione die decima octava Iulii celebrari valeret. Quum igitur respectivae additiones tum sextae Lectioni, tum Martyrologio Romano inserendae, ab Emo Cardinali Lucido Maria Parocchi Episcopo Albanensi Relatore, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis, ut approbarentur praepositi fuerint; Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praeposui, audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, ita rescribere rati sunt: *pro gratia et ad Emum Ponentem eum Promotore Fidei.* Die 10 Iulii 1894.

Itaque earumdem additionum revisione per eumdem Emum ac Rmum Dominum Cardinalem una cum eodem Promotore S. Fidei rite paracta, atque a me infrascripto Cardinali S. Rituum Congregationi Praefecto SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII facta de hisce omnibus relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationi ratam habens, eiusmodi additamenta, prout huic praeiacent Decreto, tum Breviario tum Martyrologio Romano inseri iussit.

Die 23 iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. C. R. *Praef.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secret*

DECRETUM : Romana seu Mediolanen, beatificationis et canonizationis ven. S. Dei Glycerii Lanariani, novitii Clericorum regularium, pauperum Matris Dei scholarum piarum.

Quum ad istantiam Rmi Patris Philippi Rolletta, Sacerdotis Professi e Congregatione Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei et Postulatoris Causae Ven. Servi Dei Glycerii Landriani, Novitii eiusdem Congregationis, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII iam benigne indulsisset, ut de Fama Sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere ipsius Ven. Famuli Dei agi valeret in Sacra Rituum Congregatione Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, ab Emo et Rmo Dno Cardinali Angelo Bianchi praedictae Causae Ponente sequens Dubium Ordinariis eiusdem S. Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis propositum fuit; nimirum : *An constet de validitate et relevantia Processus Auctoritate Apostolica in Urbe constructi super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefati Ven. Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi porro et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus rite perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt: *Affirmative* seu *Constare.* Die xiv Augusti MDCCCXCIV.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam ipsius Sacri Consilii ratam habuit et confirmavit. Die xxiv iisdem mense et anno.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. % S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria IV, die 19 Septembris 1894.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PP. XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurga-

tione ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 19 Septembris 1894, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Mirzan Abbé Octave - Prêtre de la Basilique de Saint Jean l'Evangéliste de Smyrne.— *Vie de Saint Polycarpe. - L'Ange de l'Église de Smyrne, et V Apôtre des Gaules.* — Poitiers, Imprimerie Blaiá, Roy et C., 7. Rue Victor-Ugo 7, 1893.

Zola Emile. — Les trois Villes - *Lourdes* - Huitième mille. Paris; Bibliothèque Charpentier. — G. Charpentier et E. Fasquelle, éditeurs, 11, Rue de Grenelle, 11, 1894.

Frigeri Antonio. — *Il Progetto del Ministro Bonacci. Lettera aperta agli onorevoli signori Senatori e Deputati.* — Palermo, Giovanni Villa, Editore, 1894. — Tamquam praedamnatum. — Decr. S. Off. Fer. IV, 16 Augusti 1894.

Auctor operis cui titulus - *Au delà de la vic, fragments philosophico-théologiques sur les mystères d'outre-tombe* - par l'Abbé L. Ant. Pieraccini, curé au diocèse d'Ajaccio - *Prohib. Decr. diei 8 Iunii 1894 - laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

Auctor operis cui titulus - *Résumé du système de la Rénovation* - par M. le Chanoine E. A. Chabauty à Mrabeau-du-Poitou (Vienne) — *Prohib. Decr. diei 8 Iunii 1894 - laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradas et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 19 Septembris 1894.

f SERAPHINUS EPISCOPUS TUSCULANUS
CARD. VANNUTELLI PRAEFECTUS.

Fr. MARCOLINUS CICOGNANI, PROC. GEN. O. P.
a Secretis.

Loco **v&** Sigilli.

Die 21 Septembris 1894: ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia *Mag. Curs.*

LITTERAE APOSTOLICAE Sanctissimi Domini nostri divina Providentia Papae XIII de disciplina orientalium conservanda et tuenda.

Orientalium dignitas Ecclesiarum, pervetustis rerum monumentis eisque insignibus commendata, magnam habet toto christiano orbe venerationem et gloriam. Apud illas enim, inita benignissimo Dei consilio humanae redemptionis primordia, celeriter ad ea propera vere incrementa, ut laudes apostolatus et martyrii, doctrinae et sanctitatis primo honore floruerint, primam saluberrimorum fructuum laetitiam ediderint. Ex illis autem perampla beneficiorum vis in ceteros late populos mire profluxit; quum beatissimus Petrus, princeps apostolici ordinis, multiplicem erroris vitiique pravitatem disiecturus, lumen veritatis divinae, evangelium pacis, Christi libertatem in dominam gentium urbem caelesti numine intulit. — At Ecclesiis Orientalibus Romana potissimum, ecclesiarum omnium caput, sane quantum honoris et caritatis inde a memoria apostolica tribuere consuevit et quam fideli obsequio vicissim laetari: easdemque, per varia deinde atque acerba tempora, nequáquam ipsa destitit, providentia et benefactis, a iacturis erigere, devinctas retinere, revocare discordes. Neque ultimum illud fuit vigilantiae officium, ut proprias cuiusque orientalis gentis consuetudines sacrorumque rationes, quas pro potestate et sapientia sua legitimas eduxisset, integras in eis perpetuo custodiret ac tueretur : cuius rei documento multa sunt quae Decessores Pontifices, cum primis Pius IX fel. rec, vel suis ipsi actis vel per sacrum Consilium christiano nomini propagando prudentissime censuerunt. — Non minore permoti Nos adductique studio, sub ipsa pontificatus initia, ad christianas Orientis nationes oculos peramanter convertimus. Maturavimus quidem conferre curas ad earum allevandas necessitates, aliasque sumus deinceps occasiones nacti actuosae benevolentiae testandae: sed nihil profecto antiquius sanctiusque fuit neque est, quam animis cum Sede Apostolica obstrictis, adeo in eis ardorem excitare et foecunditatem fidei, ut ad maiorum excellentiam et laudem exemplis renovatis nitantur.

Iam licuit aliquot adiumenta Ecclesiis illis afferre. — Collegium hac ipsa in Urbe clericis Armeniis et Maronitis insti-

tuendis, itemque Philippe-poli et Hadrianopoli pro Bulgaris, condidimus; Athenis Leonianum condendum decrevimus; etiam seminario sanctae Annae, quod Hierosolymae cleri Graeci Melchitae educendi causa, coeptum est, maiorem in modum favemus. In eo praeterea sumus ut Syrorum numerum in alumnis Collegii Urbaniani augeamus; utque Athanasianum Graecorum ad pristinum restituamus institutum, quod Gregorius XIII, muniflcus auctor, sapienter voluit, unde viri extiterunt clarissimi. Plura vero in hoc similique genere experiri Nos atque efficere posse, eo nunc vehementiore voluntate exoptamus, postquam, aspirante Deo, consilium iamdiu meditatum perfecimus appellandi singulari epistola principes et populos universos ad felicem fidei divinae unitatem. Nempe inter christianas gentes calamitose divulsas, primo loco Orientales vocare, adhortari, obsecrare contendimus, quanta maxima potuimus apostolica et paterna caritate. Inchoatam spem quotidie magis foveri periucundum accidit Nobis, certumque est, opus tam salutare enixius insistere; ut, quiquid ex Apostolicae Sedis providentia expectari possit, admodum expleamus, quum submovendis simultatis vel suspicionis causis, tum optimis quibusque reconciliationis praesidiis admovendis. — Praestantissimum id esse existimamus ad incolumitatem disciplinae Orientalium propriae, cui valde semper tribuimus animum curasque adiicere. Qua in re iam Nos clericorum ephebeis earum gentium proxime conditis hanc etiam dedimus praescriptionem, dabimus eamdem condendis, ut maxima religione ritus colant et observent suos, in eisque cognitionem usumque alumni capiant. Siquidem in ritum orientalium conservatione plus inest quam credi possit momenti. Augusta enim, qua varia ea rituum genera nobilitantur, antiquitas, et praeclaro est ornamento Ecclesiae omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmât. Inde enimvero, dum sua praecipuis Orientis Ecclesiis apostolica origo testatior constat, apparet simul et enitet earumdem cum Romana usque ab exordiis summa coniunctio. Neque aliud fortasse admirabilius est ad *catholicitatis* notam in Ecclesia Dei illustrandam, quam singulare quod ei praebent obsequium dispares caeremoniarum formae nobilesque vetustatis linguae, ex ipsa Apostolorum et Patrum conr suetudine nobiliores; fere ad imitationem obsequii lectissimi quod Christo divino Ecclesiae auctori, exhibitum est nascenti, quum Magi ex variis Orientis plagis devecti *venerunt... adorare*

eum **(1).** — Quo loco illud apte cadit animadvertisse, quod sacri ritus, tametsi per se instituti non sunt ad dogmatum catholicorum evincendam veritatem, eadem tamen viva propemodum exprimunt splendideque declarant. Quapropter vera Christi Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata quae, utpote divina immutabilia accepit, ita in usurpandis eorumdem formis nonnunquam concedit novi aliquid vel indulget, in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate conveniant. Hoc etiam modo et eius vitae nunquam senescentis proditur vis, et ipsa magnificentius Christi sponsa excellit, quam sanctorum Patrum sapientia veluti adumbratam in effato agnovit davidico: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate... in fimbriis aureis circumamicta varietatibus* **(2).**

Quoniam igitur haec rei liturgicae disciplinaeque orientalis iure probata varietas, praeter ceteras laudes, in tantum decus utilitatemque Ecclesiae convertitur, eo non minus pertineant muneris Nostri partes oportet, recte ut sit consultum, ne quid incommodi imprudenter obrepat ab occidentalibus Evangelii administris, quos ad eas gentes Christi caritas urgeat. — Rata quidem permanent quae in hoc Benedictus XIV, Decessor Noster illustris, sapienter provideque decrevit per Constitutionem *Demandatam,* in forma epistolae, die datam xxiv decembris anno MDCCXLIII, ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum omnesque eiusdem ritus Episcopos eidem Patriarchae subiectos. Verum, aetatis decursu non brevi, novatis per ea loca rerum conditionibus, atque latinis Missionariis Institutisque ibidem multiplicatis, factum est ut peculiares quaedam Apostolicae Sedis curae in eadem causa exposcerentur : quod certe peropportunum fore, crebra per hosce annos occasione Nosmetipsi cognoramus, et desideria aequissima confirmaverant Venerabilium Fratrum in Oriente Patriarcharum, non semel ad Nos delata. Quo autem totius negotii apertius pateret summa, aptioresque providendi rationes definirentur, eosdem Patriarchas haud ita pridem in Urbem advocare placuit, quibuscum communicaremus consilia. Tum eos, una cum nonnullis Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, coram ad deliberandum frequenti congressione habuimus. — Iis autem rebus omnibus,

(1) Matth. **n.** 12.
(2) Ps. XLIV.

quae communiter propositae et agitatae sunt, meditate perpensis, induximus animum certa quaedam eiusdem Benedictinae Constitutionis praescripta, congruenter novis earum gentium temporibus, explicatiora facere et ampliora. In quo praestando, hoc tamquam principium ex ipsa deprompsimus, sacerdotes nempe latinos eo tantum consilio ab Apostolica Sede in illas regiones mitti, ut sint Patriarchis et Episcopis *in adiutorium et levamen;* cauto propterea, *ne utendo facultatibus sibi concessis, eorum iurisdictioni praeiudicium inferant et numerum subditorum imminuant* (1): ex quo perspicuum extat quibus legibus officia eorumdem Latinorum ad hierarchiam Orientalem sint temperanda.

Itaque rerum capita quae sequuntur visa sunt in Domino praescribenda et sancienda, ut facimus Apostolica fulti auctoritate ; iam nunc declarantes velle Nos atque edicere ut eadem Benedictina decreta, quae de Graecis Melchitis primitus data sunt, fideles omnes cuiusvis in Oriente ritus universe attingant.

I. Missionarius quilibet latinus, e clero saeculari vel regulari, qui orientalem quempiam ad latinum ritum consilio auxilio ve inducat, praeter *suspensionem a divinis* quam *ipso facto* incurret, ceterasque poenas per eamdem Constitutionem *Demandatam* inflictas, officio suo privetur et excludatur. Quae praescriptio ut certa et firma consistat, exemplar eius patere vulgatum apud Latinorum ecclesias iubemus.

II. Ubi desit proprii ritus sacerdos cui Patriarcha orientalis mandet spiritualem suorum administrationem, ibi eorum curam suscipiat Parochus alieni ritus qui easdem atque ipsi species, azymum vel fermentatum, ad consecrandum adhibeat; anteferantur qui eos adhibeat ritu orientali. — Fidelibus autem sit facultas communicandi utrovis ritui non eis tantummodo locis ubi nulla ecclesia nec sacerdos sui proprii ritus habeatur, prout a sacro Consilio christiano nomini propagando decretum est die XVIII augusti anno MDCCCXCIII, verum etiam ubi, propter longinquitatem ecclesiae suae, non eam possint, nisi cum gravi incommodo, adire : de quo Ordinarii esto iudicium. Idque fixum resideat, eum qui alieno ritu vel diu communicaverit, non propterea censendum mutasse ritum, sed in ceteris officiis omnibus perseverare Parocho suo addictum.

(1) Const. ***Demandatam,*** n. 13.

III. Sodalitates Religiosorum latinae, quae iuventuti instituendae in Oriente dant operam, si quo in collegio alumnos ritu orientali non paucos numerent, sacerdotem eiusdem ritus, Patriarcha consulto, apud se habeant ipsorum commodo alumnorum, ad missae sacrificium, ad sacram synaxim, ad catechesim patria lingua impertiendam ritusque explicandos; aut saltem diebus dominicis ceterisque de praecepto occurrentibus festis talem sacerdotem arcessant, ea officia praestiturum. Quam ob causam eisdem Sodalitatibus quaevis privilegia, etiam speciali mentione digna, quibus gaudeant ut alumni orientalis ritus, quamdiu in collegiis ipsarum degant, latinum sequantur, adempia -esse omnia edicimus: de ritualibus autem abstinentiis servandis moderatores cum religiosa aequitate videant. — Item alumnis externis prospiciatur : quos ad proprias ipsorum ecclesias seu curias remitti aut perduci oportebit, nisi videatur eos cum internis ad eiusdem ritus officia admittendos.

IV. Eadem praescripta transferenda sunt, quoad fieri possit, ad Religiosarum Sodalitates, puellis educandis in asceteriis scholisque deditas. Quod si qua immutatio per tempora et res opportuna inciderit, ea non ante fiat quam Patriarchae consensus accesserit et venia Apostolicae Sedis.

V. Nova, ritu latino, iuventutis collegia vel domus Religiosorum utriusvis sexus ne in posterum aperiantur, nisi Apostolica Sede rogata et consentiente.

VI. Presbyteris tum latinis tum orientalibus neque in suis, neque in alieni ritus ecclesiis, fas est quemquam absolvere a casibus qui suis cuiusque Ordinariis sint reservati, nisi facultate ab eisdem permissa : qua in re quodvis privilegium, vel speciali mentione dignum, prorsus revocamus.

VII. Orientalibus qui ritum latinum, etiamsi ex pontificio rescripto, susceperint, revertere ad pristinum, Apostolica Sede exorata, licebit.

VIII. Mulieri latini ritus quae viro nupserit ritus orientalis, aeque ac mulieri orientali quae nupserit latino, integrum erit ut ad ritum viri, ineundo vel durante matrimonio, transeat : matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera erit potestas.

IX. Quicumque orientalis, extra patriarchale territorium commorans, sub administratione sit cleri latini, ritui tamen suo permanebit adscriptus; ita ut, nihil diuturnitate aliave causa

ulla suffragante, recidat in ditionem Patriarchae, simul ac ira eius territorium revenerit.

X. Nulli, utriusvis sexus, Ordini vel Instituto religioso latini ritus, quemquam orientalem inter sodales suos fas erit recipere, qui proprii Ordinarii testimoniales litteras non ante exhibuerit.

XI. Si qua ex dissidentibus communitas vel familia vel persona ad catholicam unitatem venerit, conditione velut necessaria interposita amplectendi latini ritus, huic ritui remaneat ea quidem ad tempus adstricta, in eius tamen potestate sit ad nativum ritum catholicum aliquando redire. Si vero eiusmodi conditio non intercesserit, sed ideo ipsa communitas, familia, persona a latinis presbyteris administretur quia desint orientales, regrediendum ipsi erit ad ritum suum, statim ut sacerdotis orientalis fuerit copia.

XII. Matrimoniales et ecclesiasticae, quaecumque sint causae, de quibus ad Apostolicam Sedem appellatio fiat, nequaquam Delegatis Apostolicis definiendae, nisi aperte ea iusserit, committantur, sed ad sacrum Consilium christiano nomini propagando omnino deferantur.

XIII. Patriarchae Graeco Melchitae iurisdictionem tribuimus in eos quoque fideles eiusdem ritus qui intra fines Turcici Imperii versantur.

Praeter istas peculiares cautiones atque ex iure praescripta, maxime Nos tenet cura, quod supra attigimus, ut condantur opportunioribus in Oriente locis seminaria, collegia, instituta omne genus, eaque prorsus ad iuvenes incolas ipso ritu patrio formandos in suorum auxilia. Hoc propositum, in quo dici vix potest quanta religioni inhaereat spes studiose Nos aggredi, prolixisque subsidiis provehere, affluente, ut confidimus, catholicorum ope, deliberatum habemus. Sacerdotum indigenarum operam, quippe et convenientius impensam et cupidius acceptam, multo futuram quam advenarum fructuosiorem, paulo fusius est a Nobis monstratum in encyclicis litteris quas dedimus superiore anno de collegiis clericorum in Indiis Orientalibus constituendis. — Ita porro sacrae iuventutis institutioni semel consulto, profecto studiis rei theologicae et biblicae apud Orientales accrescet honos; vigebit linguarum veterum eruditio aeque ac in recentibus sollertia; doctrinae et litterarum census, quo Patres eorum scriptoresque abundant, in commune bonum,

largius proficiet: eo demum peroptato exitu, ut sacerdotii catholici emergente doctrina integrique exempli laude praelucente, propensius eiusdem matris complexum fratres dissidentes requirant. Tum vero si ordines cleri animos, studia, actionem caritate vere fraterna sociaverint, certe, favente et ducente Deo, dies maturabitur auspicatissima, qua, occurrentibus omnibus *in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei,* plene ex eo perfecteque *totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate* (1). Ea nimirum gloriari unice potest Christi vera esse Ecclesia, in qua aptissime cohaereat *unum corpus et unus spiritus* (2).

Haec universa et singula, quaecumque sunt a Nobis decreta, minime dubium quin Venerabiles Fratres Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi quovis orientali ritu catholici, pro ea qua praestant tum in Cathedram Apostolicam et in Nos pietate, tum suarum sollicitudine Ecclesiarum, omni sint reverentia et obtemperatione suscepturi, idque sedulo effectum ut eorumdem observantia, ab iis quorum interest, plena consequatur. — Copia vero fructuum, quos inde augurari licet et iure optimo expectare, valde ex opera eorum proveniet qui gerunt personam Nostram per Orientem christianum. Delegatis propterea Apostolicis commendatissimum volumus ut illarum gentium tradita a maioribus instituta honore debito vereantur : Patriarcharum auctoritatem quo par est obsequio colant, colendam curent; atque in officiorum cum eis permutatione, consilium expleant Apostoli : *Honore invicem praevenientes* (3). Episcopis, clero et populo studiosum ac benevolentem animum probent; eumdem plane spiritum in se referentes, quo Ioannes Apostolus agebatur, quum Apocalypsim dedit *septem ecclesiis quae sunt in Asia,* inscripta salutatione : *Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est* (4) : in omnique agendi ratione sese praestent eos, qui vere habeantur nuntii digni conciliatoresque sanctae unitatis inter Orientales Ecclesias et Romanam, quae centrum eiusdem est unitatis et caritatis. — Haec ipsa similiter

(1) Eph. IV, 13, 16.
(2) Ib. 4.
(3) Rom. XII, 10.
(4) Apoc. I, 4.

sentiant, similiter peragant, hortati! iussuque Nostro, sacerdotes latini, quotquot in eisdem regionibus egregios labores obeunt ad sempiternam animorum salutem : religiose in obedientia Romani Pontificis laborantibus, tunc vero dabit Deus ampla incrementa.

Igitur quaecumque his litteris decernimus, declaramus, sancimus, ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter servari volumus ac mandamus, nec ea notari, in controversiam vocari, infringi posse, ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus Apostolicis, etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis, constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ac praescriptionibus ; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta essent, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. — Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, manuque Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides quae praesentibus hisce Litteris haberetur ostensis.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagésimo quarto, pridie calendas décembres, Pontificatus Nostri decimo septimo.

A. CARD. BIANCHI *Pro-Datarius.*

C. CARD. DE RUGGIERO

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco Plumbi.

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONI

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Emum Cardinalem Oreglia patronum Coetus pontificii Urbani Antiquitatum studiis promovendis.

Moerore sapientium omnium, desiderio autem Nostro haud exiguo, viros eruditione insignes, quorum commendatio famae vel remotarum consensu gentium percrebuerat, brevi mensium intervallo, insperato obitu sublatos vidimus. Fuere hi Hilarius Alibrandi, Carolus Ludovicus Visconti, Ioannes Baptista De Rossi, de re archaeologica praeclare meriti. Quorum amissione, cum nobile Romanae Civitatis decus extinctum doleremus, simul vero pertimuimus ne quid perquirendarum antiquitatum studia detrimenti caperent. Ipso etenim ab exordio Pontificatus Nostri, curarum Nostrarum partem non mediocrem in eo collocavimus ut, quod nullo non tempore Decessoribus Nostris sollemne fuit, optimarum disciplinarum studia foveremus et ad exitus laetiores proveheremus. Quamquam autem ea doctrinarum genera praecipuo favore complectenda censuimus, quae Religioni lumen ac firmamentum adiiciunt; cetera tamen quotquot animos eleganter ornant et ad humanae societatis consuetudinem quoquo modo honestandam faciunt, providentiam Nostram minime desiderarunt. In his vero eas iure habuimus disciplinas, quae in antiquitatibus scrutandis illustrandisque versantur. Nam ipsarum ope praeteritorum temporum priscorumque hominum facta veluti reviviscunt et pene oculis obversantur : quod vero praesertim spectat ad vetusta tem sacrorum, exploratissimum est quantum ipsae utilitatis contulerint ad rei christianae historiam ordinandam et ad Ecclesiae dogmata ab osorum calumniis vindicanda. Hac Nos de causa urbano eruditorum collegio studiis antiquitatum promovendis peculiarem semper praestitimus benevolentiam, nihilque omisimus quo pristinum teneret decus et maiore quotidie amplitudine ac dignitate floreret. Magno igitur desiderio adducti, ut simul huic coetui de parto splendore nihil decedat, sed clariora afferantur incrementa ; simul eidem propensi animi testimonium exhibeamus, numismata aurea bina, sena argentea, eruditorum praemia quotannis adtribuenda decernimus. Haec autem ea lege damus ut, quae aurea sunt, illis e nostratibus exterisve qui, proposito ab ipso coetu experimento, primas in tractatione tulerint; argentea vero iis

donentur qui, vertente anno, in disserendo de re archaeologica ceteris solertia et eruditione antecesserint. Bene volentis hoc providentiae Nostrae consilium nihil dubitamus quin amplam, quam expectare licet, fr actuum copiam a navitate sodalium archaeologorum sit habiturum. Interea tibi, Venerabilis Frater Noster, quo Urbanum Collegium Patrono optimo utitur, Collegioque ipsi universo apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die iv Dec. MDCCCXCIV, Pontificatus nostri anno decimoséptimo.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MEDIOLANEN.

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 14 Aprilis 1894.

Conc. Trid. Sess. 24 cap. 13 De ref.

COMPENDIUM FACTI. In oppido, Busto Arsitio, Archidioecesis Mediolanensis ante annum 1343 antiqua et unica existebat ecclesia parochialis S. Ioannis Baptistae, in qua unus tantum sacerdos parochus curae animarum incumbebat. Cum vero intra limites huius parochialis ecclesiae extaret oratorium seu capella S. Michaelis in hac ecclesia ob admodum auctum fidelium numerum, anno 1343 erecta fuit coadiutoria beneficialis, de consensu rectoris s. Ioannis, servatis eidem iuribus et oneribus actualis curae animarum, et exquisitis a beneficiario curato nonnullis obsequii significationibus erga parochum, ad ostendendam illius dependentiam in animarum cura. Eadem de causa et eadem de ratione in ecclesia s. Michaelis adiunctus fuit secundus coadiutor curatus per instrumentum erectionis diei 19 Ianuarii 1512 quo in instrumento fit mentio de tabulis prioris fundationis modo deperditis.

Anno 1583 S. Carolus Borromaeus, qui in crebris et diligentioribus suae Archidioecesis perlustrationibus perviderat in oppido Busto Arsitio sacerdotes curae animarum deputatos, impares suo muneri extare ob in dies succrescentem populum, transtulit in ecclesiam parochialem s. Io. Baptistae collegiatam s. Stephani loci Olgiate Olona in quo e contra clerus necessitati sacri ministerii abunde supererat. Ne vero per translationem, collegiatae nomen et iura disparerent, ius parochiale ecclesiae s. Ioannis antiquitus Rectori competens unitum fuit dignitati praepositurali, remanentibus in dicta ecclesia s. Ioannis duobus coadiutoribus tunc erectis cum titulo et nomine canonicorum coadiutoralium seu cum onere coadiuvandi in animarum cura parochum praepositum.

At iam litium fomenta aderant et sensim excitabantur inter coadiutores s. Michaelis, et canonicos coadiutores s. Ioannis Baptistae, qui posteriores advenerant, et titulo canonicali iam praecellebant antiquiores s. Michaelis coadiutores. Unde sapientissime vigilantissimus Archiepiscopus Cardinalis Fridericus Borromaeus ab Urbano VIII, anno 1624, obtinuit etiam pro coadiutoribus ecclesiae s. Michaelis titulum canonici, uniens eisdem duas praebendas canonicales existentes in ecclesia s. Ioannis.

Verum canonici coadiutores ad s. Michaelis cum in ecclesia separata residentes, concurrerent in curam animarum populi Busti Arsitii, aeque cum praeposito parocho et canonicis coadiutoribus s. Ioannis Baptistae, arbitrati sunt sibi non minus ac praeposito s. Ioannis titulum parochi competere. Cum in dies magis in animo coadiutorum s. Michaelis haec iirmaretur persuasio quam oppugnare non destitebat praepositus ecclesiae s. Ioannis ; tandem anno 1732 res formiter agitata est apud curiam mediolanensem et sententia prodiit vindicans exclusive praeposito s. Ioannis titulum et ius parochiae.

Haec sententia quae pertransiit in rem iudicatam non effecit ut intestina sopiretur discordia, quae interdum, quacumque arrepta occasione, sub una vel alia specie exardescere

prosequitur. Iamvero hodie etiam, alia agitatur quaestio inter coadiutores s. Michaelis et praepositum parochum s. Ioannis oppidi Busto Arsitio, circa ius *vicinioritatis,* quod iure praesertim consuetudinario sibi vindicant canonici coadiutores S. Michaelis.

Ius *vicinioritatis,* per synodales constitutiones Archidioecesis mediolanensis constitutum, determinat parochum qui, absente vel deficiente parocho sibi viciniore, in eius ecclesiam curam animarum suscipere debet. Hinc praesentis controversiae occasio fuit mors parochi loci Sacconago, sequuta mense Ianuarii anni 1889. Mortuo enim huius ecclesiae parocho, Rmus D. Pius Chieppi, unus ex canonicis coadiutoribus s. Michaelis, sibi, iure vicinioritatis, arrogavi t curam spiritualem ecclesiae parochialis Sacconago, quum nempe ecclesia s. Michaelis propinquior sit ecclesia s. Ioannis Baptistae, ecclesiae parochiali Sacconago. Obstitit praepositus s. Ioannis R. D. Iosephus Tettamanti ; et amice cum res conciliari non posset, curia mediolanensis sub die 27 Maii anni 1890 sententiam protulit qua declaravit, ius *vicinioritatis* in casu competere ad curatos s. Michaelis cum praecedentia favore senioris inter duos. A qua sententia appellavit Praepositus apud S. C. Congregationem.

Disceptatio Synoptica.

CANONICI COADIUTORIS DEFENSIO. In quatuor capita dividens suam orationem in 1 et 2 contendit sibi ex consuetudine, legitime praescripta, competere ius vicinioritatis, in 3, imo ex ipsa natura sui beneficii curati hoc sibi vindicat, tandem in 4, refutat nonnulla adversarii obiecta.

Incipiens ab exercitio spiritualis curae exercitae a coadiutoribus s. Michaelis in parochia Sacconago vi iuris vicinioritatis, queritur quod archivium huius parochiae incendio deletum numero pauciora sibi suppetat documenta ; at, ipse ait, valore sane irrefu tabi lia.

Anno 1645, ab humanis exempto Crespi Antonio, parocho ecclesiae Sacconago, Carnago Ioannes, curatus s. Michaelis

pro suo officio Vicarii curati parochiae Sacconago duo administravit baptismata. Notat orator quod in libro baptismatum statim post hanc annotationem sequitur revisio *(il visto)* subscripta a visitatore Archiepiscopali et ab ipso praeposito parocho Busti Arsitii.

Anno 1688 cum parochiae Sacconago curatus abesset tempore paschali, curato s. Michaelis commisit ut eius nomine sacramenta administraret ; quod cum ab ipso, suae ecclesiae* curis distento, obtinere non posset, recurrit ad Ordinariatum qui alium delegavit sacerdotem. Et hic, occasione primi baptismatis in apposito libro scripsit : *se hoc administrasse ab Archiepiscopo delegatum, cum hoc peragere non posset vice-curatus s. Michaelis Busti Arsita.* In eodem libro habetur revisio subscripta a praeposito parocho Busti Arsitii anno 1708. In parochia Sacconago suo viduata pastore, constat *curatum s. Michaelis, qua vice-curatum a iure, temporis vacationis administrasse semel baptisma;* et hanc administrationem postea ratam habet praepositus Busti Arsitii de more subscriptus. Notat vero Rmus Chieppi, se nihil posse afferre de aliis actibus et de ipso funebri officio, peracto pro parocho demortuo, quia mortuorum, liber huius epochae fuit incendio consumptus.

Anno 1780 in terra Sacconago decessit parochus Canavesi et, ait, conventus sacerdos Marchesi s. Michaelis curatus tali pompa et sui iuris ostentatione iusta funebria persolvit, ut plane probaverit suum ius vicinioritatis. Nam laudatus sacerdos omnia ordinavit pro funebri associatione et invitavit ipsum praepositum Rossi parochum Busti Arsitii ad canendam funeris missam. Qui praepositus haec omnia insuper rata habuit subscribens libros parochiae Sacconago et ecclesiae s. Michaelis, in quibus aderat peracti funeris particularis descriptio. Subiungit, ipse conventus, aliunde parochum Rossi fuisse ita infensum iuribus curatorum s. Michaelis quod anno 1817, inter turbas populares exinde excitatas, asportasse! ad suam ecclesiam libros curatiae s. Michaelis.

Ab anno 1708 ad 1889 magna habetur intercapedo iuris-

dictionis ex controverso iure vicinioritatis coadiutorum s. Michaelis, quia parochi loci Sacconago praevenerunt mortem renunciantes parochiali beneficio, donec parochus Carera anno 1889 vita functus est. Hinc occasio submotae litis de qua agitur.

In secundo capite Rmus Chieppi adducit testes ius vicinioritatis sibi vindicantes, et 1) ait universum populum et clerum loci Sacconago, defuncto parocho, proclamasse curatum s. Michaelis uti viciniorem. 2) Coadiutores parochi loci Sacconago citat testantes, hoc ius coadiutorum s. Michaelis saepius affirmasse defunctum parochum. 3) Etiam parochos vicinos parochiae Sacconago, adducit in favorem sui iuris Rmus Chieppi, nempe parochum terrae Borsano et curatum s. Michaelis. Insistit in attestatione parochi loci Borsano qui curatus apud curiam citatus ex officio, deposuit immediatum antecessorem praepositum oppidi Busto Arsitio Bartholomaeum Piazza sibi declarasse occasione infirmitatum, quas passus est defunctus parochus Carera, quod curatus s. Michaelis est parochus vicinior parochiae Sacconago.

In tertio capite ad comprobandam legitimam huius iuris originem in coadiutoribus s. Michaelis, ex instrumento erectionis probare nititur curatos s. Michaelis esse parochos non minus parocho s. Ioannis et instrumenti haec citat verba: « *ita ut in ea parochiali et curata ecclesia s. Michaelis sint et esse debeant duo portiones tuendae, regendae et gubernandae per dominos protempore beneficióles et rectores* ». Citat haec alia verba: *Voluerunt* (instituentes beneficium curatum) *quod cura animarum dicti burgi adeo foret communis inter dictos rectores* (s. Ioannis) *et beneficióles* (s. Michaelis) *quod quaelibet persona burgi ipsius, cum oportuerit, possit requirere pro ministrandis. . . . . Sacramentis dictum rectorem s. Ioannis vel dictum beneficiatimi s. Michaelis*____ ».

Ex actu translationis collegiatae oppidi Olgiate Olona peractae a S. Carolo Borromaeo haec verba producit___« *cum.... tam ex suis personalibus visitationibus quam per suos visi-*

tutores hactenus factis, ac alias saepissime viderit, cognoverit atque deprehenderit_____adesse burgum Busti Arsitii. . . . .in quo praeter alias ecclesias duae adsunt parochiales, scilicet una sub titulo Sancti Ioannis Baptistae, quae est maior, et altera Sancti Michaelis.... ».

Ecclesiae s. Michaelis competere universa iura parochialia comprobat conventus, ex actis visitationis peractae per delegationem divi Caroli Borromaei anno 1566, ubi ita refert delegatus_____« *Die isto visitavi ecclesiam s. Michaelis parochialem, coadiutricem alterius ecclesiae parochialis. Parochi dictae ecclesiae sunt duo, quorum unus nominatur. . . . ».* Anno vero 1606 Card. Fridericus Borromaeus ita ex sua visitatione de hac ecclesia refert quod « *munus curae animarum exercetur a praedicto praeposito et quatuor coadiutoribus in toto oppido Busti et indistincte sine ulla restrictione aut divisione iurisdictionis ministrant Sacramenta, salva semper praeeminentia R. praepositi et ecclesiae______».* Idem. Archiepiscopus Fridericus Borromaeus anno 1604 suo decreto ita firmavit pro clero oppidi Busti ordinem praecedentiae in funeribus ; ait enim : « *In funeribus quoad vocationem cleri hic ordo servetur, ut prius in ecclesia Sancti Ioannis Baptistae M. R. praepositus, deinde canonici curati et successive parochi s. Michaelis; postea canonici iuxta antiquitatem, postremo loco capellani— In ecclesia vero s. Michaelis vocentur reverendi rectores ipsius ecclesiae, deinde M. R. praepositus et successive omnes alii_____».*

Denique, instat Rmus D. Chieppi in relatione visitationis peractae anno 1242 per ipsum praepositum Busti legitime delegatum, saepe ecclesia s. Michaelis parochialis nominatur, et eius curatis urgetur obligatio standi in iudicio contra certos haeredes ut satisfacerent pio legato. Ex quibus omnibus, putat conventus, luce meridiana clariorem sequi conclusionem, curatos s. Michaelis esse vero parochos.

In postremo capite refutantur adversarii principales obiectiones.

Quia praepositus asseruit, consuetudinem a curatis s. Mi-

chaelis invocatam non constare ex actibus diuturnis et uniformibus, conventus urget facta iam enarrata addens etiam administrationem sacramentorum, non solum celebrationem matrimoniorum et funerum, uti contenderet praepositus, comprobare ius vicinioritatis ex dispositione Synodi 35.

Dein Rmus Chieppi pro viribus oppugnat principale adversarii argumentum; nempe s. Michaelis coadiutoribus ius vicinioritatis competere nullimode posse, cum parochi non sint, quod deducit praesertim ex sententia 1732 iam relata. In primis observat conventus, quidquid sit de hac sententia, factum denegari non posse anno 1780 secutum, scilicet 48 annis a celebri decreto, quando ob mortem parochi Canavesi loci Sacconago curatus s. Michaelis, magna cum pompa, uti iam relatum est, funus peregit interveniente praeposito Busti qui postea etiam in libris mortuorum per suam subscriptionem omne gestum ratum habuit,

Quoad sententiam vero 1732, directius animadvertit hanc aperte peccare in voluntatem tabulae fundationis coadiutorum s. Michaelis; nam dum ipsa ad n. 6, declarat ecclesiam s. Michaelis numquam fuisse parochialem, sed tantum sacramentalem et sepulcralem e contra e relatis instrumentis et visitationum actis constat centies appellari parochialem. Eadem sententia item declarat curam animarum, burgi Busti Arsitii *privative et principaliter spectavisse et spectare ad dominum praepositum ecclesiae s. Io. Bapt.,* sed allata documenta testantur imo ita communem inter utramque ecclesiam animarum curam existere, ut cives in utraque ecclesia indiscriminatim sacramanta et alia parochialia officia exquirere possint. Unde, ait conventus, illud verbum *privative* in sententia est ad minus admiratione dignum; non secus ac alia verba, nempe « *non constare de aliqua possessione denominandi ecclesiam s. Michaelis titulo aut nomine parochialis aut sibi ipsis* (curatis) *attribuendi nomen et titulum parochorum* ». Hinc, urget D. Chieppi, flocci factam fuisse hanc sententiam, praeter alia facta, hoc probat, quod s. Michaelis curati postea perseverarunt missam canere in sabato sancto, et sacras fun-

ctiones peragere in feriis sextis quadragesimae quae omnia vetita fuerunt in laudata sententia.

Insuper observat, non posse dici curatos s. Michaelis addictos ecclesiae s. Ioannis, cuius praebendas canonicales sub Card. Friderico Borromaeo obtinuerunt, verba enim instrumenti cavent : « *Sacramenta tamen, aliasque functiones parochiales in dicta ecclesia s. Michaelis iuxta solitum obeant, in domibusque parochialibus dictae ecclesiae s. Michaelis resideant* ».

Denique contra praepositum valorem iuridicum denegantem subscriptionibus ab ipsis praepositis appositis libris administrationis sacramentorum affert dispositionem Con. Prov. I, explicantis munus visitatorum circa huiusmodi libros et decernentis eos debere inquirere non solum de peracta sacramentorum administratione, sed etiam an sacerdos ministrans « *legitime obtineat ecclesiastica beneficia an in ea se invaserit* ».

DEFENSIO PRAEPOSITI. EX alia parte patronus praepositi Busti Arsitii ita disserit in favorem sui clientis. Cum primis animadvertit quod una est paroecia in oppido Busti Arsitii, quam unus parochus regit, praepositus ecclesiae collegiatae Sancti Ioannis Baptistae. At sacerdos Chieppi nihil aliud est quam coadiutor in ecclesia succursali Sancti Michaelis. Hic igitur parochi iurisdictione carens frustra vicinioritatis ius exercere postulat.

Quod in civitate Busti Arsitii una tantum sit ecclesia paroecialis, et unicus rector sive parochus illam regere debeat, ita a Patrono demonstratur. Anno 1583, Gregorio XIII pontifice, sanctus antistes Carolus Borromaeus mediolanensis ecclesiae archiepiscopus, e loco Olgiate Olona praepositurale m et curatam dignitatem qua ecclesia collegiata s. Stephani illius pagi fruebatur, in ecclesiam parochialem s. Ioannis Baptistae Busti Arsitii transtulit. Huius translationis regulae ita statutae sunt : « Quod dicta praepositurali s dignitas simul et curata ad dictam ecclesiam parochialem s. Ioannis Baptistae Busti Arsitii una etiam cum omnibus eiusdem praepositurali s

ecclesiae canonicatibus et praebendis , universisque eorum omnium et singulorum bonis et iuribus perpetuo transferatur... singu laque portio curata ecclesiae praedictae s. Ioannis Baptistae incorporetur et uniatur alicui ex ipsis canonicatibus , cum onere coadiuvandi praeposito in curae animarum exercitio ». Et inferius « Ita et taliter quod utraque dictarum portionum parochialium cum dictis singulis canonicatibus unum tantum corpus et beneficium conficiat et nomen ac titulum canonicatus curati et coadiutoralis perpetuo habeat ». Ac deinde « Et tamen semper, ut ex hac portionum parochialium et canonicarum unione et incorporatione nunc et pro tempore praepositus nequaquam sit nec intelligatur, nec ullo quovis modo aut nomine praetendere unquam possit se exemptum et exgravatum quin ipse principaliter ad ipsam curam et onus huiusmodi curae animarum per se ipsum prout supra personaliter exercendae perpetuo teneatur et obligatus sit ».

Haec de omnibus canonicis curatis et coadiutoribus collegiatae ecclesiae Busti Arsitii dubio procul etiam coadiutorales s. Michaelis afficiunt. Re autem vera, in solemnis concordiae tabulis anni 1626 legitur: « utraque portio curata dictae ecclesiae s. Michaelis nomen et titulum canonicatus curati coadiutoralis dictae collegiatae s. Ioannis Baptistae perpetuo habeant, et canonici de eis providendi canonici curati coadiutores perpetuo nuncupentur.... et potiantur eisdem privilegiis quibus gaudent et potiuntur alii canonici dictae collegiatae ecclesiae s. Ioannis Baptistae ».

In ecclesia igitur s. Michaelis, inquit patronus, quamquam haec ad animarum curam inservire debeat, nonnisi auxiliarium et coadiutoriale munus exercetur, ut fit in qualibet paroecia, quoties rector propter populi frequentiam nequit solus ministerium explere, et illi in alia ecclesia coadiutor adiungitur, *ex cap 4, sess. 21 de ref.* At semper redit quod tradit Pignat. in *cons. 143, n. IS, tom. 9* nempe « Alias ecclesias esse dependentes et adiutrices, erectas pro maiori populi commoditate, neque esse parochiales, sed pro succursu et auxilio

matricis ecclesiae, atque ut magis populo sacramenta administrentur ».

Ceterum in iure compertissimum est, instat orator; coadiutorales ecclesias nulla ratione pares cum parochialibus dici posse, quia nec territorio pollent nec populo, ut ad paroeciae iurisdictionem requiritur, teste Rota, in *dec. 397, part. 13, n. 17 rec.* « Inde___excluditur coaequalitas, quae posset dumtaxat ponderare quoties utrique parocho populus omnino distinctus foret assignatus, quo casu parochiani in propria parochia coacti fuissent sacramenta recipere ». Et concinne Reiffenstuel iu *tit. 5, lib. 3, decr. n. 30:* « Ad hoc ut aliquod proprie dicatur beneficium curatum seu ecclesiae parochialis___requiritur quarto ut solus, suo nomine illud regat: nam una ecclesia nonnisi unius sacerdotis esse debet; sicut et unum corpus nequit habere duo capita alioquin foret monstruosum ».

Hisce positis, coadiutores, infert patronus, s. Michaelis nullam procul dubio iurisdictionem iactare possunt. Nam et in erectione coadiutoriae quaelibet territorii ac populi adiectio defuit, et nihil aliud de animarum cura in ecclesia s. Michaelis actum est, quam ut quo pares inter se coadiutores parocho adiungeretur, qui non proprio nomine curam gererent, sed « Praepositus ipsam curam et onus huiusmodi curae animarum per se ipsum, prout supra personaliter exercendae, perpetuo teneatur et obligatus sit ».

Urget orator haec omnia firmata fuisse per sententiam anni 1732 latam, post causam de coadiutoralium beneficiorum naturam utrinque magnis animis disputatam, in qua a mediolanensi Curia definitum fuit, « D. Praepositum manutenendum fore et esse in possessione seu quasi principalitatis curae animarum et denominationis veri et unici parochi in dicto toto burgo Busti Arsitii, privative quoad dictos RR. DD. Marchesium et Crispum, et eos habendi in suos (in exercitio curae animarum) coadiutores sibi in omnibus et per omnia quoad curam animarum subordinatos ».

Adiicit postremo eiusdem Archiepiscopalis Curiae testi-

monium editum die 3 Nov. 1892, id est duobus et ultra annis post sententiam pro adversario latam « 1. Paroeciam Busti Arsitii unam esse cum unico parocho, qui est Praepositus parochus s. Ioannis Baptistae. 2. Beneficiatus s. Michaelis esse canonicos curatos titulares, dependentes a dicto praeposito parocho ».

Quia canonicus Chieppi ad consuetudinem confugit, et praescriptionem invocat, animadvertit Orator quod cum luculenter constet de initio possessionis, nemini fas est contra suum titulum insurgere, auctore Paulo in *Fr. 3 1). de adquir. vel amiti, poss.* - ibi - « Illud quoque a veteribus praeceptum est, nemini sibi ipsum causam possessionis mutare posse ». Cui concinit A. De Rubeis in *Ann. S. Rotae Dec. 14, vol. 3, lit. A, n. ^2 Rec. - ibi -* «Immemorabilis semper silet quando constat de initio ».

Age vero, instat patronus, quis inficiari poterit certum ac determinatum initium possessionis canonicorum s. Michaelis cum hi semper canonicos coadiutores vocati fuerint? Et Curia Archiepiscopalis profiteatur quod in publicatione concursus ad illa beneficia, adhibetur denominatio coadiutoris titularis? Praeterea quidquid coadiutores in cura animarum illius ecclesiae, non parochi, sed suo nomine fecissent, nullam possessionem eis comparare potuissent, utpote mala fide attentatum, qua semel posita, quaelibet praescriptio removetur. Nam « qui sine iusto titulo et mala fide possidet, etiam longissime temporis lapsu non praescribit ». *S. Rota, dec. 17 Décerna. 1833, num. 9 cor. Zacchia.*

Unde concludit quod etsi coadiutores s. Michaelis vel vicinioritatis ius, vel aliud parochiale munus in ecclesia pagi << Sacconago » exercuissent, non sibi, sed praeposito, cuius nomine curam gerebant possedissent.

Cum canonicus Chieppi in suis allegationibus coram archiepiscopali Curia complures parochialis muneris actus congesseris est supervacanea huiusmodi academia quae causam non attingit, inquit Orator. Nam nemo negat coadiutores in paroecia exercere curam animarum in ecclesia filiali. Cete-

terum adversarius nihil aliud e voca vit quam duo baptismata annis 1645 et 1708. De quibus obvium esset respondere quam ridiculum sit duo exempla in saeculis proferre. Sed otium facit res iudicata anni 1732, urget patronus, quae quamcumque possessionem ab adversario invocatam reiecit.

Idem praepositus Busti Arsitii 'in quodam commentario italico idiomate exarato, facti praecipue controversiam dilucida! Quoad ius enim maxime confidit sententiae anni 1732, et animadvertit, quod adversarius contra hanc rei iudicatae auctoritatem tantummodo adducere potest funus demortui parochi Canavesi loci Sacconago, peractum a curato s. Michaelis, anno 1780. Dein concludit, unum factum huiusmodi sententiam subvertere non posse.

In ipsum factum vero observat, subscriptionem praepositi Rossi in libro mortuorum non respicere hunc actum quem antecedit. Hanc circumstantiam Rmus Chieppi non negat aiens, aliunde sua praesentia praepositum sufficienter rem habuisse ratam. Ex adverso hic subiungit, praepositi praesentiam multimode explicari posse, cuius iuridicos effectus, inquit, ipse praepositus sollicite dissipavit qui domum rediens apud Curiam protestatus est contra curati s. Michaelis rationem agendi, ita ut triduo post taliter persoluta iusta funebria alius Vicarius deputatus fuit loco coadiutoris s. Michaelis. *Verum Illñius Praepositus horum sane magni ponderis factorum fontem a qua hauserit non citat.*

Dein suo contradictori plura opponit facta, legitimis documentis comprobata, sequuta in prima currentis saeculi medietate quibus, ait praepositus, refunditur coadiutorum s. Michaelis audacia invadentium parochi Busti Arsitii iura.

In primis allegat haec verba directa a Mediolanensi Curia, anno 1803 ad dnum Ioseph Marchesi eumdem curatum s. Michaelis, qui anno 1780 praeerat funeri parochi Cavanesi, loci « Sacconago » ; quae verba respiciunt concessionem factam ecclesiae s. Michaelis in hospitium pro copiis exercitus Gallorum, et contra hunc curatum volentem pro suo arbitrio in aliam ecclesiam transferre sacras functiones, ita decerni-

tur: certiores facti sumus, te, independenter a praeposito parocho dicti Burgi, constituisse Oratorium s. Rochi loco ecclesiae coadiutoralis et sacramentalis s. Michaelis, occupataea militaribus, et ob nonnullas functiones peractas, alias dedisse probationes te non habere uti coadiutorem datum praeposito parocho, sed curatum portionarium; idque adversus sententiam diei 5 Septembris 1732, irrefragabilibus innixam documentis.

Non dissimilis tenoris et efficaciae refert alia facta sequuta sub annis 1809, 1817, 1831; unde praepositus confidit iuris argumentis sufficientia adiecisse facti documenta.

Hisce praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae archiepiscopalis mediolanensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 14 Aprilis 1894, censuit respondere *Sententiam esse infirmandum.*

EX QUIBUS COLLIGES I. Coadiutores parochi principalis, istius nomine agere, quando iurisdictionis parochialis actus explicant in ecclesiis, quae dicuntur adiutrices, erectae pro maiori populi commoditate, et pro succursu et auxilio ecclesiae matricis.

II. Carentem parochiali iurisdictione propria, exercere non posse proprio nomine ulla parochialia [iura aut privilegia, quae ex sacris canonibus conceduntur, vel legitima praescriptione acquiri possunt.

III. Parochum, ut proprius dicatur, oportere suo nomine regere beneficium paroeciale, cum populo omnino ab aliis distincto.

IV. In themate coadiutores praepositi, istius vice et nomine explicare paroecialem iurisdictionem, et ideo vindicare sibi in proprium non valent iura ulla aut privilegia etiam ex beneficio praescriptionis.

NEAPOLITANA

MATRIMONII

Die 9 Iunii 1894.

Sess. 24, cap. 1 De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Triplici denunciatione praemissa ac servata in omnibus Tridentinae Synodi forma, Franciscus e marchionibus D'Auria in aetate 25 annorum constitutus et Iustina Liguori trilustris puella matrimoniale foedus Neapoli inibant die 31 Iulii 1876, adstante parocho Ecclesiae Matris Dei.

Plura factorum adiuncta, quae ex inferius allegandis patebunt, huiusmodi nuptias praecessisse modo enarrant coniuges ut defectum libertatis, saltem quoad sponsam, in consensu promendo adstruant. Affirmant enim adolescentulam, matre orbatam atque a patre derelictam, postquam a Collegio S. Marcellini, ubi instituenda manebat, expulsa fuerat, iugali vinculo obstringi fuisse ab avúnculo coactam, neque in ea aetate assumpta onera perpendisse. Unde factum esse edicunt, ut eo tempore quo simul cohabitarunt coniuges, mutuus amor ab eorum tecto penitus abfuerit. Hoc tamen constat, maritalem vitam paulo post connubii celebrationem inauguratam ad diem 25 Septembris 1879 perseverasse, et Iustinam die 19 Februarii 1878 filiam, quae adhuc vivit, fuisse enixam.

Fere post decennium ab habita separatione, mulier Curiam neapolitanam adiit petens, ut processus super matrimonii sui nullitate ex capite vis et metus conficeretur. Quas preces cum Emus Cardinalis Archiepiscopus excepisset, coram ecclesiastico tribunali, ad hoc delegato, labente mense maio 1887 actus processuales instituti sunt. Advocata in ius fuit actrix, nec non Franciscus D' Auria , aliique novem testes a muliere vel eius procuratore indigitati, qui omnes sub sacramenti fide interrogati deposuerunt. Postea et viro mandatum fuit ut septimam manum designaret ; ast ille scriptis declaravit se non habere alios testes praeter exhibitos ab actrice; qua de re horum depositionibus sese omnino remittit.

Tunc coniugum patroni matrimonium etiam ob clandesunitatem impugnare coeperunt, ernia nempe coram parocho Ecclesiae Matris Dei fuerat celebratum, in cuius paroecia neuter sponsorum domicilium vel quasi domicilium habebat. Attamen cum ex libri paroecialis testimonio atque ex praefati parochi depositione innotuisset, eumdem parochum nomine curiae matrimonio adstitisse, ab ulterioribus probationibus partes abstinuerunt. Quare iudex delegatus, audito in scriptis vinculi assertore, sententiam dixit die 28 Augusti 1890, in qua pluribus perpensis, pronunciavit: « matrimonium initum die 31 Iulii 1876 inter Franciscum D' Auria et Iustinam Liguori fuisse irritum, cassum et nullum ex defectu consensus, quippe probabiliter ab utroque sponso, et certo a muliere Liguori contractum ex coactione et metu gravi a causa libera iniuste illato ad consensum in matrimonio extorquendum ». A qua sententia cum iuxta Constitutionis Benedictinae praescripta sacramenti vindex appellavit.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM CANONISTAE. Rationes, quibus Oratricis Iustinae preces fulciuntur, continentur expositione modi quo dicta Iustina « vix sex annos nata in puellarum educandarum contubernio sub titulo Sancti Marcellini a matre traditur instituenda, nimirum tum ut liberalibus disciplinis et christiana civilique educatione imbueretur, tum ut scandala quae domi e veniebant ob illicitam patris consuetudinem cum feminis, ut plurimum familiae inservientibus, evitaret ».

Cum undecimum puella attigit aetatis annum, matre Aloysia Campobasso, quae eius curam gerebat, e vivis erepta, pater praesertim post uxoris obitum, cuiusdam indignei mulieris, cuius nomen Francisca Valente, turpi amore captus, in praefato educandarum collegio illam ita dereliquit, ut paterni animi affectus erga filiam penitus amisisse videretur. Quin imo cum ipse nec mensuale stipendium collegio, nec subsidia ad vitae substentationem necessaria filiae Iustinae amplius ministrasset, haec a memorato educationis contubernio

fuisset eiecta, nisi et proba agendi ratione et in studiis literariis progressu, moderatricis collegii benevolentiam sibi ita comparasset, ut, in praemium diligentiae ibidem permanendi facultatem obtinuerit. Vix tertium aetatis suae lustrum transegerat Iustina et rusticationis causa mense Iunii 1875 egressa ab educationis collegio, mulieris Valente artifìciis, primo vidit Dominum Franciscum d'Auria. Nullum ea occasione de ineundis nuptiis verbum inter se habuerunt. Nihilominus praefata Valente, quae Ludo vicum Iustinae patrem inverecundis suis illecebris sub iugo voluntatis suae tenebat irretitum, matrimonium cum Francisco d'Auria eidem Iustinae proposuit. Dictae autem mulieris Valente magnopere intererat, quod huiusmodi coniugium celebraretur, tum ut faveret Domino d'Auria, quocum in id conspirabat, tum ut dominatum, quem usurpaverat, et sola exercebat in familia Liguori, firmius constabiliret atque extenderet. Hinc primo epistolis, dein verbis, postea exhortationibus, obsecrationibus, precibus importunis, postremo dolis suadere puellae satagebat, ut amorem iuvenis d'Auria acceptaret.

Iustinae animus quamvis ab initio videretur renitens, attamen ob urbanitatem d' Auria, ¡postea magis ex levitate puerili quam ex voluntatis determinatione proclivis visus fuit. Hinc mutuus amor, ac mutuum subinde epistolarum commercium inter Dominam Liguori et inter Dominum d'Aria instituitur, lenociniis praedictae Valente, a qua Iustina omnium aerumnarum suarum originem recognoscit.

Cum vero Iustina post ferias autumnales in Collegium de more se recepisset, et praefata leno Valente epistolarum latrix ad collegium prohibita fuisset accedere, iuvenis d'Auria inito consilio cum alio adolescente, amasio alterius puellae in eodem contubernio degentis, et dictae Iustinae amicitiae vinculo coniunctae , ex solario domus respondente solario contubernii, epistolas lapidi ligatas per funiculos, iacere sub noctem coeperunt, a Iustina eiusque contubernali colligendas, eisdemque funiculis alligatas duarum puellarum responsiones suscipere.

Accidit autem ut, secunda die advesperascente, epistolas proiectas quae sibi visae fuerunt excidisse super alterum solarium suppositum puellae accipere vellent, repente corruerunt et sanguine manantes ac sensibus destitutae ab aliis puellis contubernalibus in valetudinarium Instituti delatae fuerunt.

Ut primum autem factum, quod uti scandalum gravissimum reputatur in collegio, innotuerit moderatrici, tam Iustina quam altera contubernalis eiusdem culpae complex post octiduum a collegio expulsae fuerunt. Iustina non habens quo confugeret, in domum avunculi sui Campobasso se recepit, qui causam aerumnarum suae neptis refundens in adolescente Francisco d'Auria, puellam sub explicita conditione in domum suam excepit, ut quantocius nuberet Francisco d'Auria et nuptias intra 15 dies celebrandas esse omnino statuit. Flevit, exoravit, obtestata est infelix Iustina. Sed frustra. Ipse, (scilicet d'Auria) respondebat avunculus Campobasso , damnum , quod tibi attulit, necesse est aut sponte aut vi resarciat.

Dominus vero d' Auria, cui eiectio a collegio puellae Liguori a Nicolao Campobasso manifestata est, et quem mulier Valente deceperat asserens puellam Liguori pro dote habere decem millia ducatorum, sub tractationis initium de nuptiis celebrandis visus est non dissentire. Ubi vero deprehendit huiusmodi dotem non existere, sententiam omnino mutavit. Avunculus vero Iustinae ferendis contradictionibus non assuetus, existimans non aliter posse bono suae neptis providere nisi per coniugium cum dicto Domino d'Auria, istum minis coegit, ut Iustinam uxorem duceret. Quod Franc. d'Auria fecit post paucos dies vel hebdomadas ab expulsione Iustinae de collegio S. Marcellini, scil. 31 Iulii an. 1876.

Iamvero an constaret de nullitate matrimonii ex defectu consensus ob adversum prorsus et reluctantem animum, quo se huiusmodi nuptias inivisse affirmat Iustina ob moralem scil. violentiam sibi illatam a suo praesertim avúnculo Domino Nicolao Campobasso, confectus est rite processus et ad tramites Benedictinae Constitutionis et tandem de causa Cu-

riae archiepiscopali subiecta facta est discussio et definitio constare de huius matrimonii invaliditate, ex defectu consensus probabiliter ex parte viri, *certissime ex parte mulieris,* quia contractum ex coactione et metu gravi a causa libera, iniuste inlato ad consensum in matrimonium extorquendum.

Hisce ad factorum seriem quod spectat praeiactis, dicendum est « an eiusmodi sententia prolata ab Archiepiscopali Curia Neapolitana sit confirmanda vel infirmanda ; cui dubio, ut Consultor, videtur respondendum absque ulla haesitatione confirmandam esse. »

Quod responsum ut clarius pateat, haec tria animadvertisse sufficiat : quod defuit deliberatio plena in rem perspectam : res scilicet non erat sufficienter perspecta puellae , quae non videtur satis assequuta statum matrimonialem quid importet et qui ineatur ; quaenam praesertim sint onera substantialia; quod defuit libertas requisita in iure ut consensus ad validitatem haberetur. Dixi *consensum requisitum in iure :* licet enim aliquatenus voluntarium in contractu matrimoniali esse videatur, tamen illud non sufficit ad consensum requisitum. Consensus enim debet esse *plane liber* non tantum a coactione, sed etiam *a metu.* Porro in casu sive antecedentia sive concomitantia seu ipse actus contrahendi, sive consequentia spectentur, *liber fuit* consensus.

Omnes DD. ad quaest, quamnam deliberationem exigat consensus matrimonii « respondent *exigi deliberationem plenam et perfectam :* unde non sufficit aliqualis et semiplena advertentia, nec imperfecta consideratio obligationum matrimonialium, quibus sese sponsi adstringunt. Nam deliberare idem est ac perpendere et definire quod proprium est intellectus. Hinc idem actus voluntatis dicitur *liber et deliberatus,* liber a voluntate, deliberatus ab intellectu perpendente agendorum vel omittendorum convenientiam vel disconvenientiam ac definiente actionem vel omissionem iuxta meritum vel demeritum agendorum vel omittendorum. Nos in hoc 1. puncto partem intellectus seu deliberationem plenam et

perfectam defuisse in rem perspectam probamus. Etenim primis visitationibus quas in ordine ad matrimonium ei, nil rei suspicanti, procurabat Francisca Valente callida et inhonesta mulier, vel nulla occurrit idea matrimonii ut puella testatur.

Vehementer red arguitur Iustina ab avia materna, cuius auctoritatem magni faciebat, hinc de consilio scribit Francisco d' Auria se illico abrumpere omnem cum ipso relationem. Et quamvis dictus Franc. d'Auria maxime ob talem puellae resolutionem fuerit indignatus, ut pluribus prolatis et scriptis verbis ostendit, firma, perstitit diu, donec Franciscae Valente opera aliquantulum a dicto proposito dimota videretur.

A decreta vero expulsione Collegii nil , neque preces , neque pericula imminentia puellae, neque literae datae Direetrici hanc ceterosque praesides dimovere potuerunt, adeo ut in maximas Iustinarn redegerint angustias. Expulsa cum nullatenus reciperetur in domum patris, a quo nonnisi neglectus, contemptus et derelictionis omnimodae evidentissima argumenta accepit, coacta est ad avunculum Nicolaum Campobasso sese convertere, qui nonnisi ea sub conditione, ut infra quindecim dies Francisco d'Auria nuberet, neptim de monasterio abduxit. Refert autem longas mulieris depositiones, quibus ille studet evincere propriam ignorantiam in rebus matrimonialibus ob suam aetatem, et moralem vertentiam, qua torquebatur a propriis parentibus.

Quibus praenotatis, manifestum fit, ait Consultor, haud extitisse ante celebrationem talem mentis advertentiam in rem, adeoque legitimum consensum in rem perfectam, qui postea habitualiter et virtualiter in ipsam celebrationem influxerit, si in hac omnino qualis requiritur, videtur defuisse.

Sed qualis in ipsa matrimonii celebratione fuerit deliberatio deprehenditur ab ipsius Iustinae iurantis ore , quod septima manus testium comprobat.

Quibus omnibus consonant, quae post matrimonii celebrationem obvenerunt.

Iamvero hic non apparet illa necessaria in mente Iustinae

cognitio rei, in quam sese obligent contrahentes, sufficiens. Cum enim, praeter causam, substantialia actuum sint *voluntas libera,* et *res :* ad hanc quod attinet, certa in mente esse debet et apparere, scilicet apparere oportet *quid* dari *debeat, quale, quantum Leg. 94, 95, 115 de V. O.* Porro haec determinatio rei in mente Iustinae non videtur adfuisse.

Ex ipso iure naturae puer et puella vim contractus ineundi intelligant oportet seu obligationem inde promanantem. Ait quidem *S. Thom. in 4 dist. 36 q. i a. 5. Secundumiuxa,* scil. legis positivae, determinatum est, quod ante illud tempus discretionis, quo uterque possit sufficienter deliberare de matrimonio, et debitum sibi invicem reddere, matrimonia non contrahuntur, et si non ita facta fuerint, dirimuntur » atque adeo verum est nostros sponsos *potuisse* de matrimonio sufficienter deliberare prout fecit Franciscus d'Auria, at non ita sufficienter de matrimonio deliberavit *de facto* Iustina, ut patet ex allegatis.

Insuper nonne mutuus debet esse consensus h. e. ut uterque ius in corpus suum alteri tradat et acceptet, ut diserte habetur *cap. Ex duobus L De sponsa duorum:* ibi «Fides consensus est quando mutuo se concedunt unus alteri et mutuo se suscipiunt. » Iamvero Iustina non videtur hanc mutuam iuris in corpora invicem traditionem intellexisse et fecisse : non tempore contractus, quia non liber, non post contractum per copulam subsecutam, quia error manebat in mente circa matrimonii validitatem, ut infra videbitur.

Agitur de puella, quae licet aetatem ex iure requisitam ad contrahendum habeat, tamen cum ex dictis iudicium pro maturandis nuptiis *de facto* non praeseferat, *immatura* censenda est, praesertim si comparetur ad aetatem pro religiosa perfectione requisitam : ad hanc enim saepe saepius solet aequiparari prae sua perpetuitate status matrimonii : et religiosa professio invalida prorsus est ante 16[m] aetatis annum completum ex Trid. quidem, sed ob *immaturitatem iudicii ;* unde solent nonnulli, proportione servata, argui ad matrimonium ex quadam analogia.

Contra assertum commune, quod plena et perfecta requiratur eiusmodi deliberatio, non obstat obiectio desumpta ex *c. literas 4 de desponsat. impub.* quod ad contrahenda sponsalia de iure sufficit in contrahentibus septemnium: ergo a pari etiam ad sponsalia de praesenti sufficit semper tempus in iure statutum. Nam respondetur ad antee. *Distinguo* sufficit septemnium quantum est ad sponsalia praesumpta *Concedo:* in re vera et valida semper etiam in foro poli *Nego* universaliter assertum. In *cit. c. literas* solum dicitur non nasci impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus contractis cum minore septemnio, quia prius non praesumitur adesse iudicii maturitas ad obligandum se graviter per sponsalia. Unde si *constaret* sponsalia contracta post septemnium fuisse concepta *ex deliberatione solum imperfecta* nego illa valere etiam in foro externo. Quod principium applicandum pro aetate ad sponsalia de praesenti requisita, in qua quis existens ex imperfecta deliberatione contraheret matrimonium. Illud tandem heic animadvertere iuvat, plures DD. addere, heic non sufficere deliberationem, quae sufficit ad meritum vel demeritum. *Cf. Castropal. D. I. de sponsal. p. 2, n. 4,* et *Krimer qui in IV Decretal, n. 388* ait « Nam demeritum haberi potest etiam per peccatum leve, ad quod sufficit advertentia etiam imperfecta : hoc autem non sufficit ad imponendam sibi legem privatam seu obligationem etiam in materia levi - ex quo a fortiori sequitur ad sponsalia de praesenti seu matrimonium requiri consensum plene deliberatum ; cum per eum contrahentes imponant sibi legem perpetui status, graviter obligantem; ita communis: quamvis in dubio an adfuerit sufficiens deliberatio, praesumatur adfuisse, ut docet Panorm. in *c. Dudum 8 de Convers. Coniugai,* quia est naturalis qualitas hominis usum rationis expeditum habentis. »

Sed ab intellectu ad voluntatem Iustinae descendamus propius et directe quaerentes : *An actus celebrationis matrimonii in casu fuerit ea profecto libertate donatus:,.....quam in consensu ad validitatem iura requirunt:* et respondemus:

negative prout Neapolitana Curia *rectissime declaravit ac definivit* ratione vis adhibitae, illatique gravis metus.

Quod iura matrimonium vi illata contractum nullum esse edicant audiatur Alexander III *cap. Cum locum 14 de sponsal. et matrim.* « Cum locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intervenit, necesse est, ut ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus ne per timorem dicat sibi placere, quod odit et sequatur exitus qui de invisis solet nuptiis provenire. » *Cf. c. Veniens 15, c. Consultationi 28, c. Significavit eodem Be eo qui duxit.*

Et merito : nam infelix exitus inde est, ut nec bono prolis prospiciatur, quia coactus propter displicentiam aversionemque non intendit prolis procreationi, nec bono fidei coniugalis ; quia propter invitas nuptias, coniuges nec debitum reddunt prout deberent, et facile in adulteria prolabuntur.

Quod responsum ut clarius pateat, in antecessum memoria recolemus *quid et quot api ex metus, et quibus conditionibus ornetur oportet,* ut matrimonium dirimat.

Quoniam metus est effectus vis adhibitae, a Paulo IC. *vis est maioris rei impetus, qui repelli non potest.* Dividitur autem in absolutam et conditionalem, illa liberum consensum tollit omnino: haec voluntarium dumtaxat minuit. Haec seu vis conditionalis et metus pro synonimis vel saltem connexis habentur ceu causa et effectus : vis siquidem consistit in inferente metum et se habet per modum agentis, et metus stat in persona, cui vis infertur et se habet per modum patientis. Hinc est quod vis et metus correlativa habentur, et quod de uno dicitur, etiam intelligitur dé altero. *Cf. tit. De his quae ri mel us* **t:** *e causa fiunt.* Metus autem a iure definitur *Instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio L. 1. D. De eo quod metus causa gestum erit.*

Irritat autem metus non solum iure positivo sed etiam

iure naturae ox parte metum passi. Et sane ratio docet oportere ut metum passus, iniuste quidem incussum, eo beneficio gaudere possit quod omnia iura civilia (iure naturae dictante) concedunt contrahentibus ex metu, *restitutionem nempe in integrum:* atqui hoc beneficio uti,nequit metum passus, si matrimonium valide iniit; est enim ipsum irrescindibile semel ac extitit : ergo hoc beneficio fruitur dum contrahit, quatenus invalide contrahit.

Quocumque autem dirimi dicatur matrimonium ratione metus, certum est quod hoc impedimentum dispensationem non admittit: sed necesse est causam metus tolli. Alex. III, *c. Cum locum De sponsal.* « Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intervenit ; necesse est, ut ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. » Si vero agatur de matrimonio iam contracto, numquam declarabitur in foro externo nullum nisi probato rite influxu metus in consensum, quod probamus verificatas ostendendo omnes conditiones, quas Ecclesia postulat ad metum gravem.

Cum metus *dividatur a)* ratione causae in eum, qui infertur a causa necessaria, et in eum qui infertur a causa libera ; *b)* ratione modi in eum qui infertur *iuste,* et in eum qui infertur *iniuste; c)* ratione qualitatis in levem et gravem quod dupliciter fieri potest; vel *directe* scil. et animo extorquendi consensum a metum passo, vel *indirecte* et ob aliam causam, ita tamen ut metum passus eius occasione, metu se liberaturus consensum praestet : quaeritur, quinam ex his metus irritet scil. matrimonium.

Huic quaestioni satisfacimus mox cum ad quaestionem respondemus, qualis esse debeat metus, quibus ornatus conditionibus, ut matrimonium dirimat.

Ut autem matrimonium ob metum sit irritum, requiritur.

I[a] *conditio* ut metus sit *gravis, cap. Consultationi 28 De sponsal. et matr.,* qualis scilicet cadit in *constantem virum* ut in Alex. III, *c. Veniens 15 De sponsal.* « nisi metu coactus, qui posset *in virum constantem cadere, eam desponsaverit.* » Ait qui posset *in virum constantem cadere,*

si malum nempe quod metuitur est tale ut illud etiam virum ceteroquin *constantem* h. e. prudentem et discretum, non perperam nec absque prudenti ratione conterreat sine nota dedecoris, inconstantiae et dimissae fortitudinis, *metus eius dicitur cadere in constantem virum,* in quo tamen semper subiecti ratio habenda, cum respectu unius malum impendens possit esse tale ut relate ad tale subiectum merito grave ac sine nota inconstantiae prudenter timeri possit ; non relate ad alterum. Quare sufficiet metus etiam qui cadet in constantem feminam, Barbos, in c. *Consultationi De sponsal. num. 5.* Certum enim est mulieres etiam constantes, regulariter et spectata sexus imbecillitate, metu mali (quod respectu viri tantum non est) facilius ad quaedam cogi, quae vir cordatus non faceret. Unde in *c. Cum dilectus De his quae vi,* si in rubrica dicitur quod metum passo non subveniatur, si non fuit talis, qui possit cadere in constantem virum, non intelligitur de metu mortis, sed de quovis metu gravi, pro rei qualitate iudicis arbitrio, ut notat Gloss, *in dicto c. v. metu mortis* - Atque adeo inter exempla gravis timoris recensent DD. etiam exilium, amissionem status, *violationem virginis* aut honestae viduae, ablationem famae, *enormis indignationis patris,* viri valde austeri. . . . Quae ultima malorum exempla si commovent constantem virum aut feminam, a fortiori *puellam, verecundam, orphanum* ut in casu Iustinae.

Hinc 1. merito notant DD. sufficere ut metus sit *relative gravis,* proindeque huius iudicium, spectatis circumstantiis et qualitatibus personae tum timentis, tum metum incutientis atque mali natura esse proferendum; 2. malum notant DD. quod timetur, non solum debet esse grave sed prudenter debet credi impendens, quia malum utut gravissimum si minus probabile sit eventurum, non movet constantem virum ; 3. Gravis adhuc metus apud DD. censetur si mala eiusmodi impendeant etiam solis propinquis, consanguineis usque ad 4. gradum iuxta *S. Alph. de Liguori Theol. mor. 1047;* uti

II[a] *conditio,* requiritur, ut metus *iniuste* incussus sit,

quia si quem iudex metu poenarum cogat ducere uxorem puellam, cui stuprum intulit, iustus est hic metus a legis imperio procedens, seu potius ab ipso metum patiente, qui eidem causam dedit *c. Si seduxerit 1. et c. Pervenit de adult. et stupro.* Tunc autem *iuste incussus* dicitur metus quando, si a causa libera incutitur, incutitur *ab eo, cui iure competit grave quodpiam malum inferre, nisi matrimonium contrahatur.* Ceu

III[a] *conditio* requiritur ut metus sit ab extrinseco illatus, quem nempe non ipse contrahens sibi incusserit. Nam DD. adnotant malum quod metuitur, atque adeo metum eius provenire posse a causa vel naturali aut libera ; si provenit a causa naturali dicitur metus incussus ab intrinseco, si a libera incussus ab extrinseco : ab hac autem metus incuti potest iuste vel iniuste seu cum iniuria metum patientis. Sed cum hoc ultimum fieri possit *directe* seu ex intentione ad eum finem, ut incutiens extorqueat a me consensum v. g. in talem contractum: vel *indirecte* ob alium finem e. g., ut idolo sacrificem ex quo fit, quod ad declinandum illud malum, metum passus eligat consensum in aliud directe non intentum ab incutiente metum. Hinc quaeritur *an metus eiusmodi debeat esse directe intentus ad extorquendum matrimonium.* Respondeo sunt plurimi qui ceu

jyam *conditionem* contra alios exigunt, ut metus sit incussus directe ad extorquendum in matrimonium consensum, quia aiunt, tunc non tam contrahitur metu, quam eligitur medium evadendi periculum et matrimonium est simpliciter voluntarium. At Lugo *de inst. et iur. disp. 22, num. 175 et seqq.* praefert eorum sententiam qui distinguunt, quando *metus* iuste infertur, et quando *iniuste,* in quo casu etsi metus ad aliud prorsus obtinendum incussus sit (quo tamen metu seu malo quod times, ut te liberes, eligis matrimonium) idem sentiunt ac si metus directe ad extorquendum consensum incuteretur, scilicet matrimonium esse irritum : quae sententia est et Lessii et probant inter alios Schmalzgr. *i. 4, t. 1, num. 399 et apud hunc ibid.* Schmier.

At Iustinae metus omnes has evidenter praesefert conditiones. Ergo invalidum est eius matrimonium defectu consensus.

Adest 1. conditio quod scil. incussus ei fuerit *metus gravis.*

a) In primisque revocentur in mentem quae supra, quoad matrimonii antecedentia, diximus scil. 1. quod numquam seria in Iustina apparet voluntas, sed quaedam puerilis vanitas : 2. quod incoepta aliqualis ab initio propensio erga Franciscum d'Auria, postea ex aviae obiurgationibus retractata fuit, uti ostendit declaratio et protestatio facta ipsi Francisco d' Auria, quamvis postea videatur non dissentire : quod ut ex supra relata Iustinae confessione patet, non sufficit , sed requiritur consensus expressus, quem certo deficientem signa exteriora nullius amoris portendunt : idque ante expulsionem e collegio.

b) Post hanc expulsionem, nullum adhuc habetur positivi consensus signum, etsi Franciscus d'Auria eam in domo avunculi Nicolai Campobasso conveniret. Quin imo

c) tunc ab ipsa expulsione praecipue se prodit ille metus, qui ex iure saltem positivo requisitum ac liberum consensum ad validitatem impedit. Nam ut confirmat quoque S. C. C. *responsum et decr. in Parisien, matrim. 25 Iun. an. 1864 et Veneten. matrim. 24 Maii 1889,* non solum aperta vis, seu violenta coactio matrimonium irritum faciat, sed etiam timor, qui est coactio secundum quid, cum, qui sub metu consentit, magis pati, quam agere convincatur *cap. Sacris quae vi.* Unde Praetor Romanus *L. ff. de his quae vi* dicebat « quod metus causa gestum erit, ratum non habebo, quippe qui tollit consensus libertatem ». Atqui Iustina metum gravem ob grave malum impendens passa fuit in tali matrimonio ineundo. Nam collegio expulsa, Nicolaus Campobasso avunculus irremissibili sub conditione apud se recepit, ut intra 15 dies iuveni d'Auria nuberet, sub comminatione eiectionis e domo sua ac totalis derelictionis. Ex his metum esse graviter incussum omnino patet : agitur enim de muliere, de

puella trilustri, de verecunda valde, nulla experientia vitae praedita, mox egressa e collegio imo expulsa, perquam vivacis phantasiae : agitur de gravissimo damno, nempe de eiectione e domo avunculi post expulsionem a collegio, atque adeo de omnimoda derelictione, deque prostitutionis periculo adeo facili in Neapolitana urbe, persequente clam et palam venafra muliere Valente: proindeque, dictis circumstantiis ac praesertim praefati avunculi eiusque uxoris ingenio et indole attentis, agitur de malo prudenter impendenti.

II. Metus hic gravis *iniuste* fuit incussus in Iustinam, Nam omnes filii sunt omnino liberi circa status electionem et quoad matrimonium contrahendum simpliciter, et a fortiori cum hac vel illa determinata persona, adeoque parentes (a fortiori ceteri qui succedunt loco parentum) si absque causa liberorum matrimonia impediant et multo magis si eos ad certa matrimonia invitos cogant, graviter peccant non solum propter scandalum et malos exitus, qui ex invitis nuptiis sequuntur, sed etiam quod liberos privent iure suo, quod habent circa status electionem. Certum autem est apud omnes, quod contractus matrimonii et sponsalium de iure naturali et divino ita *personalis* est, ut nemo, neque etiam pater, eo iure praestare consensum possit pro filio, nisi speciale ab eo mandatum habeat. Atqui huiusmodi Iustinae ius violatum omnino est cum per insidias Franciscae Valente et vexationes avunculi Campobasso ad eas incitas de industria est redacta, ut vel certo discrimini pudicitiam exponeret, vel nuberet Francisco d'Auria. Accedit quod et hic iuvenis etsi antea has nuptias adamaret, ratus dotem Iustinae inesse, quam dicta Francisca eum sperare iussit, recessit tamen a proposito Iustinam ducendi, ad quod tunc *aeger rime* rediit, cum per *vehementes* et *iniastas minas* ab omnibus avunculis coactus est. Neque causa iusta esse potuit quod Iustina e collegio expulsa sit : expulsio enim neque Francisco d'Auria multoque minus ipsi Iustinae magnae culpae tribuenda est. Dolo malo omnia peracta sive minae in iuvenem d'Auria, sive neglectus et omnimoda derelictio puellae ex parte patris,

sive vexatio improba ex parte avunculi Nicolai Campobasso ad hoc, ut Iustina haud rerum mundanarum experta et dqli nescia puella dicto nuberet Francisco.

III. Unde colligitur omnem coactionem fuisse factam metumque dictum ab *extrinseco* incussum, etsi non ab uno contrahentium sed ab alio, imo ab aliis plurimis ille sit incussus, directe et in ordine ad extorquendum consensum in tale matrimonium. Ergo neque deest 3. et 4. conditio relate ad Iustinam.

Ex omnibus hucusque dictis liquet defuisse consensum de praesenti illum legitimum, qui omnino liber a metu esse debeat prout indicata scil. iura cuncta proclamant.

Defectum libertatis eiusmodi pro matrimonio ipse d'Auria accusat et omnes testes in eodem sensu sub iuramento loquuntur.

VOTUM THEOLOGI. In confesso est apud omnes, consensum matrimonialem praesupponere et usum rationis, et « discretionem » quamdam in contrahentibus. Respondeat pro aliis Pirhingus, qui *Lib. IV tit. 1, 85* haec dicit « Duo necessario requiruntur in contractibus matrimoniorum, imprimis *scientia,* sive iudicium discretionis, quo quis intelligat quid agat » etc. - Sed ante pubertatem huiusmodi discretio non praesumitur, nisi probetur; post pubertatem, e contrario, praesumitur semper, nisi contrarium evincatur. - Doctrina est communis - Vide Gasparri *vol. 2, n. 778.* Quomodo stabiliri potest « contrarium » pro puberibus ? Imprimis, quaestio non est de « voluntate », quapropter nullius ponderis sunt argumenta quae « repugnantiam » ostendunt, neque rem -conficiunt quae animi levitatem in puella evincunt ; siquidem stare haec omnia optime possunt cum « scientia », illa saltem , pudica et verecunda qualem solent habere circa hoc, puellae castae et innocentes, qua maior sane non requiritur. Probandum potius esset, mentem pueri vel puellae esse cuiuscumque cognitionis matrimonii expertem, ita ut quoad hoc, infantium vel amentium intellectui aequiparari possit; et cum agatur de cognitione, quae, ipsa natura duce gene-

raliter, in confuso, saltem acquiritur, haec aequiparatio impossibilis prorsus evadit, quando intellectus in statu normali deprehenditur. Aliter sane dicendum in casu imbecillitatis vel alicuius hebetudinis, sive haec congenita sit, sive ex ingenii tarditate vel ex immatura aetate. Quod quidem accidisse videtur in « Ventimiliens. Matrimonii » in S. C. C. tractata 19 Maii 1888. Allegabatur quidem « non consummatio », sed infìciabatur potissimum matrimonium, ob affinitatem ex copula illicita, ob vim et metum et quia licet puber fuerit puella, debita ad matrimonium carebat discretione. In disputatione causae, nec affinitas, nec vis satis apparebat, dum testes omnes unanimiter affirmabant. Catharinam , quae ceteroquin puella fuit 12 annorum, tempore matrimonii, ad modum parvulorum vestitam, puerilibus ludis deditam, *ingenio tardant,* ignorans quid esset matrimonium fuisse incapacem et inidoneam matrimonio - nullatenus intellexisse onera matrimonii et similia. Quapropter S. C. iudicavit matrimonium fuisse nullum. Sed ex hac decisione nihil in favorem Iustinae erui potest, quia circumstantiae sunt diversae. Non duodecennis sed trilustris haec, non ingenio tarda, sed e contra; nam in praemium pro profectu in studiis obtinuit, ut dimidiata aut nulla pensione, in collegio-hospitaretur. Praeterquam quod ex actis elucet instructionem in Catechismo fuisse a Sacerdote competenti sedulo alumnis-datam, et proinde supponendum est Iustinam, more ceterarum puellarum, Sacramentum matrimonii comprehendisse. Demum relationes ipsae, quas cum D'Auria habuit, epistolae datae et acceptae, quae insuper lectae fuere suis contubernalibus, quarum una saltem vigesimum annum attigerat, et colloquia inde enata omnino excludunt hypothesim ignorantiae talis, quae consensum matrimonialem vitiaret vel destrueret.

Quidquid, igitur, sit de coactione, vana sunt quae de « discretionis » defectu afferri possunt ; quin immo , ipsa repugnantia Iustinae, cuius argumenta indubia in actis non desunt, nonne indicat notitiam plus minusve perfectam tum naturae, tum iurium matrimonii?

Sed res explorata est, consensum, quoad notitiam quidem perfectam, ex alio capite vitiari posse, ut nullum sequatur matrimonium; quod accidit, praetermissis nunc aliis, quotiescumque, vi et coactione quis cogitur ad consensum praestandum. « Metus », ait Card. D'Annibale, « nunquam non dirimit matrimonium quando alios contractus vitiat : et quidem , ipso iure, quia semel initum rescindi non potest ; utrum iure naturali vel positivo, non omnino certum. Metus hic, iniuste ad contrahendum incussus, gravis sit oportet, seu cadens in virum constantem ut communiter loquuntur Theologi et Canonistae; quae verba tamen, observat Sánchez, ad loc. Disp. III, 5: Magis *proverbii* loco pro eo metu qui levis et vanus non sit, accipienda esse, quam ut verbis inhaerendum. Quapropter, metus, quoad virum quidem levis, in muliere gravis esse potest : immo et inter mulieres ipsas, metus gravis non est quid *absolutum* sed *relativum.* Possunt enim mala quaedam, non absolute gravia, neque per se metum gravem inferentia, esse tamen respective gravia et metum gravem incutere propter qualitatem et conditionem patientis metum et alias circumstantias. Immo, metus per se levis, ut est metus reverentialis, in certis quibusdam circumstantiis, matrimonium irritat. Est doctrina communis, pluries a S. C. C. admissa. Qui metus concipitur tum erga parentes, tum erga alios, quibus habendus est honor, ut ait Vecchiotti *De matrim, c. III, p. 215.* Mala autem timenda multiplicis generis sunt, ut v. g. verbera, minae, cohabitatio difficilis et valde molesta, amissio haereditatis, vel *aliud quodvis non minus grave periculum.*

Principia sunt haec a DD. universim admissa, nec opus est illos citare. Terminis ipsis, aut aequivalentibus videri possunt apud Sánchez, Clericato, Feye, S. Liguori, Lehmkuhl et Ballerini S. I. cum de vi et metu agant. Melius exprimi nequit conclusio, quam in verbis ultimi scriptoris *(Theol, mor. vol. 6, p. 571):* « Notant DD. gravitatem metus aestimationi prudentum et praesertim iudicis saepe permittendam, iudiciumque proferendum, spectatis circumstantiis et quali-

tatibus personae, *tum timentis,* tum *m?tum incutientis,* atque *mali natura.* - Notant 2° Non ita gravem requiri pro muliere ac pro viro ; quia hic fortior est ac constantior, mulier vero debilior, fragilior atque inconstantior ; ergo posset censeri , quoad mulierem, timor, qui gravis non esset quoad virum. Hinc, alii, ut regulam hanc generalem efficiant, volunt, nomine viri, ibi intelligi etiam, mulierem (Schmalz. *lib. 4, tit. I, pag. 431).* - 3° Malum, quod timetur, non solum debet esse grave, sed prudenter credi debet impendens. »

Ultimo notandum est, in hoc impedimento metus, *consensus semper supponitur ;* iura enim haec matrimonia non irritant ex praesumptione consensus ficti, sed irritant *suppositum consensum verum.* Consensus ergo *verus et liber* sed *ex metu datus,* supponitur. Doctrina vera, optime, modo suo, exponitur a D. Thoma, *4 Disput. 29; q u. 1 a. 3: « Quidam* dicunt, .quod si adest consensus etiam coactus, interius est matrimonium quantum ad Deum, sed non quantum ad statum Ecclesiae, quae praesumit ibi non fuisse consensum internum, propter metum. Sed hoc nihil est; quia ecclesia non debet praesumere de aliquo peccato, quousque probetur. Peccavit autem si dixit consentire et non consentit. Unde ecclesia *praesumit eum consensisse :* sed iudicat *illum consensum exstortum non esse sufficientem* ad matrimonium. »

Positis his principiis, quae in dubium revocari nequeunt, iam via patet ad discussionem validitatis huius matrimonii, D'Auria-Liguori, quae quaestio se resolvit in hanc: utrum Iustina Liguori ea, in matrimonio contrahendo, immunitate a coactione frueretur, quam ius requirit ad consensum sufficientem ad matrimonium ? Revera, in processu dubium circa utrumque sponsum movetur ; sed quantumvis rationes non desint pro parte viri, cum difficillima res sit, vim et coactionem gravem ostendere hominis 26 annorum , nulla sive mentis sive corporis infirmitate detenti, hanc quaestionis partem relinquendam potius existimavi, et rationibus in hoc sensu allatis uti tanquam adminiculis ad probationes quae ex parte Iustinae proferuntur.

Quaestioni, sic ad Iustinam restrictae, respondendum puto, salvo semper EE. PP. meliori et prudentiori iudicio, in sensu negativo; subiit enim coactionem ex parte, praesertim, avunculi sui Nicolai, quae, attentis circumstantiis omnibus, constituit metum gravem, et impellente hoc metu, reluctans et reclamans matrimonium inivit. Id avunculus confirmat in sua depositione. Verba autem avunculi confirmant depositionem Iustinae, confirmata et ipsa a quotquot in causa prodiere testes. Adfuisse coactionem aliquam erga ipsam, dubium esse nequit, quod roboratur per testes. Sunt vero testes matronae spectabilissimae, una, olim contubernalis Iustinae in collegio, altera mater alumnae, eius amicae, ambae totam historiam bene noverunt. - Deinde Raphael Liguori, frater Iustinae, lacrymis victus sororis se paratum ostendit parti haereditatis propriae renuntiari in favorem eius, ut hoc modo a matrimonio a quo abhorruit misellam liberarent : sed frustra. Nullum, praeter matrimonium, avunculis placuit medium, honori Iustinae et decori familiae consulendi; matrimonium ergo celebratum fuit. Opus non est in praesenti singillatim ceteros testes referre. Depositiones omnium in hoc conveniunt, ita ut, circa factum coactionis dubium quodvis excludatur.

Sed ulterius quaeritur, utrum haec coactio eius generis fuerit, ut metum gravem constituat ? Utique respondeo, si circumstantiae omnes rite ponderentur. Agitur imprimis de puella 15 annorum, aetatis scilicet quae, absque dubio evolutionem notabilem intellectus, et in meridionalibus, etiam physicam comportât secum ; sed quid de « charactere » ut dicunt, de fortitudine scilicet et illo animi vigore, ad quem progressu temporis, iuvenes utriusque sexus, gradu inaequali, attingunt ? Experientia quotidiana et universalis probat puellas 15 et 16 annorum et etiam aetate provectiores, etiamsi dotibus intellectualibus ornentur, formidolosas ac timidas esse, et proinde facile a senioribus, praesertim viris sibi coniunctis, posse quoad voluntatis actus externos, dominari. Id verum est etiam in Anglia ubi systema educationis mu-

liebris, quamdam, immo magnam, animi independentiam fovet, quae apud meridionales raro invenitur, nunquam fere, quando, ut m casu praesenti, puella in collegio vel monasterio disciplina quasi monastica, ab infantia allevetur.

Revera, videmus Iustinam e collegio egressam, mores infantiles conservasse ad matrimonium usque ; nugis et ludis puerilibus occupatam, eam exhibent quamplures testes - in specie, avunculus Nicolaus. Idem ferme repetunt et confirmant testes Sara Raho et Oommend. Romano, Praeses tribunalis appellationis. Vis igitur vel coactio exercebatur erga puellam imbecillem, in qua, attentis moribus infantilibus, fortitudinem qualem solent habere etiam mulieres, frustra quaereres.

Impar iam et aetate et indole ad pressionem resistendam, Iustina, ex alio capite, propria nempe culpa, in profundam animi deiectionem cecidit, cum detectis epistolis clandestinis ab unico suo refugio expulsa fuerit. Nec preces nec lacrymae quidquid profuere. Decretum expulsionis irrevocabile mansit, et e collegio exire cogitur, non sine ignominia : siquidem sententia expulsionis facto nitebatur, scil. commercio secreto per epistolas cum iuvene, quod imaginatio puerilis quam certissime exaggeravit. Fuit etenim puella pia et modesta , magnae sensibilitatis, prout inferre debemus ex iis quae dicuntur circa intelligentiae suae vivacitatem. Certum est enim, quo vivacior est intellectus eo delicatius est systema nervosum in iunioribus, qui propterea facilius impressiones subire solent timoris et formidinis. Huiusmodi metus ex sorte aspera Iustinae originem ducens, nihil, per se, favet causae, absque dubio, cum sit ab intrinseco et absque ulla ad matrimonium relatione, neque illum adduco in hunc finem. Sed iustitia exigit ut eius effectus in puellam ponderentur. Nonne demissior et abiectior fit? Nonne minuitur illa qualiscunque animi firmitas quae in femina ita puerili fingi potest, adeo ut pressio quae aliam non moveret, quoad ipsam, naturam indueret verae vis et coactionis? Iam vero consona est doctrina DD. Theol, et Iuris, quod iudicium de gravitate

metus relinquendum sit prudentiae iudicum, quorum erit aestimare vim et efficaciam coactionis, non relate ad feminam, ut ita dicam « typicam » sed habito respectu ad aetatem , indolem et characterem uniuscuiusque, cui incutitur metus. Proinde negari non potest supra recensitas circumstantias non esse negligendas, cum e contra in ipsis validum fundari potest argumentum in casu.

Duae , ex toto processu formari possunt propositiones , quae si verae et probatae sint, contentionem Iustinae omnino probabunt. - 1. Ante incoeptos ab avúnculo tractatus, Iustina nunquam seriam voluntatem, sed ad summum, puerilem quamdam vanitatem habuisse nuptias cum D'Auria contrahendi. - 2. Eius indiiferentia erga ipsum crevit usque ad repugnantiam absolutam, quam vicit solummodo coactio constans a minis non seiuncta, ab avúnculo Nicolao factis, quibus attentis, aetate sua et indole, resistere moraliter non valuit.

Prima propositio probatur ex depositione Iustinae ; circa quam, observandum est quod praeter indicia intrinseca simplicitatis et sinceritatis quae prae se fert, omnes in causa testes affirmant religionem Iustinae et veracitatem eius dictorum.

Dum his dispositionibus versaretur, ab omni idea matrimonii cum D'Auria aliena, partim ex pravo habitu iam contracto, partim ex levitate, forsitan et vanitate puerili commercium epistolare iterum admisit; sed ecce res tota patefacta est directricibus collegii, cum scandalo gravi omnium. Insuper, occasione eiusdem commercii gravissimus in corpore dolores sustinuit Iustina; solo etenim data, ut superius narratur, sensibus destituta reperta fuerit, sanguine manans, et tam serio laesa, ut per plures dies in lecto decubuit, quibus elapsis ipsi iniunctum fuit ut irremissibiliter e collegio exularet ! Quaenam cogitanda erit, quaeso dispositio animi erga D'Auria, causam vel occasionum istarum aerumnarum ? Experientia docet feminas et alios qui complexionem quasi-feminilem habent, ubi scilicet sensibilitas nervosa dominatur animo, vehementius, etiam contra irrationalia commoveri, si causa sint ipsis iniuriae alicuius vel

laesionis ; nil mirum, igitur, si indifferentia Iustinae erga D'Auriam post expulsionem crevisset, et brevi fiat repugnantia profunda et hostilitas ceu vere accidit. Testes autem concludunt, affirmando sub iuramento, sub influxu minarum, omnes tractatus anteriores matrimonii peregisse, tam apud municipium quam apud parochum.

Sub coactione contraxit etiam D'Auria, a familia numerosa et potente coactus, in quo negotio partem principaliorem habuit Nicolaus , ceu ille sub cuius potestate Iustina ob expulsionem humiliata et afflicta, toto illo tempore (1 mensis, circiter) remansit. Quisnam effectus in animo suo productus, cum viderit virum 26 annorum cedere violentiae sui avunculi ? Alter esse nequit, quam timor gravis et desperatio conditionis suae.

Iam vero tum Theologis tum Canonistis nil sanctius est, quam quod consensus matrimonialis sit plene deliberatus et spontaneus, tum ob voluntariam coniunctionem Christi cum ecclesia, tum maxime ad praecavendos tristes et infelices exitus, qui ex matrimoniis coactis derivari solent. Immo, maius et perfectius voluntarium ad matrimonium requiritur quam ad alios civiles contractus, cum hi sint minoris momenti ac dissolvi possint, voluntate contrahentium aut auctoritate legis. Ponamus Iustinam, in iisdem circumstantiis, contractum fecisse qua haereditas propria ab ipsa, perpetuo vel ad tempus, alienaretur, valebitne huiusmodi contractus coram tribunali civili vel ecclesiastico ? Minime gentium ! Et merito, quia coactio talis ac tanta moralis vitiat omnem contractum sub ipsa initum. Nulla prorsus libertate fruebatur misella ! E collegio expulsa, a parentibus derelinquitur. Ab uno solo hospitium temporaneum offertur, sub conditione vero, ut infra tempus assignatum (15 dierum) cum D'Auria contraheret. Ab initio Nicolaus intentionem suam declarat; neque moram, neque expostulationem ipse patitur. Viro etiam reluctanti, voluntatem propriam imponere scivit ; quid de puella 15 annorum, vitae ignara, ab infantia in collegio enutrita, et ideo plus ceteris formidolosa ac timida?

Ex consanguineis sat numerosis ¿ unus tantum, frater Raphael amorem verum erga miseram puellam monstrabat. Ut eam a matrimonio illo detestabili eriperet, sponte offert renuntiationem, in favorem sororis, partis maternae haereditatis sibi obvenientis; sed in hoc quoque dominantur avunculi, penes quos administratio horum bonorum ; illis propositio non placuit; et Iustinam in domum recipere, alia sub conditione, noluerunt quam ut matrimonium infra breve tempus contraheret. Elucet hoc pariter ex testimonio omnium fere in causa testium. Timebat ergo Iustina expulsionem e domo avunculi, et merito, nam ab omnibus ei repraesentabatur tanquam consequentia ineluctabilis, nisi matrimonium cum D'Auria contraheret.

Communis doctrina habet quod metus reverentialis etiam, quamvis per se levis, satis sit ad invalidandum matrimonium, quando coniungitur cum minis, precibus importunis *aut gravis alicuius mali timore;* cuiusmodi est mors, *nutilatio, iactura bonorum vel famae, et stuprum, nonnulli etiam docent (Sánchez, *De spons. 6, 17)* quod talis metus, si est causa principalis, contractum dirimat, etiam absque minis et formidine, ob summam quam requirit matrimonium libertatem ; et favet Regula Iuris «Velle non videtur qui obsequitur imperio patris vel domini ». In casu, metus reverentialis certe adfuit, immo plusquam « reverentialis », nam voluntas et vigor in agendo Nicolai effecerunt ut voluntas viri 26 annorum, non secus ac voluntas pueri necteretur ; quomodo reagere contra illam potuit Iustina, 15 annorum, domo Nicolai commorans, quando verbis imperiosis, et minis expulsionis matrimonium cum auctore dedecoris, et unico proinde resarcitore imponeret ? Sane potens erat minas exequi, iudicio puellae saltem ; nec minus certe super ipsam pollebat, et aliis mediis, honestati et sustentationi eius providere procul dubio potuit ; nisi, quod honori familiae praeoccupatus, unum, ab initio elegit, et totam voluntatis vim exercuit, ut illud, matrimonium scilicet ab utroque, D'Auria et Iustina, amplectere tur.

Fuit ergo vera et gravis coactio ; et quamvis argumenta potiora allata ex depositione Iustinae desunientur, fidem merentur absolutam, tum propter religionem et sinceritatem ipsius, quas omnes testes extollunt, tum quia confirmantur, aliis testimoniis e fontibus omnino independentibus.

Plura addi possunt eiusdem generis, sed, haec, ni fallor, sufficient. Creverat repugnantia Iustinae, ita ut quocumque modo parata esset matrimonii quod exhorrebat, evitare. Sed voluntati suae dominabatur potentior voluntas avunculi, et metu expulsionis ab unico certo refugio, cooperante, miserae sorti se submittit.

Praecedentia ergo matrimonium exhibent, unionem non ex amore, sed ex coactione, cui nulla puella trilustris resistere potuit, videamus nunc subsequentia. Res paucis absolvi potest. Satis est audire Iustinam cuius verba ceteroquin iterum plenam confirmationem recipiunt ex depositione D' Auria et ceterorum testium. Imprimis ex eius depositione elucet simplicitas vere infantilis cum ignorantia totali eius quod est matrimonium. Nec minus clare apparet nullum fuisse erga virum, amorem. Ab amplexibus aufugit, vult esse tanquam soror, et nonnisi post duos dies conflictus congressum maritalem admisit. Confirmat haec ipse D'Auria. Igitur ex subsequentibus sicut ex praecedentibus hoc coniugium, unum inferri debet, scilicet puellam hanc, inter pueriles puerilem, fuisse vere coactam metu reverentiali erga avunculum praepotentem, coniuncto cum minis eiectionis ex unico, quod ei erat refugium a meretricio. Talis vero metus in similibus circumstantiis et iuxta omnes impedimentum dirimens ob gravem quam infert, laesionem tum libertati tum consensui necessariis ad matrimonium.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO.

Neapolis coram parocho ecclesiae Matris Dei matrimonium die 31 Iulii 1876 legitime contraxerunt trilustris adolescentula Iustina Liguori et Franciscus D' Auria iuvenis 25 annorum. Brevem deinde susceperunt rusticationem in amoenissima planitie agri surrentini, coniugali genio induxerunt, Aliamque

procrearunt, et in individua vitae consuetudine perseverarent usque ad diem 25 Septembris 1879, quo Iustina a viro suo discessit non amplius ad eum reversum. In suscepto huiusmodi consilio ita perstitit ipsa, ut omnem cum viro suo reconciliationem respuerit, atque in nihilo alio cum eodem viro convenerit quam in promovenda laici iudicis sententia quoad tori coniugalis separationem. Qua consequuta, alium virum aliquanto post sibi invenit amatorem, cui turpiter adhaesit, ac legitime nubere modo vellet,

Metropolitanam ideo curiam supplex anno 1887 adivit, expostulans, ut suum matrimonium cum Francisco D' Auria nullitatis vitio infectum renuntiaretur, utpote contractum, nedum cum defectu sufficentis discretionis seu cognitionis status matrimonialis, verum etiam cum consensu coacto per vim et metum sibi intuitu eiusdem matrimonii iniuste illatum. Franciscus autem, qui Iustinae petitioni ultro consentiens est, metu pariter se ad memoratas nuptias coactum fuisse asseruit ; et praefata curia, iudicio super his omnibus instituto, in hanc sententiam die 28 Augusti 1890 devenit, nempe: « matrimonium initum die 31 Iulii 1876 inter Franciscum D' Auria et Iustinam Liguori fuisse irritum, cassum et nullum ex defectu consensus, quippe probabiliter ab utroque sponso, et certo a muliere Liguori contractum ex coactione et metu gravi a causa libera iniuste il lato ad consensum in matrimonio extorquendum. » Cui quidem sententiae calculum suum adiicere autumarunt duo eximii Consultores ad huiusmodi negotium penes S. C. examinandum adlecti.

Verumtamen, processus actis pro mei muneris officio diligenter perscrutatis , non adeo valida et concludentia inveni argumenta, ut idipsum mihi suadere queam. Praeprimis enim defectum discretionis seu cognitionis status coniugalis tantopere ab actrice decantatum iure meritoque profligavit lectissimis consultor theologus, utpote veritati minime respondentem, et nullo ceteroquin in pretio habuit neapolitana ipsa curia. Ex pluribus siquidem ab eadem actrice deductis ad memoratum discretionis defectum asserendum, con-

trarium manifeste apparet. Hoc unum recolere ad id sufficiat, quod tribus saltem vel quatuor annis ante matrimonium conscientiam habebat, ut ipsa ait, turpissimae vitae patris sui.

Non est pariter cur huc immorer quoad metum, qui viro *probabiliter* illatus asseritur, cum et probabilitas nihil in re nostra operetur, et probabilis huiusmodi metus nec illatus fuisset viro matrimonium nolenti sed maxime appetenti a duobus ferme annis et petulanter sollicitanti, nec praeterea iniustus dici posset, quia ipse praecise fuerat causa damni, a Iustina passi per expulsionem a collegio S. Marcellini, ubi securo et gratuito hospitio eadem gaudebat.

Iniustum vero metum, qui Iustinae illatus asseritur ad extorquendum consensum in matrimonio, solido ac iuridico fundamento minime innixum perspicio. Recolendum namque est, huiusmodi matrimonium Iustinae propositum fuisse ab initio saltem mensis Iunii 1875, nec eidem displicuisse, prout ipsa fatetur, et subsequutum litterarum commercium ostendit.

Recolendum itidem est, quod cognito a collegii moderatrice clandestino literarum commercio, statutaque su'binde expulsionis poena, ad avunculum Nicolaum Campobasso se convertit Iustina, eiusque auxilium imploravit, ut ipsa narrat.

Cohaerenter ad haec nuptiales tractatus processerunt non per 15 dies, sed per ultra duos menses, quin aliquid interim concordes avunculi et neptis animos turbaverit : non saevitiae, non minae , non contentiones , prout in^ assimilibus casibus evenire solet.

Et ipsemet avunculus licet asserat, neptem discretione et libertate caruisse, fatetur tamen, minime habuisse animum voluntati eius vim inferendi. Atque haec insuper asserta libertatis privatio non aliter profecto intelligi datur, quam iuxta modum ab Alphonsina Navarro Ramo explicatum aiens: Iustina aetate 15 annorum nequibat entitatem comprehendere matrimonii ad quod ex adiunctis adigebatur; idest a deficientia bonorum fortunae et familiae, utpote quae niti nequibat familia patris aut avunculorum.

Quidquid igitur sit de miserandis angustiis Iustinae, nihil tamen proficere ipsa valet quousque non ostendat, décantât um metum sibi illatum fuisse a causa libera et quidem ex animo extorquendi consensum in matrimonium. Audiatur sane prae ceteris Sánchez, in hac materia facile princeps, *De matr. lib. 4, disput. 12, num. 3 et seqq.*

« Hac in re est QUAEDAM CONCLUSIO CERTISSIMA APUD OMNES , nempe, quoties metus non est incussus AD EXTORQUENDUM MATRIMONIUM, sive proveniat a causa naturali, sive libera, QUANTUMVIS GRAVISSIMUS sit, NON REDDIT IRRITUM MATRIMONIUM. Probatur... quia involuntarium quod in eo matrimonio invenitur, non est intentum ab incutiente metum, sed tantum habet occasionem ex ipsius nequitia____Ex hac conclusione infertur, matrimonium conctractum per detrusum in carcerem, si NON EX ANIMO EXTORQUENDI MATRIMONIUM detrusus sit, VALIDUM ESSE. Quia quamvis metus carceris gravis sit, ac proinde reddat nullos contractus incarcerati— et subinde matrimonium deberet esse nullum : QUIA TAMEN METUS IS NON incutitur GRATIA MATRIMONIUM EXTORQUENDI , VALIDUM EST. »

Prosequitur idem Sánchez : « Quinto infertur, validum esse matrimonium, dum morte damnatus, quo incolumis evadat, ducit meretricem, iuxta morem aut statutum aliquarum regionum. Quia is metus non eo tendit, UT MATRIMONIUM INEAT , sed propria sponte damnatus id evadendi medium eligit... Sexto infertur, idem esse dicendum, etiamsi ipse damnato minime offerat matrimonium, sed alius ei promittat immunitatem ab ea poena, si certam feminam ducat. Quia tunc nullus metus incutitur AD MATRIMONIUM EXTORQUENDUM , sed metus aliunde incussus aufertur. oblata illa conditione____Immo si ipse iudex capto iuste, mortemque timenti, vitae condonationem promittat, si ducat ipsius iudicis filiam, aut feminam, alioquin ei mortem iuste inferendam comminetur VALET MATRIMONIUM. Quia metus non iniicitur ad MATRIMONIUM INEUNDUM, sed iam conceptus aufertur, tradi turque evadendi periculum modus. »

Postremo clarissimus Sánchez confutai doctores qui praeiactam doctrinam videntur « limitare *quando si* IUSTE *captus erat, morsque* IUSTE *in f erenda erat:* » atque docet sine ambagibus metum ex causa sive iusta sive INIUSTA incussum valori matrimonii minime officere, si incutiens haud animo intendat consensum in matrimonium per hoc extorquere. Adiicit enim: « Existimo, parum referre ad matrimonii huius valorem sive *iuste sive* INIUSTE damnatus sit. Quia hoc matrimonium EX EO non redditur irritum ob hunc metum, QUIA METUS NON INIICITUR AD ILLUD EXTORQUENDUM, Sed metus iam conceptus aufertur : ergo impertinens est, an metus ille conceptus fuerit ex *iusta* CAUSA, NEC NE. SOLUS enim metus, iniuste illatus AD EXTORQUENDUM MATRIMONIUM, illud dirimit. »

Quibus animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae ecclesiasticae Neapolitanae confirmanda vel infirmanda sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C . die 16 Iunii 1894 re disceptata censuit respondere : *Non constare de nullitate matrimonii.*

Ex QUIBUS COLLIGES I. Solummodo metum iniuste illatum, ad extorquendum matrimonium, valere illud dirimere.

II. Quoties enim metus non incutitur ad extorquendum matrimonium, sive a causa libera, sive a causa naturali, matrimonium non irritatur : et ideo validum esset matrimonium contractum a detruso in carcere, qui carceri praeferret matrimonium, dummodo detrusus non fuisset causa matrimonii ineundi.

III. Hoc enim in casu involuntarium quod in dicto matrimonio invenitur, occasionem habet a propria nequitia, non a causa extrinseca; quia damnatus ad carcerem sponte sua eligit hoc evadendi medium, per quem metus iam conceptus aufertur.

IV. Avunculum in themate videri non habuisse intentionem vim inferendi nepti, quamvis satageret ut desideratum matrimonium miretur ; ideoque septem praetulisse matrimonium angustiis vitae, quas improbitas vafrae feminae Valente dicteriis adauxit.

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

HABANEN.

REDDITIONIS RATIONUM

Die 24 Augusti 1894.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Anacletus Redondo et Marin parochus B. M. V. de Monteserrato in civitate Habanensi et Collector seu Administrator Cappellaniarum a variis annis, an. 1891 accitus fuit apud Curiam habanensem a quodam Cappellano Emmanuele Moreion et Rodríguez ad reddendam rationem 20 Cappellaniarum quas praefato Collectori pro Administratione tradiderat.

Imposito a Curia mandato sacerdos Redondo paruit : verum in redditione rationis res pacifice non processerunt : siquidem in parte passivi seu exitus relati erant 400 aurei nummi *pesos* (libellae 2000) quos Cappellanus Moreion expensos fuisse negabat ; e contra sacerdos Redondo aiebat cxpensos fuisse ad procurandas attestationes iustificati vas solutionis taxarum 20 Cappellaniarum. Quaestio devoluta fuit ad Curiam habanensem, quae die 11 Ianuarii 1892 retento quod a sacerdote Redondo praefata summa non soluta fuisset vel sin minus absque debita delegatione, invocato cap. 11, sess. 22 de Ref. Conc. Tridentini contra usurpatores bonorum ecclesiasticorum dictum sacerdotem ad restitutionem controversae summae damnavit et declarans eum excommunicatum inhabilemque ad quodcumque ecclesiasticum officium removit a paroecia et ab administratione cappellaniarum et oblationum adiecta etiam damnatione ad iudiciales expensas.

Ab hac sententia sacerdos Redondo provocavit ad Curiam Metropolitanam S. Iacobi de Cuba, quae die 14 Oct. 1892 appellatam sententiam omnino infirmavit cum iure appellanti

ad omnium damnorum et expensarum refectionem. Huic sententiae non acquiescens sacerdos Moreion et Curia Habanensis, illico declaravit se appellare ad S. Sedem et subsidiarie ad tribunal Episcopale de Portorico. Acriter haec appellatio impugnata fuit a Curia Metropolitana et sacerdote Redondo ob Breve Gregorii XIII *Exposcit debitum* an. 1578 quo ad preces Philippi II Hispaniarum regis concessum est privilegium, ut omnes causae ecclesiasticae in regionibus transmarinis Hispanicis inibi in ultima instantia unirentur. E contra sacerdos Moreion et Curia Habanensis ita Breve interpretabantur, ut non intelligeretur per hoc exclusa appellatio ad S. Sedem. Interea acta causae ad S. Congregationem pervenerunt quae, praevio decreto diei 5 Augusti, *ut pendente lite, Orator Redando rehabilitetur ad missae celebrationem,* rem iussit discutí in plenario EE. PP. conventu.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO SACERDOTIS REDONDO. Patronus praemisso quod sacerdos Redondo in dioecesi maxime benemeritus sit ex testimonio ipsius Ordinarii, in primis conqueritur de illegali forma iudicii, siquidem causa introducta fuit absque formali libello, sed ad simplicem instantiam sacerdotis Moreion petentis coactionem clientis Redondo ad redditionem rationis 20 Cappellaniarum et solutionem 400 nummorum aureorum vulgo *pesos,* et evoluta, spretis elementaribus iuris regulis: sententia autem fuit nedum iniusta et arbitraria, sed etiam inspirata ex odio partis, quod argui bene potest ex modo quo executioni' fuit ab ipsa Curia iudicante demandata. Siquidem eodem die quo edita fuit, iudex se contulit ad Collectoriae officium et dein ad domum paroecialem cum sua Curia stipatus a tribuno et decem militibus pro vigilantia accessuum indicens Redondo lecto ex infirmitate decumbenti paroecialem habitationem relinquere infra peremptorium terminum trium dierum, quamvis ex fide trium medicorum hoc impossibile foret: hinc Orator protestatur de *laesa iustitia et humanitate* et concludit advertendo quod tum ex enarratis

tum ex incidentibus secutis propter interpositam appellationem a sac. Redondo ad tribunal Metropolitanum dum ex una parte istius humilitas et patientia scatet, ex parte Curiae habanensis odium et persecutio clare apparet.

Propius deinde Orator accedens ad causae meritum, orationem in duas partes dispescit; in quarum prima contendit male a sacerdote Moreion appellatum fuisse a tribunali Metropolitano ad S. Sedem contra patulam dispositionem Brevis Gregoriani citati *Exposcit debitum.* Sane per hoc, introducto novo ordine iudiciorum sub poena nullitatis, in regionibus ultramarinis ditionis Hispanicae statuitur quod si prima sententia Episcopi sit confirmata a Tribunali Metropolitano, vel si primum iudicatum Metropolitani sit firmatum a sententia Episcopi vicinioris, ad quem appellandum est, hae sententiae habeant vim rei iudicatae ; si vero duae sententiae sint difformes, tunc appellatione facta ad Episcopum viciniorem , hae sententiae eamdem vim iudicati nanciscentur quae sint conformes : in casu itaque, pergit patronus, sacerdos Moreion appellare debebat vel ad alium Metropolitam aut alium Episcopum viciniorem provinciae : quod cum non peregerit, eius appellatio, utpote contra citatum Breve, nullitatis vitio laborat.

Quin aliquid in contrarium facessat quod sacerdos Moreion in sua appellatione ad S. Sedem declaraverit se in via subsidiaria etiam invocare tribunal Episcopale de Portorico quia appellatio iuxta vulgata iuris principia debet esse pura, simplex et absque conditione.

Neque pariter valeret obiici, prosequitur patronus, quod citatum Breve hodiernis temporibus amplius vim suam non explicet : recens est enim causa agitata apud S. Congregationem Concilii *Hispaniarum et insulae Cubanae - Iurisdictionis* - (1) : patronus speciem refert quae ita summatur. Quidam sacerdos Salvadores appellaverat ad Rotam Matritensem contra sententiam Vicarii Generalis S. Cristofori de

(1) Haec causa per totum relata fuit in Vol. 24 pag. Ö77 et seqq.

Habana, qui eum damnaverat ad decem dies spiritualium: recessuum : Rota accepit appellationem non obstante exceptione incompetentiae prolata a Vicario Generali, et revocans poenam inflictam pro executione delegavit Archiepiscopum S. Iacobi de Cuba. Vicarius appellavit ad S. Sedem : et proposito dubio: *An sententia Rotae Matritensis ex competentiae defectu nulla et irrita sit in casu.* Sacra Congregatio die 5 Martii 1892 cunctis suffragiis rescripsit : *Affirmative et amplius.*

Postea patronus progrediens ad secundam orationis partem contendit sententiam Metropolitani Cubani omnino confirmandam esse ; quod ut obtineat, observat iure meritoque per eam revocatum fuisse iudicatum Tribunalis Habanensis, utpote nullum sive in forma sive in substantia : quoad primum praeter defectus superius relatos, recolit Orator omnia gesta fuisse ex puro iudicis arbitrio ; non fuere praefixi et notificati termini ad adducendas probationes vel ad ipsarum conclusionem, non fuere recepti testes, praeter fratrem sacerdotis Moreion, et sententia post duo minuta ab eius notificatione ab ipso iudice personaliter executioni fuit commissa modo ut supra relato.

Quoad alterum punctum nempe nullitatem sententiae habanensis in substantia ita rem conficit Orator. Sacerdos Redondo accusatus quod posuisset in parte passiva 400 *pesos* quia dictam summam vel non solverat, vel solverat absque debito mandato, ipse appellavit ad conventionem secutam inter se et procuratorem sacerdotis Moreion tradendi enunciatam summam Ioanni Marin pro obtinendo iustificationes solutarum taxarum fisco, ut sic impediretur sequestratio redituum cappellaniarum : haec conventio quamvis non scripta; tamen testibus probari poterat : nihilominus iudex Habanensis solum recepit testimonium fratris sacerdotis Moreion. Sed admittatur istius creditum pergit patronus : in actis administrationis Cappellaniarum adest notula, ex qua resultat quod sacerdos Redondo est creditor contra Moreion in summa *pesos* vel nummorum aureorum 596. 42 1 2 a qua si detra-

hantur 400 *pesos* controversi, sacerdos Redondo adhuc est creditor contra Moreion in summa 196. 42 1;2 *pesos*.

Tandem Orator contendit impugnatam sententiam carere omni iuridico effectu : poenae enim inflictae non sunt effectus et consequentia iudicii criminalis sed tantum iudicii privati civilis, quale profecto reputari debet illud promotum a Mandante Moreion contra suum specialem mandatarium pro redditione rationis suae gestionis.

Sed detur etiam quod iudicium fuerit criminale, tamen nullimode attendi posse dicit patronus, eo quia defuerunt omnia elementa substantialia, qualia sunt auctoritas ecclesiastica, Fiscalis Generalis, auditio rei, et constitutio defensoris : item non potest sustineri inflicta excommunicatio quia non praecessit trina monitio, et quia deficit fundamentum ipsius, nempe supposita usurpatio bonorum ecclesiasticorum, nam sacerdos Redondo non Usurpator, uti visum est, sed potius spectari debet ceu creditor erga Moreion ; item non sustinentur aliae poenae, quia in his irrogandis spretae sunt omnes iuris regulae, inter quas illa existentiae specialis Commissionis quae omnino iudici primi gradus necessaria erat ad iudicandum : hinc patronus concludit pro confirmatione sententiae Tribunalis Metropolitani.

Ex adverso sacerdos Moreion nullum patronum elegit sed tantummodo transmisit ad S. Congregationem acta iudicialia secuta in Curia habanensi et Tribunali Metropolitano, quibus adiunxit nonnullas observationes in iure et in facto supra *Considerando* et *Resultando* sententiae Metropolitani, nec non authenticam attestationem Vicarii Generalis Habanensis circa statum praesentis controversiae emissam ad instantiam ipsius Moreion.

Quibus perpensis, nec non observationibus prae oculis habitis, quas Vicarius Generalis Habanensis deduxit in uteris diei 29 Septembris 1893, supposita sunt diluenda sequentia

Dubia

I. *An sit locus appellationi in casu t*

Et quatenus affirmative.

II. *An et quomodo confirmanda vel revocanda sit sententia Curiae Metropolitanae S. Iacobi de Cuba in casu.*

RESOLUTIO. Sacr. Congr. Episc, et RR., re mature discussa sub die 24 Augusti 1894, proposita dubia resolvit prout sequitur: *Ad* I. *Affirmative. Ad* II. *Attentis substantialibus formae defectibus in iudicio habanensi, sententiam Curiae Metropolitanae esse confirmandam, inspecto autem ulterius causae merito sacerdotem Redondo teneri ad solutionem quatuorcentum nummorum aureorum: eumdem tamen nullatenus incurrisse excommunicationem et poenas statutas a sacrosancto Conc. Trid. in cap. XI, sess. 22 de Reform., ideoque restituendum esse in sua paroecia aliisque beneficiis et officiis cum proventi/:)us et fructibus productis aut qui produci potuerunt a die privationis.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

BRUGEN. Decretum Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Idesbaldo tertio Abbati Dunensi ordinis Cisterciensis.

Idesbaldus christianis parentibus ortus in Flandria anno millesimo et centesimo, a primis aetatis annis praeclara de se portendere visus est, quum a mundi solatiis, quae tantopere iuvenes solent appetere, omnino abhorrens, iam tum humilitate excellens, Dei tantum amore inflammatus, mente in eo suaviter absorpta, Deum assidue cogitabat. Quare Deo coniungi illique unice inservire vehementer cupiens, ut primum per aetatem licuit, sacerdotio auctus est: ac statim peccatores gratiae restituere, lugentes consolari, consilio dubitantes iuvare, imo ad animas fratrum facilius lucrandas, corporalibus ipsorum indigentiis subvenire in deliciis fuit Idesbaldo: qui propterea divitias, quibus

luculentissime fruebatur, profuse egenis largitus est, sibi tantum retinens, queis ad vivendum opus foret. Ad aulam Theodorici, Flandriae Comitis, advocatus, datusque moderator iuniori Principi, consiliis ac morum integritate, opere et sermone aulicis et famulis egregia praebuit exempla, quibus illi vitam coenobio potius dignam quam saeculo breviter agere visi sunt. Verum praepotenti solitudinis desiderio incensus Idesbaldus, mundum aularrique deserens, ad Ordinis Cisterciensis Dunense Monasterium se recepit: ubi constanti studio ad perfectionem incumbens, humilitate ac mitissima suavitate, omnium confratrum animos sibi devinxit. Ad cantoris munus electus, utpote qui canora praeditus erat voce, tanta sedulitate huiusmodi officio fungebatur, ut laudibus divinis unice vacans, illa etiam, quae ad vitam necessaria sunt, negligeret. Praeclari hominis virtutes sanctamque vitam Monachi admirati, unanimi voto Idesbaldum Abbatem Dunensis Monasterii elegerunt : quo in munere tanta prudentia atque omnigena virtute praestitit, ut ocius egregium monasticae vitae exemplar emicuerit, ac tamquam pater amantissimus a subditis merito coleretur. Postquam vero duodecim annos Abbatis munere functus esset, meritis ac sanctitate insignis, brevi implicitus morbo, die decima octava Aprilis, anno millesimo centesimo sexagesimo septimo, placidissime obdormivit in Domino.

Ad ecclesiam, ubi eius cadaver erat expositum, ingens civium ex omni ordine confluxit multitudo ; quorum alii *Sanctum* Idesbaldum praedicabant, alii pia direptione vestium particulas resve ad defunctum pertinentes auferebant, plerique vero intercessorem apud Deum implorabant, ut facilius quae peterent, assequerentur. Eius fama sanctitatis, ex virtutibus exorta, nunquam intercidit; ac tam penes vulgus quam penes doctissimos viros ita percrebuit, ut elapso tot saeculorum cursu, quotidie solidior et latius pervulgata in dies increverit. Hinc sacellum Deo in Beati Idesbaldi honorem erectum, et solemnitas in ecclesia, ubi sacrae eius exuviae asservantur, quotannis celebrata, adstante innumera gentium multitudine; hinc ad eius sepulcrum frequens populi concursus e finitimis etiam regionibus, atque a pretioso ipsius obitu usque in hodiernam diem cultus perseverans. Eapropter, instante Rev. P. Torquato Armellini, Societatis Iesu, causae Postulatore, processus super immemorabili cultu ecclesiastico eidem Idesbaldo praestito, a Rmo Episcopo Bru-

gensi confectus fuit, ac favorabilis desuper sententia edita. Modo vero, quum, nomine praefati causae Postulatoris, nec non eiusdem Rmi Episcopi Brugensis, atque universae huius Dioeceseos, a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, causae Ponente seu Relatore, in ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens Dubium discutiendum propositum fuerit, nimirum : « *An sententia praedicti Rmi Episcopi Brugensis super Cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Idesbaldo seu super casu excepto a Decretis f. r. Urbani Papae VIII, sit confirmanda, in casti, et ad effectum, de quo agitur?»* Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 10 Iulii 1894.

Facta postmodum de iis a meipso infrascripto Cardinali Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 23 iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Praefectus.*

L. & S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

EX S. CONGR. R. ET U. INQUISITIONIS

DUBIA quoad cognationem spiritualem, quum quis eodem sacramento, teneat plures filios eiusdem personae.

Beatissime Pater,

EpiscopusRuthenensis et Vabrensis, Cardinalis Bourret, haec Sanctae Sedi exponendi veniam petit.

Reperire est apud nos, aliquem esse patrinum, in confirmatione, duorum aut plurium filiorum alterius; et idem accidere potest, rarius tamen, in baptismo.

Duo, in eo casu, aut plura esse impendimenta compaternitatis spiritualis inter patrinum et horum filiorum matrem, et illa omnia

esse in petitione dispensationis exprimenda, affirmant Sánchez, 1. VIII, disp. xxiv, n. 4 et 5; Salmanticenses, *De Matrimonio*, c. xiv, n. 69 et 51; S. Ligorius, 1. vi, n. 1138; et alii. Et hujus afferunt probationes: I° Causae sunt distinctae, aut etiam diversae, scilicet plura sacramenta et plures pueri. Ergo et effectus seu impedimenta sunt diversa. — 2° Is, qui rem habeat cum duabus intra secundum gradum consanguineis sponsae, duplex impedimentum affinitatis habet cum ea. Ita hic duos eiusdem matris filios tetigit in confirmatione, dupliciter illi spiritualiter iunctus est. — 3° Is certe cum unoquoque puero habet cognationem spiritualem; ergo et cum eorum matre ex duplici vario capite. — 4° Plura haec impedimenta sunt in petitione dispensationis declaranda; majus enim efficiunt impedimentum, et graviorem exigunt causam ad dispensandum.

Nostri hodierni scriptores fatentur duo quidem esse impedimenta spiritualis cognationis et ea in libello ad dispensationem esse declaranda, si unus fuit patrinus filii alterius et ista vicissim matrina filiae prioris; item, si quis eumdem filium e sacro fonte levavit et in confirmatione tenuit. Quidam vero negat duo aut plura esse impedimenta, si quis duos aut plures filios alterius tenuit in baptismo, vel in confirmatione; aut saltem unum tunc esse declarandum impedimentum affirmat; quin tamen huius rationem afferant.

Nullum de hoc decretum Sacrarum Congregationum inveni. Unde humiliter ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, sequentibus responsum a Sancta Sede expostulo:

I. Ts, qui levavit e sacro fonte, aut tetigit in confirmatione duos aut plures filios eiusdem matris, habetne cum illa tot impedimenta compaternitatis quot eius filios sic tenuit?

II. Haec omnia impedimenta suntne in libello supplici enuntianda, ut valeat dispensatio ?

Datum Ruthenis die 17 Februarii 1894.

Sanctitatis Vestrae addictissimus filius et creatura vestra.

Eme et Rme Domine mi Observantissime.

Litteris diei 17 Februarii pp. signatis quaerebat Eminentia Tua:

I° Is qui levavit e sacro fonte aut tetigit in confirmatione duos aut plures filios eiusdem matris, habetne cum illa tot impedimenta compaternitatis spiritualis, quot eius filios sic tenuit?

2° Haec omnia impedimenta suntne in libello supplici enuntianda, ut valeat dispensatio?

Re discussa in Congregatione Generali habita feria iv die 7 Martii huius anni, Eminentissimi Domini Cardinales, una mecum Inquisitores Generales, respondendum decreverunt:

Si quis plures eiusdem personae filios eodem Sacramento teneat, cognationem spiritualem non augeri, et consequenter opus non esse ad dispensationis validitatem ut in supplici libello haec circumstantia exprimatur.

Interim impensos..., etc.

Romae, 29 Aprilis 1894.

R. CARD. MONACO

DECRETUM respiciens visionariam Mathildem Marchat eiusque contubernaies et fautores e Loigny, Dioecesis carnutensis in Gallia.

Illustrissime et Reverendissime Domine,

Non semel, tam elapso tum currente anno Amplitudo Tua ad hanc Supremam Congregationem litteras dedit, notam visionariam Mathildem Marchat eiusque contubernaies et fautores respicientes; quibus relatis in congregatione generali habita iv Feria die 17 Iunii pp., Eminentissimi Domini Cardinales, una mecum Inquisitores Generales, sequens tulere Decretum:

Mulieribus de quibus huc usque actum est, scilicet Mathildi Marchat et omnibus et singulis eius contubernalibus intimetur per R. P. D. Episcopum Carnutensem quod, nisi intra unius mensis terminum paruerint decretis S. Sedis, sese simpliciter subiiciendo, incident ipso facto in excommunicationem, Summo Pontifici reservatam.

Eamdem excommunicationem incurrunt illis adhaerentes, faventes, auxilium suppeditantes et quomodolibet cooperantes, absolutione Summo Pontifici reservata.

De hoc moneatur specialiter mulier, cui nomen Trouillet, eidem etiam significando, ut revocet, si fieri potest, donationes illis mulieribus et praetensae communitati factas, et in posterum abstineat a quavis alia donatione facienda.

Eadem monitio, de excommunicationis intermina tione Summo Pontifici reservatae a faventibus incurrendae, fiat Domino

Jordan per R. P. D. Archiepiscopum Lugdunensem, cui opportune ei separatim scribatur. *(Haec Eminentissimorum Patrum iussio executioni iam mandata est.)*

Eamdem excommunicationem incurrunt presbyteri ministrantes, adhaerentes, faventes et quomodolibet cooperantes, absolutione Summo Pontifici reservata.

Eamdem excommunicationem incurrunt in casu reincidentiae presbyteri accedentes ad domum de qua agitur, ob accessum iam suspensi, utriusque censurae absolutione Summo Pontifici reservata.

Hoc decretum erit non tantum intimandum ut supra, sed etiam publicandum a R. P. D. Episcopo Carnutensi per edictum affìgendum ad valvas paroeciae *de Loigny.*

Tandem Decretum condemnationis, iam latae *Annalium de Loigny* iterum affigatur valvis eiusdem ecclesiae, quod extenditur nomine Sanctae Sedis ad fasciculos Annalium eorumdem hucusque editos et ad quasvis alias per typos impressiones pro rebus *de Loigny* hucusque editas.

Quod dum ad Amplitudinis Tuae, ut mei muneris est, notitiam defero, fausta quaeque ac felicia Tibi precor a Domino.

Amplitudinis Tuae,

Romae, die 4 Iulii 1894.

Uti Frater,

L.-M. CARD. PAROCCHI

Dno Episcopo Carnuten.

APPENDIX III.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST. ; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 31 Martii 1852. - Vic. Ap.- Hunan
Dubia quoad nonnulla opera, quae suspicantur superstitiosa

1. An liceat comitari processionem draconis, explodere tormenta, eo transeunte, dare candelas pro draconis laterna,. vinum et pecuniam pro hac superstitione.

2. An liceat christianis conducere domum cum obligatione deferendi vel per se vel per alium laternam in processione cum dracone.

3. An liceat saltem aliquid contribuere cum protestatione dicendo: ***hoc est non pro dracone sed pro te qui colligis distributiones.***

4. An occasione defuncti liceat, dum occiditur sus, ut paretur convivium, facere explosiones.

5. An liceat filiis et nepotibus comitando cadaver patris et matris telae albae longum frustum deferre ad ostendendum esse posteros qui possint vocare bonzios ad rumpendum infernum.

R. Ad 1. et 2. Non licere.

Ad 3. Non licere et Decretum fer. V. 16. Novembris 1769 ut sequitur: ***Decretum:*** «Quaeritur an sit Unitum contribuere candelas pro draconis laterna, vinum et pecuniam, et explodere tormenta pro hac superstitione. — Respondetur : In proposito casu non licere.

Ad 4. Negative.

Ad 5. Non licere.

Ex Constit. Inter omnigenas Bened. PP. XIV. 2 Febr. 1744.
De celebratione nuptiarum apud Mahumetanos

In celebratione nuptiarum observentur tempora ab Ecclesia catholica praescripta. Quod si intra vetitos dies mahumetani suas nuptias celebrantes, aliquem ex fidelibus officii causa invitaverint, quoniam Ecclesiae praecepta ad eos qui foris sunt minime pertinent, non prohibentur catholici Serviae, christianam modestiam secum ferentes, illis

interesse, dummodo fieri possit absque Creatoris iniuria, et offensione fidelium et Ecclesiae Dei; et nulla in turcarum nuptiis Mahumetis invocatio, nullique superstitiosi ritus intercedant, quibus invitati, ore vel opere, iungi debeant et consentire. Quae tamen infidelium consortia et profana convivia, si quantum poterunt devitare curaverint, multa sane animarum pericula praecavebunt.

S. C. de Prop. Fide. - C. P. pro Sin. 2 Iulii 1827 - Vic. Ap. Siam.
Dubia quoad opera superstitiosa

1. Aliquando rex, princeps, praefecti fiunt bonzii ; tempore quo induunt pannum bonziorum possuntne christiani prosternere se coram illis, et salutare iuxta morem Regni, quin faciant aliquam protestationem, praesertim si fieri nequeat? Habetur ille pannus flavus tamquam pannus divinus, et bonzii appellantur ***dii.*** Quid si medici ipsi bonzii sint? Non enim possunt adiri sine praevia salutatione. Quid si cognati, aut aliquando proprius parens sint bonzii? Etenim non salutare propinquos vel maiores esset causa magnae criminationis contra religionem christianam.

2. Mortuo rege aedificant siamenses rogum magno cum apparatu per plures menses, ad cremandum corpus. Constituto die quo cremari debet, invitantur talapuini multi ad orandum pro defuncto, et aspergendum illorum aqua, quam vocant benedictam, aliaque perplura agunt supestitiosa. Si iubeantur christiani portare lateres aut ligna pro constractione aedificii, possuntne adiuvare? Si renuant, ut ingrati erga regem detrectantur. Vocantur milites christiani ad comitandum novum regem, et custodiendum in medio turbarum quando vadit ad accendendum rogum.

R. Iuxta votum et instructionem D, Consultoris.

INSTRUCTIO. — Salutationes vel gratulationes quae fiunt erga gentiles et idololatras, occasione qua ad dignitatem aliquam promoventur, illicitae habendae sunt, si dignitas illa ad superstitiosa tantum, et nihil ad civilia referatur; quia gratulationes essent de re mala. E contra licitae existimandae erunt si dignitas illa non ad religiosa tantum, sed etiam ad civilia referatur et politica ; quia cum salutationes et gratulationes illae fiant ab hominibus qui publice christianam religionem profitentur, intelligi debent factae ob relationem dignitatis illius ad civilia, minime vero ad religiosa et superstitiosa, et in hoc casu protestatio quae in prima hypothesi actum licitum non faceret, non est ne-

cessarla; suaderi tamen poterit, nisi rei christianae aliquod ex ea damnum oriri facile posse praevideatur. Hisce principiis missionarius quaestionem solvere facillime poterit de salutationibus ethnicis hominibus faciendis occasione qua bonzii fiunt, et tempore quo pannum induunt bonziorum.

Relate ad cooperationem ad ritus superstitiosos haec tenenda regula est: si cooperatio pars fuerit ritus superstiti osi, tunc formalis censenda erit, intrinsece mala; et numquam fieri licita poterit. E contra censenda erit materialis, si pars non fuerit ritus superstitiosi. Grave aliquod damnum quod oriatur cooperanti, si ab hac materiali cooperatione abstinere voluerit, licitam eam faciet, etiamsi scandalum adfuerit quod pusillorum dicitur a theologis; quia ex lege caritatis nemo tenetur cum gravi suo damno scandalum istud removere. Quamobrem si missionarius praeviderit christianis, qui adlaborare iubentur ad costruendum rogum, de quo in proposito dubio, grave damnum oriturum si illius constructioni adlaborare recusent, etiamsi scandalum adfuerit ***pusillorum*** nuncupatum, christianos illos peccati reos declarare non poterit.

Quod spectat ad christianos milites qui vocantur ad comitandum et custodiendum regem de medio turbarum euntem ad accendendum rogum, tenenda est Tertulliani doctrina ***Lib. de Idololatria cap. 5.m-*** quientis: «Utinam nec videre possimus quae facere nobis nefas est. » Sed licebit adesse in quibusdam quae nos homini, non idolo officiosos » habent... Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps ido- » lolatriae: si me alia causa coniungit sacrificanti, ero tantum spectator » sacrificii. » Cum vero christiani milites, de quibus in proposito dubio, non propter ritum superstitiosum vocati eidem adsistant, sed comitandi et custodiendi regis causa de medio turbarum, id eos non idolo sed homini officiosos facit ; eos non superstitiose ritus, sed alia causa regi coniungit superstitiosum ritum peragenti: ideo participes non sunt superstitionis, sed spectatores tantummodo ritus superstitiosi, ac propterea immunes a peccato.

S. C. S. Officii 20 Iunii 1866 - Vic. Ap. ad Gallas
Dubitatur an presbyter catholicus adesse possit nonnullis caeremoniis

Incolae Kafae licet christiano nomine glorientur, et servent ecclesiastica ieiunia, amentque a presbyteris obviam factis benedicta aqua aspergi, longissime tamen absunt a professione christiana, et plerumque ne sunt quidem baptizati. Colunt praesertim SS. Georgium, Michaelem, et Gabrielem, eiusque vota etiam nuncupare solent. Qui votum alicui ex his sanctis per annum voverunt, festo eiusdem die ad ecclesiam pergentes offerunt presbytero candelam, thus et vaccam vel ovem. Presbyter haec omnia nomine Sancti acceptat, candelas quidem accendendo super altari, et thus adolendo, vaccam autem vel ovem (manu tangendo. Deinde vaccae, vel oves sic oblatae trahuntur ad locum ecclesiae proximum, ibique in honorem Sancti coram populi multitudine immolantur. Immolari autem debent per manus diaconorum qui caelibes sint. Adeps animalium immolatorum totus plerumque ad quandam holocausti speciem comburitur. Carnes convivio apponuntur, cui accumbunt offerentes, curatores fabricae ecclesiae et presbyteri. Tantam vero virtutem et efficaciam huic candelae, thuris et animalium oblationi attribuunt, ut sese hac una oblatione iustificari et sanctificari firmissime persuasum habeant, quidquid contra declamet catholicus missionarius. Quando eorum aliquis moritur, propinqui, die ut plurimum duodecimo ab obitu, presbyterum adeunt eique candelam et çervisiam offerunt, rogantes ut exequias defuncto persolvat. Cui postulationi antequam presbyter consentiat, quoddam a propinquis tributum pro sui muneris functione paciscitur cautionesque exigit. Tum candelam accendit, certas aliquas preces e libro recitat, cervisiam bibit. Simili modo instaurantur exequiae die vigesimo, trigesimo ac quadragesimo. Quo postremo die habetur solemne convivium funebre quod appellant ***tezkar.*** Presbyter nimirum accedit ad domum defuncti, factisque super ipso sepulchro exequiis, benedicit convivio, solidam diem laetissime cum defuncti propinquis transigit, suique laboris satis amplam mercedem, aliquas nempe vaccas, quodam veluti decimarum iure reportât. Convivium ***lezkar*** tam abissinis, quam kafinis summopere cordi est. Kafini illud habent pro eximio religionis officio, in eoque magnam collocant fiduciam; abissini, si convivium hoc omitterent, arbitrarentur se in paradisum ingredi non posse. Neque praetereundum est kafinos addictissimus esse magicae superstitione Et sane magi apud eos opibus et potentia plurimum valent, coalescentes in quoddam veluti sodalitium, cui rex ipse praeest. Spiritum vero magiae quo se .magi pervasos exi-

sumant, appellant ***deocce,*** quod vocabulum e lusitano idiomate derivatum esse videtur. Porro tanta est kafinorum observantia erga spiritum magiae ***deocce*** ut ipsi christiani obtestari et iurare teneantur per eumdem ***deocce*** idque non tantum vi consuetudinis, sed quadam etiam necessitate legali. Quibus praemissis, quaeritur :

1. An presbyter catholicus ex quodam tolerantiae spiritu, ut sibi catholicaeque missioni plebem conciliet, licite possit accedere tanquam presbyter catholicus omnibus notus, ad ecclesias illas quo supradicti oblatores conveniunt, atque acceptare candelas et adolere incensum sicque cooperari religiosae functioni hominum nonnisi solo nomine christianorum, qui in hac etiam functione peragenda multas praeseferunt superstitiones traditionalibus suis ideis commixtas.

2. An presbyter catholicus possit acceptare animalia sacrificiis destinata, protestando contra haec eadem sacrificia, atque ea tantum de causa ministerium suum non recusando, ut arrepta peculiaris conventus occasione praedicare queat adversus hasce superstitiones.

3. An presbyter catholicus possit memoratos christianos lustrali aqua aspergere, iuxta antiquam eorum consuetudinem, illosque praesertim, qui vel catholicum ministrum reiiciunt, vel de baptismo aut alia re nihil curant. Idque postulatur propter periculum confirmandi eos in suis vanis spebus.

4. An presbyter catholicus possit persolvere usitatas exequias pro hominibus minime baptizatis soloque nomine christianis ; quae exequiae consistunt in accendenda candela, et recitandis quibusdam arbitrariis precibus ; idque ut presbyter occasione popularis conventus praedicare valeat.

5. Quatenus presbyter catholicus nequeat licite tales exequias persolvere, an saltem recipere possit stipendium pro iisdem exequiis reddi solitum, omittendo quamcumque functionem religiosam. Ratio dubitandi est, quia si presbyter stipendium eiusmodi acciperet, etiam cum protestatione se illud decimarum dumtaxat nomine accipere, semper tamen verum adesset periculum, ne exequiae tamquam persolutae existimarent.

6. An christiani Kafam incolentes licite iurare possint per nomen ***Deocce.***

R. (Ad 1.) Difficultas quae Vicarium Apostolicum movit ad proponendum dubium 1. duplici ex capite orta esse videtur, tum ex communicatione in sacris cum hominibus minime baptizatis soloque nomine christianis, tum multo magis ex pluribus superstitionibus, quas homines iidem secundum maiorum suorum traditionem functioni supra descriptae

intermiscent. Haec enim sunt ipsissima Vicarii Apostolici verba : « Se » il prete cattolico.... possa ricevere le candele, bruciare l'incenso, co- » me funzione religiosa fatta da gente che non è cristiana se non di » nome, tanto più che anche in questo non mancano di avere molte •» superstizioni miste nelle lore idee tradizionali. » Verum cum eiusmodi superstitiones locum quidem habere, dicantur, sed minime explicentur, idcirco Emi Patres dilata praesentis dubii resolutione iusserunt, ut laudatus Vicarius Apostolicus clare distincteque referat, in quo consistant multae illae superstitiones candelarum, thurisque oblationem comitantes, et quae sint ideae traditionales, unde multae illae superstitiones emanant.

(Ad 2.) Quoad functionem in dubio 2. memoratam, qua scilicet animalia quaedam in honorem SS. Georgii, Michaelis aut Gabrielis offeruntur, Sancti nomine a presbyteris acceptantur, et postea a diacono coelibe prope ecclesiam immolantur, ea certe, prout exponitur, non licet, neque ullo pacto in christifidelibus toleranda est, nisi removeantur omnia superstitiosa vel superstitionis speciem praeseferentia; potissimum vero quaecumque sacrificii intentio, mactatio per diaconum caelibem, et adipis combustio ad instar holocausti. Quod enim animalium mactatio nulli alii demandetur quam diacono eidemque caelibi, et quod totus adeps holocausti instar comburatur, id manifestam continet superstitionem ; ad quam proinde quomodocumque concurrere nefas est presbytero catholico. Atqui concurreret si animalia sacrificiis destinata acceptaret. Neque eum excusat aut protestatio adversus impia animalium oblatorum sacrificia, aut quaesita opportunitas praedicandi in has superstitiones. Nam et talis protestatio nihil prodest, utpote contraria facto, quum presbyter sponte sua, nulla cogente necessitate, cooperetur , et absurdissimum est communicare quempiam posse in ritu superstitiose, ut nanciscatur occasionem improbandi ritum eumdem coram populi multitudine; siquidem, monente S. Augustino, ea quae constant esse peccata nullo bonae causae obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt ***(Lib. contr. mendae. Cap. VII).***

(Ad 3.) Negative pariter respondendum est ad dubium 3. si aspersio vel petatur cum intentione superstitiosa, vel afferat periculum confirmandi aut fovendi vanam perniciosamque fiduciam ex eadem aspersione conceptam. At si constet, illam intentionem et hoc periculum prorsus abesse, neque scandalum timeatur, nihil vetat quominus lustrari possint aqua benedicta homines solo licet nomine christiani : quandoquidem ipsae irrationales et inanimae creaturae simili modo lustrantur.

(Ad 4.) Sed responsionem absolute negativam efflagitat dubium 4. Cum enim agatur de hominibus solo nomine christianis, qui ab hac vita sine baptismo decesserunt, omnino non licet ecclesiasticas quascumque exequias pro iisdem celebrare ; quod vel ex ipso Rituali Romano aperte colligitur. Et sane exequiarum ceremoniae et ritus adhibentur tamquam vera religionis mysteria, christianae pietatis signa et fidelium mortuorum saluberrima suffragia. His igitur ceremoniis et ritibus, veluti candelarum incensione et precum recitatione, honestare funus hominum absque baptismo, ideoque extra catholicam Ecclesiam mortuorum, perinde est ac ipso facto profiteri quod homines isti possint esse in loco salutis. Alio insuper ex capite improbantur eiusmodi exequiae a presbytero catholico celebratae, quia nimirum important communicationem in divinis cum infidelibus vel haereticis manifestis. Cum vero convivium, quod nuncupant ***tezkar*** habeatur tamquam pars exequiarum ipsarum, sequitur nequaquam licere interesse, multoque minus benedicere eidem convivio, si celebretur pro defuncto notorie haeretico, vel non baptizato, vel alias indigno ecclesiasticis exequiis.

(Ad 5.) Quod si illicitum est sacras exequias hominum extra catholicam Ecclesiam demortuorum celebrare, illicitum quoque est praestationem illam quocumque nomine exigere vel recipere, de qua instituitur dubium 5. Profecto vetat naturalis ipsa iustitia, ne presbyter catholicus stipendium exigat, vel tamquam sibi debitum recipiat pro religiosa functione, cui se denegavit, quamque proinde minime exequutus est. Sed praeterea graviter peccaret ratione scandali cum, recipiendo stipendium, censeatur ex vulgi opinione persolvisse exequias.

(Ad 6.) Non minus illicitum est christianis obtestari et iurare per nomen ***Deocce,*** de quo iuramento dubium 6. movetur. Quodcumque enim sit etymon vocabuli ***Deocce,*** certum atque exploratum est vocabulum hoc in communi loquendi usu significare spiritum magiae, nempe diabolum mendacii patrem. Unde consequens fit, illos qui per nomen ***Deocce*** iurant, cultum latriae diabolo adhibere. Nam, ut ait Angelicus Doctor, cultus latriae adhibetur ei cuius testimonium iurando invocatur. Et ideo praecipitur Exodi 23. «Per nomen externorum deorum non » iurabitis. » Intentio autem qua christiani hoc vocabulum ad Deum verum forte referrent, eos a peccato nullatenus eximere potest. In primis enim indecens prorsus est eo nomine Deum verum nuncupare quo ab impiissimis magis spiritus magiae seu diabolus adoratur. Deinde cum iusiurandum praestetur respectu habito ad intentionem exigentis, christiani per nomen ***Deocce*** iurantes censebuntur, publica hominum opinione, illum ipsum magiae spiritum invocare, et sic actum ponent falsae

religionis potestativum, et magos etiam atque etiam in sua superstitione confirmabunt. Quaecumque igitur sit interna christianorum intentio, nefas prorsus est illos per nomen *Deocce* iurare.

S. C. S. Officii 25 Febr. 1773 — Vic. Ap. Tunk. Orient.
Dubia quoad ritus adhibitos circa feretrum.

1. An liceat christianis Tunkini prosternere se ad imaginem crucifixi ad latus feretri, vel supra feretrum, vel in manibus defuncti collocatam, exclusa omni re superstitionem redolente?

2. An liceat, addita protestatione publica ab omnibus adstantibus intellecta, qua declaratur nec feretrum sed crucem coli, Christoque pro defuncti anima hoc obseqium exhiberi?

3. An christiani possint salutare missionarium vel sedentem in suppedaneo feretri, vel ad latus illius, vel etiam feretrum circumeuntem, thus eidem incendendo. Mos in hac Missione est christianis et missionariis, defunctorum preces eo in loco dicere in quo est feretrum ; 4jum vero interdum ibi etiam primum aliquid superstitiosi fuit, edixi ego ut, quoties deinceps hoc fieret, non domi sed in ecclesia preces dumtaxat funderentur. Hanc ob agendi rationem nimiae severitatis insimularunt me quamplures; nihilominus ab ea sententia recedere aequum non habui ne inter actus christianos et superstitiosos aliqua videatur connexio.

R. Sacra Congregatio generalis s. Officii habita coram Clemente XIV, decrevit respondendum esse ad omnia dubia : *Non licere,* et addidit : *transmittatur Vicario Apostolico et omnibus Praefectis eiusdem Regni instructio anni 1753.*

S. C. S. Officii IO April. 1777. - Vic. Ap. Sutchuen.
Dubia quoad nonnullas prostrationes erga defunctos.

1. Num liceat prostrationes sinicas, vulgo *Koteou,* tanquam purae •civilis observantiae signa erga progenitores defunctos, ullo aliquo in casu, gravium nempe iaimicitiarum vel persecutionis, permittere, non obstante prohibitione Sedis Apostolicae.

2. Cum difficile admodum sit christianos avertere a prostrationum praxi, an probandum sit missionariorum quorundam consilium, ut ante omnes orationes et caeremonias defunctus sepeliatur, nec nisi illo terrae

demandato, fiant preces cum luminaribus et aliis caeremoniis, quae nullam cum gentilibus uniformitatem habent, aut superstitionis speciem habere videntur.

3. An opportunum sit prohibere usum thuris et cereorum in exequiis defunctorum, preces quoque flexis genibus ad mortuorum sepulchra; ex iis quippe ritibus uniformitatem habentibus cum caeremoniis gentilium , et christiani parum tuti in fide facile revocantur ad pristinos errores, et infideles scandalizantur, putantes, christianos eumdem, quem ipsi, cultum defunctis praebere?

R. Ad 1. Mirata est plurimum Sanctitas Sua, post editas a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis Clemente XI et Benedicto XIV novissimas Constitutiones postque Inductionem anno 1753 ab hac S. Congregatione de Propag. Fide Orientali primum Tunkinensi Vicario Apostolico datam ad alias deinde Missiones extensam, qua cultus civilis defunctorum, quos intra limites contineatur, exprimitur, sinicas rursus prostrationes obtendi tamquam civilem et politicum dumtaxat cultum prae se ferentes, cum ex praefatis Constitutionibus, praedictaque Instructione, liquido constet prostrationes hasce a superstitione liberari nullatenus posse, quamlibet etiam gerant mentem, vel protestationem edant earum actores, aut a re quavis alia superstitionem olente easdem separent; sunt enim de se illicitae et superstitiosae, neque ideo malae quia prohibitae, sed prohibitae quia malae. Confidit nihilominus Sanctitas Sua nullam in posterum super his prostrationibus motum iri quaestionem, et, intrinseca earum pravitate inspecta, cunctos in Sinarum Imperio, aliisque finitimis Regnis et provinciis, evangélicos operarios non modo in eumdem sensum, pro suo religionis studio ac puritate, suaque huic Sanctae Sedi debita reverentia, uniformiter consensuros, sed omnem praeterea operam daturos, ut opinio mere civilis obsequii in hac caeremonia quomodolibet implenda a suis quoque neophytis penitus eliminetur , eiusque praxis omnino arceatur, qualiscumque fuerit casus.

Ad 2, Improbavit Sanctitas Sua huiusmodi consilium; et sacras caeremonias ac ritus, quibus catholica Mater Ecclesia saluberrime utitur in filiorum suorum exequiis, sedulo servari praecipiens, mandavit consueta suffragia et Missam, praesente quantum fieri potest corpore defuncti, celebrari, antequam sepulturae traditur. Quod si casus aliquando occurrat ut, retento super humum cadavere, certo praevideat missionarius futurum prostrationum periculum, nec illud valeat possibili quovis conatu praecavere, tum dumtaxat ante omnes orationes et quarumcumque caeremonias defunctum sepeliri benigne indulget Sanctitas Sua. Potius est enim ut laudabilis aliqua consuetudo quandoque

immutetur, vel nonnullo spirituali bono privetur defunctus, quam certus relinquatur idololatriae locus. Ceterum videant attente missionarii ne casum huiusmodi passim contingant, neve tunc urgere sibi arbitrentur, cuín efficacibus monitis ac persuasionibus superstitionis posset periculum amoveri : super quo missionariorum, et eorum qui praesunt graviter oneratur conscientia. Eosdem praeterea cavere iubet Sanctitas Sua ne, revera instante necessitate, ullum corpus humari permittant, nisi post debitum temporis intervallum, quo nulla de morte supersit dubitatio.

Ad 3. Antiquissimi ac piissimi moris ecclesiastici cum sit, cereos accensos in exequiis et funeribus defunctorum deferre, eosque feretrum iuxta corpus defuncti circumponere, ac thus adhibere suis loco ac tempore, praecepit Sanctitas sua ritum hunc omnimodis retinere. Nec facile pertimescendum fidelium vel infidelium scandalum, cum caeremoniae a caeremoniis differant, et aliter accendi lumina incensumque aduri a gentilibus quisque noverit, aliter cereos ac thas adhiberi ab ecclesia Catholica : nec rei eiusdem usus, si modus diversus est, sufficiat inferendae institutioni eidem. Missionariorum praeterea est insipientes ac debiles, cum fert opus, instruere, et rituum diversitatem, diversumque Ecclesiae sensum suos praesertim neophytos edocere; casus propterea iustae Uniendae offensionis difficillimus est, quo ceteroquin occurrente, et insuperabili viso (nec enim praevideri omnia possunt quae a temporis locique circumstantia vel personarum pendent) tunc solummodo permitti Sanctitas Sua a praedictis ritibus abstinere. Verum, ut superius dictum est ad **2,** caveant omnino missionarii, ne casum effingant aut amplient inconsiderata praesumptione, cuius districtam rationem Deo suisque Praelatis sint reddituri. Genuflexiones autem fidelium quod spectat, cum orant ad mortuorum sepulcra, siquidem nulla ecclesiastica lege praescriptae inveniuntur, has voluit Sanctitas Sua posse a Missionum Praefectis, aliisque Ordinariis, ac debere interdici, quoties affinitatem habeant cum gentilium prostrationibus, aut aliam quamlibet mali occasionem vel speciem prae se ferant.

S. C. S. Officii II Martii 1868 — Vic. Ap. laponiae.
Dubia quoad res et ritus defunctorum.

Plures sunt ritus et res quorum superstitiosa natura haud dubia existit, ut v. g. tabellae defunctorum ab idolorum sacerdotibus (vulgo ***bonzes)*** distributae, libellae superstitiosae ab iisdem sacerdotibus scriptae et

distributae, altare vel potius quasi tabernaculum in quo tabellae progenitorem conservantur et exponuntur, honores ipsi progenitoribus exhibiti, festum pariter in eorumdem honorem quotannis celebratum, contributio ad constructionem vel ad reparationem templorum diaboli (vulgo ***pagodes)*** advocatio sacerdotis idolorum in obitu alicuius fidelis ut ille superstitiones perficiat, defuncti feretrum libellis superstitiosis maculet etc.... Quos ritus ut superstitiosos, etsi merito timeatur nova et valde luctabilis persecutio, missionarii christianis Sacramenta susceperis prohibere non dubitant. Alii vero ritus et res reperiuntur de quorum superstitione dubium esse videtur. Cum res ob sua consequentia maximi momenti esse videatur, missionarii tale dubium solvere non ausi sunt, circa quod lumen ac consilium ab oraculo infallibili S. Sedis implorant.

In casu obitus, a magistratibus civilibus delegati ut de morte iudicent, domum defuncti veniunt; quo facto, sacerdotem idolorum mittunt ut superstitiones consuetas perficiat. Christiani vere metu persecutionis non audentes vi vel denegatione formali domus ostium sacerdoti idolorum praecludere, sese tamen ut patientes habent; peractis vero superstitiosis, profectoque idolorum sacerdote, christiani omnia superstitionum vestigia igne destruere festinant. Unde quaeritur : utrum haec tolerantia sit professio externa superstitionis vel non, et ideo an toleranda sit vel non?

R. Dummodo revera passive se habeant, nullo modo ritui superstitioso cooperando, neque, si fieri potest, interessendo, tolerari posse prout in casu exponitur.

S. C. S. Officii 30 Iulii 1886 — Archiep. Algeriae.
Quaeritur an liceat Catholicis acquirere proprietates cum onere tributi etc.

Licetne catholicis in eodem Regno (Tunetano) degentibus acquirere vel conservare proprietates, quae annexum habent tributum perpetuum vulgo ***curel*** annuatim solvendum speciali administrationi, sub auctoritate Principis constitutae pro legatis piis mahumetanorum quae ***habons*** dicuntur, et ex quibus subvenitur moschaeis et ministris, viis publicis et aliis huiusmodi quae ad utilitatem publicam vel beneficentiam attinent?

R. Iuxta exposita, non esse inquietandos.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

URGELLEN.

CIRCA MISSARUM REDUCTIONEM

Die 16 Iunii 1894.

Par summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Raymundus Rey, Rector paroeciae dictae de Tirvia dioecesis Urgellensis, S. C. O. has preces offert, quas Episcopus testatus est veritati conformes esse atque commendat. Parochi libellus est sequentis tenoris :

« D. Franciscum Bartomen in suo testamento mandasse ut executores testamentarii ordinarent celebrationem missae quotidianae cum eleemosyna duarum libellarum (pesetas) in suffragium ipsius ; quae quidem missa quotidiana, celebranda sit a Rectore huiusce paroeciae de Tirvia vel ab alio sacerdote de ipsius mandato.

« Ad adimplementum huiusce mandati, tradiderunt executores testamentarii tot *obligationes societatis ferro-viariae* quot sufficerent ut e redditibus celebraretur praedicta missa quotidiana cum eleemosyna duarum libellarum pro unaquaque; quae *obligationes* custodiuntur in arca dioecesana.

« Ast, tractu temporis, cum Gubernium gravasset tum capitale, tum annuos redditus quodam, licet tenui, tributo ; et ea de causa, nec non ratione tenuium expensarum quas secum afferunt custodia et administratio praedicti capitalis, non sufficiant hodierni proventus ad percipiendam dictam eleemosynam pro unaquaque missa quotidiana. Ideo cum nemo sit, qui teneatur ad augendum capitale (saltem ita affirmant executores testamentarii) ; ab hac Sacra Congregatione humiliter postulat orator, ut dignetur responsum praebere sequentibus dubiis :

« 1° Utrum teneatur parochus de Tirvia celebrare missam quotidianam cum reductione eleemosynae; vel potius reducere numerum missarum celebrandarum cum eleemosyna duarum libellarum.

« 2° Quid faciendum in posterum, si a Gubernio vel alia de causa detrimentum patiatur redditus annuus praedictarum obligationum societatis ferro-viariae vel aliorum titulorum aequipollentium (valores publicos) ».

Disceptatio Synoptica

In primis patet, quaestionem huc reduci, scilicet an haeredes teneantur ad supplendos redditus ; vel potius ob redituum imminutionem, proportionaliter missarum numerus reducendus sit.

Iamvero executores testamentarii, uti refert parochus, negant se teneri ad augendum capitale. Huic instantiae suffragatur aperte, Conc. Trid. in *Sess. 25 cap. 4 de ref.,* ubi decernit pro rata diminutorum redituum numerum missarum reducendum esse. Proinde S. C C . quoties sine culpa haeredum reditus minuantur ad piae voluntatis adimplementum relicti, solet etiam onera reducere, siquidem onera fructibus respondere debent; ita in *Vallisoletana 22 Maii 1784, § Quamvis,* in *Nullius S. Martini 24 Augusti 1822, § Iamvero,* in *Tudertina Reductionis onerum 27 Ian. 1827,* et docet Fagnan. in *cap. Ex parte n. 2 De constit.* Atque hanc quidem missarum redigendarum causam iustam agnoscit Bened. XIV *De Syn. Dioec. lib. 13, cap. uti., n. 28,* inquiens: « Causas ob quas fas est reductionem aggredi, plerumque, imo fortasse semper suppeditat decrementum redituum, qui fuerant pro onerum implemento assignati ».

Contra tamen reductioni grave quidem iuris momentum obstare videtur, non solum quod testatorum voluntas pro lege habenda sit, et tunc praesertim cum animarum expiationem respiciat, Concil. Trid. *Sess. 22 cap. 6 de ref.* et S. C. C. in *Romana Commut. volunt. 14 Iunii 1866,* sed praecipue quia compertum est in casu, legatum eam natu-

ram praeseferre, ut *demonstrativum* non *taxativam* sit. Nam a testatore, nulla fundi facta assignatione, saltem non constat , determinavit certum missarum numerum et certam eleemosynam, cui oneri sui haeredes satisfacerent. Atqui uti docet Bened. XIV *loc. cit. n. 32,* afferens in confirmationem Instructionem a S. C. C. transmitti solitam, in legatis *demonstrative* conceptis, obstringi debent haeredes ad supplendum quod deest. Quapropter compertissimi iuris est, in casu haeredes ad supplendos reditus teneri.

Utrum vero, attentis temporum et locorum conditionibus, quare hodie in Hispania gravissima sunt tributa ; nec non habita ratione summae capitalis, scilicet *actionum viae fer^ ratae* a curia in satisfactiones oneris susceptae, quae suapte natura pro alea commercii nata est, maiores vel minores praestare fructus, in casu locus fieri possit alicui missarum reductioni, iudicabunt EE. PP. sueta prudentia et aequitate.

Quibus expositis, quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C C . re disceptata sub die 16 Iun. 1894 censuit respondere : Ad I. *Iuxta exposita, haeredes teneri ad supplementum; quatenus vero id haberi non possit, ad propositum dubium negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Ad II. *Providebitur eveniente casu.*

PARISIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 11 Augusti 1894.

Sess. 24 cap. 1 de reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Rachel Claire ville 30 annos nata, die 5 Augusti 1884, matrimoniali foedere iungebatur Aemilio Gaucher, qui tunc 24 aetatis suae annum attigerat. Nuptiae celebratae fuerunt coram parocho et testibus, servata in omnibus ss. Concilii Tridentini forma, in ecclesia paroe-

ciali loci Charenton, dioecesis parisiensis, intra cuius limites sponsus eo temporis commorabatur.

Attamen infausto sidere huiusmodi connubium conciliatum fuisse subsequens monstravit eventus. Vir enim, si mulierem audiamus, cum aere alieno esset oppressus, praeter sat pinguem promissam sponsae dotem, nihil aliud appetebat. Quidquid sit, hoc certum, quod iam a prima contubernii die, discordia, contentiones, iurgia inter neo-coniuges ac parentes irrepserunt ; eoque progressa sunt, ut post octo dies cohabitatio interrupta fuerit ac vir lares paternos repetierit.

Uterque autem coniux sub iuramenti sanctitate matrimonium haud consummatum fuisse contendit, licet, ait Aemilius, ter frustra ob indebitam sponsae physicam constitutionem rei uxoriae operam dederit, quod tamen cum Rachelis attestationibus pugnat, affirmantis virum maritalia obsequia praestare semper renuisse.

Adivit deinde mulier civile tribunal ac primum sententiam separationis, postea vero die 13 Aprilis 1892 etiam divortium impetravit.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM CANONISTAE. Anno 1894, mense Augusti, die vero 5, in paroecia vulgo *Charenton*, diócesis parisiensis, matrimonium contraxerunt, per verba de praesenti, Rachel Solange Olaireville et Abel Gaucher ; at, infesto numine factum est, ut ab ipsa prima matrimonii die, talia incoeperint inter coniuges iurgia et contentiones, ut vita communis evaserit omnino impossibilis. Quapropter una tantum a matrimonio transacta hebdomada, vir fuit e mulieris tecto expulsus, non amplius cum ipsa permansurus.

Aegre id tulit vir, qui pluries coniugalem domum repetere satagens, saltem ut mulierem alloqueretur, toties se reiectum vidit contumeliis, verbisque minacibus. Res eo usque pervenerunt, ut vir tandem furore correptus, paratis in itinere insidiis mulierem obviam venientem, non amplius ver-

bis, sed baculo et verberationibus fuerit allocutus. Tantum crimen, repetitis vicibus, ad laicum iudicem delatum fuit, qui, perpensis adiunctis, duplicem, diversis temporibus, pro muliere sententiam dixit, separationis scilicet et divortii. Qua postrema obtenta sententia, mulier ecclesiasticum tribunal adivit, ut, prolatis super non consummatione argumentis, dispensationem sibi indulgendam peteret a matrimonio rato et non consummato.

Agitur itaque de matrimonio dissolvendo, quod fuit valide et legitime contractum : agitur de ea dispensatione, quam Summus Pontifex, ex plenitudine suae potestatis non concedit, nisi argumenta meridiana luce clariora demonstrent et revera factum consummationis non adfuisse et causas adesse ad dispensandum gravissimas.

Et in themate quidem, causas adesse ad dispensandum gravissimas, nemo certe inficias iverit ; at pariter adesse argumenta meridiana luce clariora ad factum consummationis excludendum, hoc certius multi denegabunt. Fateor talia enim hinc haberi, et talia inde deficere, quae non rem luce illustrare, sed tenebras potius obducere videntur. Et inde, obscuritas quod argumentum anatomicum virginalis integritatis penitus deficiat ; inde obscuritas quod periti medici coniugalem amplexum pro una vel altera vice non excludant, inconsummationemque probabili tantum argumento demonstrent ; inde obscuritas quod vir et mulier in omnibus non secum ipsi conveniant, et quidem quoad ea, quae principaliora videri possent ; inde obscuritas, quod testes pro viro ita factum consummationis excludant, ut dubium ingenerent de eorum veracitate ; eo vel magis, quod pro illa asserenda neque unum argumentum in toto processu reperiatur.

Equidem haec mihi adeo gravia visa sunt, ut initio anceps haeserim, circa factum consummationis vel admittendum, vel denegandum ; et me oportuit integrum processus iterum iterumque revolvere, ut verba possem, circumstantias et adiuncta perpendere. Quibus ut par erat, ex bona fide et attente consideratis, in eam tandem pesuasionem deveni,

quod revera matrimonium, de quo in themate, ob viri renuentiam, nullimode fuerit consummatum, et quod copula nulla, aut maritalis amplexus quomodocumque intercesserit.

Hoc autem ut demonstrem, sinite, iudices, ut initio ad trutinam revocem argumentum, quod ex corporali mulieris inspectione deducitur, et quidem quoad factum et quoad ius. Ad factum quod spectat, duo sunt in themate animadversione digna, scilicet 1. mulierem post separationem a viro, ob quamdam infirmitatem, coactam fuisse pati, in genitalibus organis, introductionem cuiusdam instrumenti, quod *Pessum* vocatur: 2. hanc introductionem, licet per annum perduraverit, peractam tamen fuisse absque ulla hymeneae pelliculae laceratione.

Et haec quidem quoad factum. Quod vero ad ius spectat, oro, iudices, ut in illo discutiendo parum immorari sinatis. Probe enim nostis, quoad hanc rem, peritos medicos et canonistas in duas classes dividi, quorum alii absolute tenent, ex inspecto corpore mulieris, et reperta integritate cum absentia caruncularum myrtiformium, infallibile exurgere argumentum non sequutae consummationis. Ita loquitur Zac-, chia *quaest, medie, legal, lib. 4 tit. 2 quaest. 1 n. 8* cum aliis multis sive medicis, sive canonistis, quos allegat cl. Pallottini, ad verbum - *Dispensatio* - § XII n. 119. Alii e contra probationem desumptam ex inspectione corporis mulieris fallacem omnino esse docent, asseruntque virginitatis signa dubia omnino esse et incerta, virginitatemque ipsam habendam esse uti ens potius morale, quam physicum ; eo vel magis quod hymenea membrana, ab instabili natura, nonnullis feminis concedi et nonnullis denegari, ipsi iam observaverint Scuring. in sua *Spennatologià* cap. 10 et Vannet in suo opere *de la génération* par. 2 art. 2. Ita sentiunt Henriquez in *summ. Theol, moral, lib. 2 de matrimon. cap. 15 n. 3,* Sánchez *de matrim, lib. 2 disp. 2 n. 2 ei* Filippi *Manuale di Medie, legale Part. III pag. 665,* cum quodam Léxico, inscripto *Manuel complet de Médecine légale pag. 90.*

Pro prima sententia acriter pugnant antiquiores tum

medici, tum canonistae, et concordat constans iurisprudentia. Alteram sequuntur cum S. Thoma (1) recentiores fere omnes periti medici (2), ex canonistis plurimi, et concordat S. Raymundus de Pennafort, ss. canonibus innixum, dum ait: *propter quod elicit canon, quod manus ohstetricum et oculus saepe fallitur.*

Scio, postremam hanc sententiam non esse clausis admittendam ; praesertim cum non desint, etiam inter recentiores, qui vel rem omnino denegent cum dno Roubaud (3), vel teneant cum ci. Pasquali (4) hoc in casu matrimonium ut consummatum haud haberi posse : quod quidem et ergo in quadam *Romana dispensationis supet rato et non consummato,* sustinui (5).

At saltem denegandum non est quod hymenea membrana possit integra permanere etiamsi copula, repetitis vicibus, habita fuerit. Narrant enim medici ipsas *Meretrices quandoque cum hymene incorrupto repertas fuisse* (6) ; *cum ment-*

ii) **Quod lib. VI q. X, a. 1 ubi possibilitatem conceptionis admittit, illaesa manente virginitate, seu physica integritate.**

(2) Citari possent dd. Longet, Coste, Rubin, Liégeois, Vallisnieri, Fleury, Buffon, et principaliora Medicinae Léxica. Sed sufficiat pro omnibus unus dominus Capellmann, qui in sua *Medicina Pastorali,* pag. 140, docet quod *potest foecunda viri seminatio sua penetratione fieri* ideoque sine hymenis laceratone, et quin myrtiformes carunculae efformentur.

(3) Traite de 1'impuissance... 3 edit. (1876) pag. 44 et 629.

(4) Haec me docuit cl. Obstetriciae Professor, dum, pro quadam causa, hac super re, illum consulendum putavi. Gravissima est haec quaestio, utpote quae moralem doctrinam afficit de impotentia, de onanismo coniugali, deque matrimonii consummatione. EI **dolendum quod recentiores quidam Moralistae doctrinam amplectentes de possibilitate foecundationis, manente corporali mulieris integritate, eo usque pervenerint, ut potentem dicant arctam mulierem, potentem et virum qui penetrare non valeat, dummodo ex suscepto vel in os vaginae, vel etiam in maxime exteriores partes virili semine, foecundatio consequatur. Si hoc verum esset, ceteris praetermissis, dicendum foret matrimonium consummari etiam per foecundationem artificialem.**

(5) Foecundatio mulieris, et consummatio matrimonii, quidquid in contrarium sentiant nonnulli Moralistae, duae quaestiones sunt valde inter se, etiam physice diversae. Optandum autem foret, ut quis eas funditus evolvendas assumeret, praesertim post receptam hodie Medicorum doctrinam de possibilitate foecundationis, absque virilis membri penetratione. Si antiquiores Medici irridendum putarunt S. Thomam, recentiores, etsi forsan nesciant, cum illo conveniunt

(6) Gaspard, Tract. De Matrim, v. II, num. 1065 pag. 230.

br ana ista -flaccida saepe sit et facile viro cedens (1). Ex quo fit ut possibilis evadat virilis membri introductio, quin membranae lacerationem perficiat (2). Et consequenter concludendum erit cum quodam, iam citato medicinae léxico, factum integritatis hymenis non constituere de virginitate probationem (3). Igitur, ad ius quod spectat, mulieris integritas, et inde consequens absentia caruncularum myrtiformium absolutam et certam de non consummato matrimonio probationem non constituunt (4).

Neque e contrario matrimonium consummatum fuisse absolute probant hymenis laceratio, vel reliqua signa, quae consummationem consequuntur. Nam haec signa, haec hymenis laceratio possunt esse vel matrimonio anteriora, vel ab ipso independentia. Sic in viduis, quae transierunt ad alias nuptias, haec signa non probant alterum matrimonium revera fuisse consummatum : sic pariter ex hisce laceratione et signis non licet consummationem deducere quoad eas mulieres, quae ante matrimonium pluribus vicibus pati coactae sunt vel quamdam chirurgicam operationem, vel speculi et pessi introductionem. Et quid de muliere illa, quae sui oblita pudoris, criminosis actibus, claustrum virginitatis suae violandum putaverit ?

Argumentum igitur, quod deducitur ex corporali inspectione mulieris, et ex statu et conditionibus hymenis, ut verbis utar dñi Cancalon, quae in actis leguntur est argumentum quod saepe deficit, quod, pluries decipit ; ideoque esse inane

(1) Esbach, Disput. Physiologo-Theol. Disp. i, c. VIII, a. III, pag. 116.

(2) Filippi, loc. cit.

(3) Le fait seul de la présence de cette membrane ne constitue pas une preuve irrecusable de virginité: des milliers d'époux doivent en être persuadés.

(4) Aliud est matrimonium consummari posse per depositionem seminis in exteriores partes vaginae, et aliud illud consummari per veram introductionem virilis membri absque laesione integritatis. Primum denego contra recentiores quosdam Moralistas : alterum affirmo, verbis innixus praeclarissimi Professoris iam a me succitati, Herculis Pasquali ; qui dum negat ex una parte dari posse veram matrimonii consummationem, per solam seminis depositionem in exteriores partes vaginae, etiamsi per accidens, foecundatio sequatur ; tamen docet, ex altera parte, nihil obstare quominus habeatur vera matrimonii consummatio, per veram penis immissionem, quin hymenis laceratio verificetur. Grave hoc medicale documentum positioni adiungendum putavi.

argumentum, quod, ad summum, praesumptionem non excedit, et aliis eget probationibus, ut inde nata praesumptio in certitudinem convertatur.

Et hoc, quod semper, maxime vero in casu nostro verificari dicendum est. Agitur enim de muliere, quae in talibus conditionibus reperitur, ut non consummatio matrimonii eiusdem, iuxta quod vel veterum, vel recentiorum sententia utimur, haberi possit vel ut dubia, vel ut improbabilis, vel ut absolute certa. Et re quidem vera, cum constet de hac muliere, quod integrum habeat hymenem et nullas praeseferat myrtiformes carúnculas , concludendum foret cum veteribus, pro absoluta non-consummatione matrimonii. Attamen quoniam medici, qui illam examinarunt, non veterum, sed recentiorum doctrinam sequuntur ; hinc est quod factum consummationis *absolute* non excluserunt; imo potius asserendum iudicarunt, minime obstante integritate hymenis, genitalia mulieris talia apparere, qualia in femina, quae matrimonio usa est, tantum pro una vel altera vice.

Unde manifestum fieret quod in casu matrimonii consummatio habenda sit saltem ut probabilis. Quod si animadvertatur has peculiares conditiones, quae verificantur in genitalibus mulieris, adscribi posse pessi introductioni, quo mulier per annum uti coacta est, statim patebit factum consummationis simpliciter dubium manere ; ideoque nihil posse inde deduci pro consummatione sive admittenda, sive deneganda.

Ex hisce omnibus, sinite, ut ad hanc primam conclusionen deveniam, scilicet argumentum, quod desumitur ex corporali inspectione, nullam in casu difficultatem facessere ; nam vel veterum doctrinam tenemus, et tunc ex illa depositione sequeretur matrimonium, de quo in themate, nullimode fuisse consummatum ; vel sententia utimur recentiorum, et tunc in casu, consummatio, ad summum, uti dubia haberi poterit, ideoque dubium eliminandum ex aliis probationibus, quae in actis non deficiunt (1).

(i) Cum deveniam ad probationem directam, conditiones illas, quae verificantur in genitalibus mulieris, pessi introductioni adscribendas demonstrabo, et non

Nec praetereunda alia difficultas, quae inde enascitur, ex eo quod vir et mulier in patentes incidat contradictiones, dum unus maritalem copulam, licet inefficacem, habitam fuisse affirmat, et altera negat. Video quanti haec facienda sit; cum talis contradictio ipsam principalioris facti substantiam vel certe substantialem modificationem afficiat. Inde enim pendet, maxima ex parte, resolutio dubii circa speciales illas conditiones, quas reperiri in genitalibus mulieris nos medici docuerunt, nam si reapse copula habita fuit, huic certe erunt conditiones illae adscribendae ; si vero copula nulla intercessit, certum erit unicam illarum conditionum causam pessi introductionem fuisse. Valde igitur interest, ut difficultas haec sine mora solvatur.

Iam vero, praemisso quod mulierem inter et virum nulla detur contradictio quoad facti substantiam, cum uterque matrimonium haud consummatum fuisse incunctanter affirmet ; dicam statim quod in reliquis omnibus, ubi adest contradictio, sit mulieri omnis fides adhibenda, et deneganda viro. Acta enim Processus perlegenti illico patebit mulierem sibi semper cohaerentem fuisse, ita ut quae dixerit in principio suae depositionis, eadem affirmaverit in medio, iisdemque concluserit. At contra vir in una eademque depositione talia congerit, quae nulla possunt ratione sustineri, et quorum est patens repugnantia et contradictio.

Et sane initio asserit quod, prima nuptiarum nocte, mulier, ob iurgia, quae iam incoeperant, debitum reddere recusavit (1). Deinde, enarratis quae acciderunt primis tribus matrimonii diebus, sibi sententiam stetisse docet mulierem e parentum domo subducere, ut probaret an in eiusdem animum parentes influèrent. Post haec, factorum enarrationem prosequitur usque ad octavum vel nonum a matrimonio diem, et discordiarum enucleatis causis, fatetur se inde vel maxi-

consummationem matrimonii ex ipsis medicorum depositionibus, saltem morali evidentia, inferendam assumam.

(1) « Je réussis à la calmer, mais sans pouvoir obtenir la consommation du mariage ».

mo dolore affici, quod matrimonii consummationem obtinere non potuerit : quam rem sibi omnino inexplicabilem affirmat. Haec autem omnia penitus oblitus, iudici interroganti respondit, ipsum perdurantibus octo illis diebus, quibus cum sua muliere permansit, singulis noctibus debitum petiisse, mulierem semper se facilem praebuisse, et quidem sufficienter ad consummationem obtinendam, licet de facto obtineri nequiverit. Cuius rei causam attribuit vel difficultati illi, quae generatim primos amplexus consociatur, vel timiditati, vel etiam vitio voluntatis ex parte mulieris. Denique, sua exposita •opinione circa physicam geni talium mulieris conformationem, ooncludit affirmando quod fuit semper et constanter a muliere reiectus, quoties ad maritalem amplexum accedere voluit.

Quis haec, sapientissimi iudices, quis haec ad concordiam adducere valebit? Eadem est mulier, quae maritali congressui se facilem praebet, et virum maritalem amplexum potentem constanter repellit ! Eadem est mulier, quae primis octo matrimonii diebus, viro in copulam consensit, et nono adveniente, adhuc viro petenti inexplicabiliter resistebat ! Eadem est mulier, quae amplexum admittit, saltem quantum satis ad consummationem obtinendam , et est exteriori vitio ad consummandum impotens (1). Et viro, qui talia garrit, eritne fides adhibenda, dum ipse destruit quae ipse molitur?

Nec satis, constat enim ex Actis, quod quemadmodum testes pro muliere, in iisdem ac mulier asserendis conveniunt; sic e contrario testes pro viro in tales labuntur contradictiones, ut neque inter se, neque cum viro ipso cohaereant. Sic, ut unum vel alterum proferam exemplum, asserit vir quod mulier, prima nuptiarum nocte, debitum reddere recusavit ; et tamen Frater eius, testis Eugenius nos docet quod mulier NUMQUAM reiecit virum, et debitum petita ultro reddere non renuit. Asserit vir quod mulier corporali laborabat vitio, quo consummatio impediebatur; et tamen dnus Morin, testis a viro productus affirmat,

(i) De anormali mulieris conformatione ita loquitur vir: « Le défaut de conformation consisterait dans ce qu'on appelle barrée, ce qui serait un développement trop grand des os du bassin, et nécessiterait une opération».

quod interrogatus vir an vitio aliquo laboraret mulier, respondit se id prorsus nescire. Asserit vir quod mulier primis octo matrimonii diebus libentissime ad amplexus accessit ; et tamen idem d. Morin respondet, se audivisse virum dicentem quod numquam ad mulierem accesserat, et quod mulier NUMQUAM illum ad amplexum admiserat. Imo alius testis pro viro, d. Cottin adiungit, quod vir non adhuc a muliere separatus *pluries* asseruit se vitam ducere cum muliere, ac si mulierem non haberet. Et demum dnus Picot pariter deponit, dictum fuisse a viro, quod ipse relationes intimas nullas habuit cum muliere, idque ob obstinatam mulieris voluntatem in deneganda consummatione. Vere portentosa mulier, quae uno eodemque actu, debitum recusat et ad amplexum accedit ! agnoscitur ut impotens, et nescitur an impotentia laboret ! ut facilis exhibetur ad viro satisfaciendum, et est pertinax in obsistendo viri petitionibus! Haec, haec vir, haec testes simul componant, si contra mulierem hisce uti praesumunt.

Memini, me dixisse quod testes pro viro ita loquantur, ut propriam veracitatem in dubitationem adducant. At hoc nedum mulieri non obstat, sed favet potius. Inde enim cohaerentes mulieris, eiusque testium depositiones firmantur et clarescunt, quod illas testes pro viro, et vir ipse vellent mendaciis et contradictionibus infirmare. Et mendacium certe reperiri debet in illis depositionibus, in quibus mulierem uno eodemque tempore, debitum viro reddere voluisse simul et noluisse perhibetur; uno eodemque actu se facilem et difficilem praebuisse affirmatur ; semper et numquam viro petenti consensisse asseritur.

Dicat vir, dicant Mater eius, eiusque Frater, dicant nonnulli testes apud ecclesiasticum, vel civile Tribunal, matrimonium haud consummatum fuisse ob infirmitatem, ob impotentiam, ob vitium conformationis ex parte mulieris! Ast omnibus respondet peritus medicus, d. Bucquoy, asserens quod peractum a se corporale mulieris examen iii tuto posuit optimam eiusdem genitalium partium conformationem, quoad organa exteriora. Et ne putaretur vitium adesse in partibus interioribus, illas ita describit, ut evidentissime pateat nullam

inde ad consummationem difficultatem exoriri potuisse; non quidem ex parte hymenis, qui parvus et flaccidus perhibetur, non ex parte labiorum eiusdem,. quae flexibilia asseruntur, non demum ob aliquam duritiem, quae nulla esse affirmatur. Unde ergo, unde illa, quae oggeritur a viro, consummandi difficultas? Admitto cum perito medico, ob passam a muliere pessi introductionem, nullum posse ex genitalibus eiusdem argumentum deduci ad factum consummationis vel probandum vel denegandum. At, quaeso, quomodo peritus medicus factum consummationis non excludere potuisset si infirmitatem, si impotentiam, si vitium conformationis invenisset?

Solutis igitur et reiectis difficultatibus, quae possent ex ipsis Actis depromi, et quas forte adducet Vinculi Defensor, tempus est, ut ad directas probationes deveniam. Quod quidem duplici demonstratione praestabo, inferens ex iure quod hisce in causis, sufficiat moralis certitudo de non sequuta consummatione, ad hoc ut dispensatio concedi possit super rato et non consummato ; et ex facto deducens quod omnia in casu concurrant, quae ad hanc moralem certitudinem constituendam requiruntur.

Et primo quidem moralem certitudinem non sequutae consummationis sufficere ad dispensationem concedendam, directe et explicite probat cl. Pallottini (1) Doctorum auctoritate, et plurimis adductis SS. Congregationum resolutionibus. Inter quas illae eminent, quae probant S. Poenitentiariam solere aliquando concedere, in foro etiam poenitentiali, dispensationes super non consummato matrimonio,'absque ullo processu, et habita solum iurata partium depositione: quae depositio moralem certitudinem evidenter non excedit.

Equidem si sermo esset de integra probatione, haec ex *Cap. Proposuisti 4. De proh.* ex tribus resultare debet, nempe ex iurata partium depositione, ex inspectione mulieris, et ex testimonio, quod vocant, septimae manus (2). Ast haec

(1) Ad verbum - ***Dispensatio*** - § XII, n. 177.

(2) De triennali experimento non loquor, cum constet iam ***ab Aula recessisse.***

non *copulative* requiri, sed tantum *adminiculative* ipse docet Ursaya, dum ait : « In cap. *Laudabilem, de frig. et male f.,* ad probandam virginitatem... non praescribitur *copulative*- septima propinquorum manus et recognitio facienda per Obstetrices, sed aperte statuitur sufficere solam confessionem Coniugum, cum septima manu propinquorum » (1). Huic consonant Conscius (2), Clericatus (3), Card. De Luca (4). aliique permulti.

Si igitur corporalis inspectio mulieris non semper requiritur, si dispensatio concedi potest, attentis solummodo partium iuramento, et testimonio septimae manus, iam patet per se moralem certitudinem sufficere ad hoc, ut non consummati matrimonii dispensatio concedatur. Siquidem, teste Sânchezio (5), certitudo, quae requiritur et sufficit ad concedendam gratiam dispensationis, *iure definita non est;* ideoque ad illam definiendam *nulla certior regula praescribi potest, quam ut sit ea, quae virum prudentem, attentis circumstantiis recurrentibus, certum redderet.* Quid plura? ipse pro se loquatur textus iuris, ubi ait (6) « Si autem quod numquam se invicem cognoverint ambo fateantur, cum septima manu propinquorum, vel viduorum bonae famae (si propinqui defuerint) factis sacrosanctis Evangeliis, uterque iureiurando dicant, quod numquam per carnis copulam, una caro effecti fuissent, et tunc videtur quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare ». Ex iure igitur probatum manet, moralem certitudinem quae resultat ex iuramento partium et testimonio septimae manus, ultro sufficere, saltem aliquando (T), ut su-

it) **Discept. Eccl. t. 3, d. 21, n. 138 in cap. *Laudabilem.***

(2) De Separ. Tori Goni. Lib. 3, cap. 2, n. 126.

(3) De Sacram. Matr. Dec. 13, u. 39.

(4) De Matrim, disc. 7, n. 7.

(8) De Matrim. Lib, 2, disp. 45, n. 4.

(6) Cap. 4 *De Frigid, et Malef.*

(7) Dixi - *saltem aliquando* - quia corporalis inspectio mulieris videtur necessaria, quando uno ex coniugibus affirmante, et altero negante, causa est in contradictorio. Sed hoc casum nostrum non respicit, cum ambo coniuges factum consummationis iureiurando excludant.

per non consummato matrimonio, gravissimis concurrentibus causis, dispensatio concedatur.

Hanc autem moralem certitudinem in casu plenissimam haberi, adeo evidens est, ut argumentis demonstrari non egeat. Partium enim iuramentum et testimonium septimae manus, quae per se sola sufficerent, innituntur, in casu, ipsi corporali mulieris inspectioni, ita ut ex hac ipsa inspectione, prima et maxima non sequutae consummationis probabilitas exurgat.

Et sane licet periti medici fateantur se non posse ex corporali inspectione mulieris certum depromere argumentum ad consummationem vel probandam, vel denegandam (1); tamen I° ratio huius conclusionis non *est positiva,* sed tantum *negativa,* scilicet non enascitur ex quodam signo positivo, quod directe vel certitudinem, vel dubium de sequuta consummatione manifestet ; sed potius inde deducitur, quod quemadmodum pessum introduci potuit in vaginam mulieris absque hymenis laceratione, sic et potuit, in iisdem conditionibus, virilis membri immissio verificari ; 2° hisce tamen non obstantibus, affirmant periti medici in genitalibus mulieris singula virginitatis signa reperiri : unde 3° concludunt nihil inde desumi posse, quod non cohaereat cum moralibus de non consummatione probationibus.

Nec valde insistendum in illis verbis, quibus periti medici asserunt, genitalia mulieris talia apparere qualia in femina, quae pro una vel altera vice ad maritales amplexus accesserit ; nam I° has peculiares geni talium mulieris conditiones adscribi

(1) Ideo periti medici ad hanc conclusionem deveniunt, quia recentiorum doctrinam sequuntur de possibilitate consummationis absque laesionis virginalis integritatis. Coeterum, admissa semel veterum sententia, quam constanter sequitur iurisprudentia S. C. C, concludendum absolute foret pro non sequuta consummatione, et haec conclusio habenda esset uti certa, non solum morali, sed etiam certitudine physica. Si igitur aliqua hodie exurgit in casu difficultas, ea repetenda unice est ex illa medicorum doctrina, quam S. C C, non adhuc amplectendam putavit. Uno verbo, non consummatio matrimonii, de quo in themate iuxta veterum medicorum doctrinam, quam sequitur S. C. C, habenda est uti absolute et physice certa; iuxta vero recentiorum sententiam, quam puto amplectendam, retinenda est ut moraliter probabilis. Hanc autem moralem possibilitatem converti in veram moralem certitudinem, reliqua adiuncta et probationes luce clarius demonstrant.

posse repetitis pessi introductionibus, non ego profanus, sed pluries a me laudatus cl. Professor Pasquali hoc asseruit cum a me hanc super re consultus fuisset : 2° quod vero de facto hisce introductionibus sint adscribendae, ipsi implicite fatentur periti medici, dum asserunt reperiri in muliere omnia virginitatis signa, et nihil adesse in genitalibus eiusdem, quod cohaerere non possit cum moralibus de non consummatione probationibus. Video inde enasci non posse positivam certitudinem. At nemo negabit magni ponderis esse, quae periti medici, vocati a iudice ecclesiastico, sub iuramenti religione asserere non dubitarunt, videlicet I° probabilitatem non sequutae consummationis talem esse in casu, ut MAXIMUM GRADUM attigisse dicenda sit; 2° in se omnibus convenire cum dno Cancalon, qui rogatus ut medicale testimonium diceret de non sequuta consummatione, peractum examen conclusit dicendo : ea omnia reperiri in muliere, quae virginitatem comitantur. Si igitur, etiam penitus deficiente mulieris inspectione, haberi potest sufficiens certitudo de non sequuta consummatione, quanto magis id valere dicendum erit quando et inspectio peracta cognoscitur, et ab ipsa factum consummationis uti probabilissimum perhibetur?

Et quidem , Emi Patres , quod medicalis inspectio uti probabilissimum habet, hoc partium iuramentum, hoc testimonium septimae manus, hoc adiuncta et circumstantiae confirmant. Non me latet virum et mulierem contraria deposuisse circa causam non sequutae consummationis: at I° quid mirum quod unus in alium causam refuderit, si animadvertatur rumorem in vulgus sparsum fuisse de impotentia unius vel alterius? 2. et siquidem Coniuges in assignanda causa non conveniant ; conveniunt tamen in facto ipso asserendo, cum uterque matrimonium haud consummatum fuisse iureiurando confirmet. Nec timenda collusio, quae certe ibi adesse non potuit, ubi animorum aversio fuit baculo et verberibus comprobata. Et undenam collusionis possibilitas, post violentam viri eiectionem e domo parentum, post irrisiones et contumelias ex parte mulieris, post intentatam viro criminis actionem, et causam adiudicatam mulieri?

Quodsi quis vellet collusionem suspicari, is collusionem admittere cogeretur etiam inter testes, qui omnes, nemine excepto, tum apud civile, tum apud ecclesiasticum tribunal et matrimonii non-consummationem, et partium veracitatem, uno et pienissimo ore, confirmarunt. Et animadvertatis oportet, sapientissimi iudices, testes illa deponere, quae vel ipsi oculis aspexerunt, vel a partibus, tempore non suspecto, didicerunt.

Perdurantibus, ita mulieris mater, perdurantibus octo illis diebus, quibus simul permanserunt, numquam vidi virum amoris signa mulieri praebentem. Quinimo fere numquam domi manebat, et vespere cum rediret ita fatigatus apparebat, ut manducando dormiret. Et post haec adiungit, quod vir, timens ne suum fatum quereretur mulier, ipsi fassus est se mulierem tangere non ausisse, cum nimis debilem videret. Matrimonium haud consummatum fuisse audivi, ita dna Delfon, antequam mihi de testimonio denunciando mulier cogitaret. Ea quae deponit mulieris pater talia sunt, quae non-consummationem confirmant ex ipsis viri verbis publice prolatis (1). Affirmat dnus Courtois, se, anno 1888 (scilicet ante prolatas separationis et divortii sententias) perlegisse epistolam, qua vir Gaucher asserebat se mulierem reliquisse in eo statu, quo acceperat (2). Eadem deponit dna Blum, tamquam a viro ipso asserta cuidam iuveni, in cuius communione manebat, et quidem illis ipsis diebus, quibus haec eveniebant (3). Statim post separationem, ita viri frater, audivi fratrem meum dicentem : matrimonium non fuisse consummatum (4). Dnus Faivre factum non-consummationis se audivisse testatur I° a mulieris ma-

(1) « Mr. Gaucher a aussi affirmé que le mariage n'avait pas été consommé, et il a dit cela ***partout* ».**

(2) «.... vers le commencement de 1888.... M. Clairville m'a montré une lettre, que j'ai lue, et dans laquelle M. Gaucher disait avoir quitté sa femme telle qu'il l'avait reçue ».

(3) «.... il me souvient ***très formellement*** qu'il déclarait aussi, à ***ce moment même,*** qu'il la laissait sans avoir ***jamais*** consommé le mariage avec elle ».

(4) « Mon frère m'a certifié le fait de non consommation du mariage sitôt après la séparation ».

tre, eiusque filia; 2° saepe saepius a publico rumore et fama; 3° a quodam porti tore, qui aiebat rem publice pandi ab ipso viro Gaucher; 4° demum a quodam mercatore, qui Parisiis de hac re palam loquebatur (1). Virum numquam ad mulierem accessisse affirmat dnus Morin, tamquam a viro ipso pluries assertum, ab eo tempore, quo cum ipso rationem habuit (2). Imo et haec pluries enarravit vir testi dno Cottin, ut hic deponit (3). Non consummationem notoriam esse testatur dnus Picot (4), et ut talem agnoscit etiam viri mater, licet causam in mulierem refundat (5).

Mitto reliquos testes, qui nihil agnoscentes quoad matrimonii consummationem, neque viro favent, neque mulieri. Hi tamen, ut reliqui omnes, de viri, deque mulieris veracitate plenissimum testimonium dicunt. Quid igitur plura? Maxima illa non-consummationis probabilitas, quam periti medici asserunt, nonne vertitur in moralem saltem certitudinem, quando illam unanimiter confirmant et partium iuramentum et testium depositiones?

Et si plura cognoscere cupitis, pro non consummatione causam dicant iurgia incoepta in ipso nuptiali convivio, quando inter pocula, eo usque perventum est, viro ipso fatente, ut mulieris mater virum ipsum e domo elicere minareto. Loquantur posteriores contentiones in itinere, in domo viri, in domo mulieris, prima, altera, et tertia a matrimonio die, usque ad sponsorum separationem, quando dimissa fuit viri mater e domo mulieris, quando vir mulierem

(1) « J'ai appris d'abord par Madame Clairville et sa fille que le mariage n'avait pas été consommé. Ensuite la rumeur publique .... notamment un ancien inspecteur de la douane .... Un négociant de Paris en parlait publiquement. Tout le monde en parlait » :

(2) »…. Mr. Gaucher m'a raconté .... qu'il n'avait pas eu des relations intimes avec sa femme ».

(3) « Deux ou trois jours après le mariage, Mr. Gaucher m'a dit…. qu'il n'avait rien du tout fait avec sa femme, et cela il me l'a répété souvent ».

(4) « Il a été de notoriété publique qu'aucune relation conjugale n'avait existé entre les époux ».

(5) « Mon fils m'a dit que le mariage n'avait été jamais consommé et M. Clairville l'a dit à qui voulait l'entendre ».

e parentum domo subducere proposuit, quando actum est de angue latente, scilicet de dote mulieris, deque cuiusdam domus venditione, ut vir posset alienum aes dissolvere. Et si non satis, verba faciant hinc dubium de honestate viri, inde rumor de impotentia mulieris, et factum hinc assertum, inde negatum, intromissae in convivium meretricis, suspicio de clandestinis relationibus, mutuae criminationes, gravia convicia, minatio singularis certaminis, viri eiectio e domo cum contumeliis, cum irrisionibus, cum minacibus verbis : nonne haec omnia probant sponsorum animos ita aversos fuisse, ut maritalis amplexus evaderet impossibilis ? Ibi certe, non adfuit matrimonii consummatio, ubi animorum aversio cum ipso matrimonio incoepit, ubi dissensiones magis creverunt in dies, ubi matrimonium contractum fuisse constat amore pecuniae (1), ubi ipse aggressus fuit honor mulieris, ubi iurgia et contentiones eo usque pervenerunt, ut, paucos tantum post dies, vir ipse e domo eiiceretur : atqui haec omnia evenisse constat in casu, de quo agimus, et quidem partibus iuramento asserentibus matrimonium haud fuisse consummatum, testibus pro partium veracitate fidem facientibus, et peritis medicis signa virginitatis in muliere recognoscentibus : ergo nulli dubium quod matrimonium, de quo in themate, uti non consummatum sit ab omnibus retinendum.

Post haec, utrum adsint causae ad dispensandum gravissimae, demonstratione non indiget. Animorum aversio in propatulo est. Reconciliationem esse impossibilem, uno ore testes fatentur. Sponsorum animam in periculum adduci, ex ipso pronuntiato divortio clarescit. Cum enim civili lege nequeant amplius inter se matrimonio coniungi, vel cogendi forent ad perpetuam continentiam, quae in iuvenibus difficilis apparet, vel periculo exponendi essent aut turpis

(1) Ne videar id gratis asserere, verba afferam dominae Blum, quae ait: « L'un de ces jeunes gens a raconté.... comme le tenant de Mr. Gaucher, qu'il avait pris cette femme pour son argent ». Gui consonat dominus Paivre dicens : « De toutes les conversations entendues j'ai conclu que Mr. Gaucher avait épousé sa femme non pas pour elle, mais pour son argent ».

concubinatus coram lege civili, aut veri adulterii in faciem Ecclesiae. Hinc est, quod si, testibus Conscio, Perez, Clericato, Pignattello, et ipsa S. Rota, « inter causas pro obtinenda dispensatione, generaliter ea est et adduci potest, quae respicit animarum incolumitatem » ; vos orant partes, emi iudices, vosque summis precibus ob testantur, ut hanc sententiam pronuntiare dignemini, scilicet « Attentis omnibus consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, in casu ».

VOTUM THEOLOGI. Cum certo non constet, ait Consultor, matrimonium inter Aemilium Gaucher, et Rachelem Clairville initum, mansisse tantummodo ratum, nullus esse potest dispensationi locus.

Ut apostolica dispensatio concedatur, praecipua conditio haec est, matrimonium nunquam consummatum fuisse. In hoc conveniunt omnes Theologi et Canonistae, licet in afferenda ratione dissideant. Alia est enim indoles matrimonii simpliciter rati, alia vero consummati, de quo ius divinum, ita decernit, *quod Deus coniunxit homo non separet.* Sicut enim Verbum quod semel assumpsit, numquam dimisit, ita maritus nunquam dimittet uxorem suam, et vinculum cum ea contractum abrumpere nequit, et asserere id fieri posse auctoritate humana, iuxta Ledesma, est error in fide. Salmant. Tract. IX, cap. IV, dub. III. Hinc praxis est, prius diligentissime investigare, an matrimonium manserit ratum et postea causas excutere, quae dissolutionem coniugii insinuant. Quibus positis, illico quaero an in facti specie, argumenta certa occurrant, quae matrimonium ratum mansisse probent.

In asserenda non consummatione coniugii Rachel et Aemilius plene concordant : dissident tamen in afferenda ratione huius defectus; aliam enim profert Rachel, aliam Aemilius. Amavissem sane maiorem in eorum confessione iurata concordiam, et non solum in affirmanda inconsummatione, sed etiam in assignanda causa defectus, quia si in re tanti momenti inter se dissidere comprehenduntur, eorum

confessio, quae in hisce causis maximi est facienda, robur et vim probandi amittit, aut saltem suspicionem exhibet non esse totaliter veram, et absolutum non mereri assensum.

Haec sane fuit animi persuasio cum legerem acta, quae contradictionem apertam evidentemque revelant, inter ea quae dicit Rachel, et ea quae manifestat Aemilius, licet non substantiam facti attingant, sed modum. Quam contradictionem paucis exponere opportunum duco, ut Emi Patres, certiores facti, iudicent, an Racheli et Aemilio, fides habenda sit, inconsummationem coniugii asserentibus.

Rachel in supplici libello SSmo P. exhibito, verbo inconsummationis utitur, dicens : « Si des debuts d'un menage si prématurément troublé, il se dégage une forte présomption qu' il ni eut point des rapports sexuels entre mari et femme, celle ci, d'autre part aifirme avec vérité qu'il n'eurent lieu, et ne purent avoir lieu a aucun moment de la vie commun ». Eodem utitur verbo Aemilius in epistola ad curiam parisiensem, sed argumenta deesse quae inconsummationem probant, ultro fatetur : « est à ma faute, si elle (argumenta scilicet physica) n'existe plus ? Dois je donc supporter la conséquence de T inconduite de celle que devait... rester fidele à ses croyances, et aux principes de la morale ? » Levium contradictionum hic prologus est, fortiores evidentioresque postea apparebunt.

Rachel in sua confessione, se zelotypia, animi levitate, mobilitateque laborare demonstrat. Ex simplici mutatione vultus Aemilii, in eodem arguit variabilem indolem : « la physionomie était très variable ». Putat matrem Aemilii, matrimonio praebuisse assensum, ut eius utilitati prospiceret. « Je crois que la mère de M. Gaucher voulait se faire une situation de son fils ». Suspicatur Gaucher noluisse acceptare obligationes coniugio adnexas, ut vitae liberiori indulgerei. « Je pense que M. Gaucher ne voulait pas contracter les obligations ». Addit nullum unquam ei dedisse signum amoris : eo usque, ut dum illud se optare ostenderet, Aemilius eam a se repellebat, et quidem non una vice, sed

quoties illud avebat: « Chaque fois, que je voulais l'embrasser, il me repoussait ». Hinc matrimonium consummatum non fuisse aperte fatetur ; quinimmo defuit etiam experimentum <• Gaucher n'a jamais cherché à s'approcher à de moi, il ni a donc eu aucune tentative pour consommer le mariage ».

Interrogata cuinam causae non consummationem coniugii adscribat ? Defectui amoris reponit, et etiam contemptui uxoris suae, cum eo ipso nuptiarum die, erga amicam, sollicitudinem suam ostenderet.

Nunc audiamus Aemilium. Ipse quoque coniugium non consummatum fuisse affirmat ; experimentum tamen consummationis ausus non est denegare. En eius verba: «pendant les 8 jours j'ai partagé le lit coniugai, et demandé tous les soirs T accomplissement du devoir conjugal : ma femme, s'y est prêté suffisement à mon avis, pour que le mariage *put être consommé,* mais dans ces premières rapprochements il y a toujours résistance, soit timidité, soit mauvaise volonté.. A chaque rapprochement elle me repoussait après des plaints assez vives ».

Quaerenti, curnam non fuerit consummatum? Reponit Aemilius id tribuendum esse aut pravae voluntati uxoris, aut melius defectui naturali, quem se ad vertisse fatetur. « Le défaut de conformation consisterait dans ee qui on appelle barre, et qui serait un développement trop grand des os du bassin et nécessiterait une opération ».

Ex actis nemo non videt contradictionem inter ea quae Rachel affirmat et ea quae profert Aemilius. Nullum Rachel experimentum admittit, istud vero non negat Aemilius. Illa defectum consummationis adscribit negligentiae Aemilii : hic deformitati partium genitalium uxoris. Mentitur illa, ut videbimus postea: verum non dicit Aemilius, quia doctor Ferrand partes genitales Rachelis affirmat esse bene dispositas : « qu'elles sont bien conformées ».

Ex utriusque confessione, nulla conclusio elici posset : verumtamen, cum *conclormiisse* affirment, ex hoc argumen-

tum educitur, quo fortius desiderari non potest. Aemilius ait : « pendant les 8 jours *j'ai partagé le lit conjugal et demandé tous les soirs F accomplissement du devoir conjugal».* Rachel affirmât dicens : « *nous avons partagé le même lit* ». Atqui condormitio, iuris praesumptionem de secuta copula reducit. Cosci lib. 1, XVI, n. 45, 46. Revera subiungit Zachias, cum copula carnalis non possit vere probari, sed tantum per coniecturas et praesumptiones— probatur ex visu, ex risu, ex colloquio, ex loco constituto, ex admissione in domum de nocte... sed his omnibus cum longe maior ea sit, quae ex concubitu in uno eodemque lecto praesumitur, imo haec ad actum proximum pertineat.... non coniectura fortasse, neque praesumptio, sed plena probatio copulae esse possit. Et favet Rota Rom. *Nullitatis 19 Ian. 1646.* Patet quod neganti debeat incumbere onus probandi: lib. IV. tit. 11. q. II, n. 13.

Ut mihi videtur ex condormitione plena probatio desumitur. Antequam Tridentina Synodus impedimentum clandestinitatis induceret, a condormitione praesumptio iuris et de iure desumebatur regulariter, exclusa quavis probatione contraria, ex cap. 30 de sponsal., et 6 de condit, appositis. Tanta erat, et tam violenta probandi vis in facto condormi tionis, quod nulla poterat tergiversatione celari. Validi s-simum itaque exhibet argumentum, quod in foro externo admittendum esset, et recta ratio dictat, et ius canonicum sancit ; ceu constat ex cap. *Litteris 23 de Praesumpt.* in quo Alexander III praesumptioni huic inhaerens, divortium fieri mandat.

Praesumptio tamen, cum veritati cedere debeat, videndum nunc est, an in facti specie, argumenta certa occurrant, quae dissipent hanc praesumptionem. Et quidem non eliditur sane inanibus argumentis, aut verbis ore prolatis, sed facto.

Quis enim facile credet utrique asserenti etiam cum iuramento, nullimode convenisse, condormitione admissa, maxime si in assignanda inconsummationis causa dissideant?

Accessio unius ad alterum, utriusque concupiscentiam violenter accendere debet, et eo uno in casu effectus in liberis pravus, in coniugatis honestus, desideratur, quando probari posset condormientes non contraxisse concupiscentiam, quae peccato deleto, ad agonem relicta est. Ex eorum itaque negatione iuramento firmata, praesumptio copulae non dissipatur, sed in suo robore permanet.

Non consummatio unice probari posset a physica inspectione, quae revera facta est a peritis ; ipsa tamen nullam exhibet certitudinem, matrimonium mansisse tantummodo ratum. Medicorum depositionem scripto exhibitam, et a duobus etiam ore firmatam, attente considerandam esse putavi, et ex ea non illam haurire potui certitudinem, quae in re tanti momenti necessaria est, ut matrimonii non consummatio iuridice declaretur. Unus Cancalon in sua depositione scripto tradita, omnia virginitatis signa in Rachele invenisse affirmat. Haec signa invenit in « étroitesse de la vulve, absence de caruncules cicatriciels, développement très peu prononcé des petites lèvres ». Parum aut nihil se attendere profitetur ad hymenem « souvent absent du reste, et parfois illusoire, » cum tamen alii aliter dicant. Quidquid sit de ratione opinandi huius periti, videamus, an ex circumstantiis, quas ille notat, et virginitatem Rachelis educit, quidpiam certi, quoad non consummationem coniugii haurire possimus. Atqui non ex arctitudine vulvae, aut carunculis cicatricem passis, quia ut advertit Zachias in hac materia facile princeps, operosum est cognoscere copulam a multo tempore patratam. « Licet enim in primo egressu facta fuerit violatio, et destructio panniculorum et caruncularum simul cohaerentium, et ipsorummet laterum uteri, tamen si dehinc a coitu abstinuerit mulier, adeo invicem temporis spatio denuo cohaerescunt, ipso quoque sanguine, qui in primo concubitu emanavit, mediante, ut maiorem interdum angustiam praeferant ». (Lib. IV tit. 1, q. VIII). Quod si parva labia parum evoluta invenit, nil mirum, cum copula non pluries, sed una aut altera vice habita sit.

Ceterum ipse peritus, quamvis virginitatis signa se invenisse dicat, tamen anathomicum argumentum deesse non negat. «J'ai constaté qu'il n'existe pas... la preuve anatomique souvent absente du reste, et parfois illusoire, d'une membrane hymen etc. »

Hymenem invenisse fatetur D. Ferrand, qui videbatur intactus. « L'hymen... se voit, et parait intact ». Pas de caruncules myrtiformes » subsumit doctor Boucquoi, « indices de la rupture [de l'hymen ». Hymen ergo intactus. - Ex integritate hymenis, virginitas inviolata deducitur, nisi periti aliquid aliud ad vertant, id irregulariter evenisse. « Matrimonium habendum est ratum tantum, si hymen qui vaginam claudit, est intactus.... Proinde iure meritoque iurisprudentia S. C. C. retinet matrimonium, hymene integro non esse consummatum, *nisi ex medicorum examine et attestatione aliud constet* » Gasparri Tract. Can. De matr. n. 1065. Et aliud revera constare videtur ex inspectione facta a DD. Boucquoi et Ferrand. Hic enim describens naturalem dispositionem hymenis, parum evolutam penetrabilemque invenit, unde deducit absque ruptura, copulam perfici potuisse. « L'hymen... laisse perméable l'orifice, qui permet facilement l'introduction du doigt, et... l'accomplissement du mariage sans... rupture ». Similia deponit ille. Non obstante integritate hymenis, uterque haeret anceps, nec audet dicere, consummatum vel non consummatum fuisse coniugium. Signa virginitatis uterque invenit, attamen cum applicatum fuerit instrumentum (Pessario), et potuit ibidem penetrare absque ruptura, etiam absque ruptura poterat copula perfici. Hinc uterque sententiam suam edicens, nullam inde conclusionem educi posse, profitetur. « Sa présence (hymenis) ne permet pas d'en tirer conclusions au sujet de la non cons ommation du mariage ». Ad summum praesumi potest, coniugium consummatum non fuisse, sed non « certo » cum desint argumenta physica certa: « avec l'absence des preuves physiques certaines ». Atqui nos hic certitudinem quaerimus, et unius praesumptionis contenti esse nec pos-

sumus, nec debemus, cum ex facto condormitionis, fortior et violentior praesumptio militet pro consummatione coniugii.

Proinde ex una parte argumenta habemus, quae simplicem praesumptionem insinuant, Aemilium et Rachelem non convenisse. Ex alia dici non potest, Rachelem omnia et singula habere adiuncta, quae eamdem virginem adhuc esse renuntient. Duo periti id affirmare non audent, et matrimonium non fuisse consummatum probabile esse, et etiam posse praesumi dicunt. Sumus itaque in obscuris. Unum est argumentum, quod omnia vincit, scilicet condormitio, ex qua educitur copulae violenta praesumptio. Praesumptio haec non vincitur a coniugum confessione, quae dissona invenitur, non ab instrumento (Pessario) quod applicatum est Racheli, quia dubium augere dignoscitur, cum latitudo vaginae, possit et instrumento adscribi, et copulae habitae una aut altera vice. Cum ergo simus in dubio, absit ut dicam supplicandum esse SSmo pro dispensatione, quae hic locum habere non valet. « Tolerabilius enim est contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare ». (Cap. *Licet 47, de Test, et att.).*

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Consuetis nuptiarum tractatibus praescriptisque denunciationibus praemissis, matrimoniale foedus die 5 Augusti 1884 legitime libenterque coram parocho oppidi *Charenton*, archidioecesis parisiensis, initum fuit inter Rachelem Solange Claire ville, annos tunc agentem 30, et Abelem Aemilium Gaucher, annos tunc natum 25. Ast individua vitae consuetudo a coniugibus illico subinde instituta apud sponsae parentes brevi admodum tempore perduravit. Futiles enim quaestiunculae inter sponsum et sponsae parentes enatae vel ab ipso nuptialis convivii die adeo creverunt, ut maritale habitaculum apud eos constitutum, sponsamque, post novem vix dies ab incoepta vita coniugali, deserere vir coactus fuerit. Pluries nihilominus rediit idem vir, ut uxorem suam alloqui saltem posset ; sed cum toties contumeliis minacibusque verbis vel ab ipso domus ingressu reiectus fuerit, consilium iniit sponsae

eiusque parentibus obviam eundi in via, ubi, expostulata inutiliter venia loquendi cum uxore, hanc huiusque parentes baculo haud leviter percussit.

Ex utraque subinde parte coram laico iudice dimicatum fuit, nedum ob institutam iniuriarum actionem et expetitam tori coniugalis separationem, verum etiam ob divortii litem hinc inde promotam. Huiusmodi lite ultimo loco dirempta iuxta mulieris vota per sententiam diei 13 Aprilis 1892, animum viresque Rachel intendit ad ipsam matrimonii consummationem infitiandam, Summum Pontificem rogans, ut secum super eodem matrimonio tamquam rato et non consummato dispensare dignaretur. Vir autem, qui nihil magis cordi habebat, quam invisum matrimonii vinculum abrumpere, quique ideo ab hoc promovendo iudicio abstinuerat, quia renuntiatum sibi fuerat, necessariam ad id esse corporalem mulieris inspectionem, - maxima animi voluptate praefatam uxoris intentionem prosequutus est, suumque studium in idem contulit.

De duobus adlectis Consultoribus, qui processus acta ad trutinam revocarunt, alter (Canonista) licet maxime praeprimis haereat, gravissimasque coniugum contradictiones agnoscat, quae substantialiter afficiunt assertam ipsam matrimonii inconsummationem, nec diffiteatur quod specimen in mulieris corpore a medicis peractum nihil prorsus pro ipsamet matrimonii inconsummatione concludere valeat ; attamen eorumdem coniugum votis benignissime demum indulget. Alter vero Consultor (Theologus) in hanc descendit conclusionem : « Ex una parte argumenta habemus, quae *simplicem praesumptionem insinuant,* Aemilium et Rachelem non convenisse. Ex alia dici non potest, Rachelem omnia et singula habere adiuncta, quae eamdem virginem adhuc esse renuntient. *Duo periti id affirmare non audent,* et matrimonium non fuisse consummatum, *probabile esse,* et etiam posse praesumi dicunt. Sumus itaque in obscuris. Unum est argumentum, quod omnia vincit, scilicet CONDORMITIO, ex qua educitur COPULAE VIOLENTA PRAESUMPTIO. Praesumptio haec

non vincitur a coniugum confessione, quae dissona invenitur: non ab instrumento (pessario) quod applicatum est Racheli, quia dubium augere dignoscitur, cum LATITUDO VAGINAE possit et instrumento adscribi et COPULAE HABITAE una aut altera vice. Cum ergo simus in dubio, ABSIT ut dicam supplicandum esse SSmo pro dispensatione, quae hic locum habere non valet ».

Huic conclusioni ex animo adhaereo, peremptoria cum sint rationum momenta, quibus eadem conclusio innititur: et ne acta iterum agere videar, paucissima tantummodo in huiusmet rei confirmationem summis digitis attingam. Ac praeprimis recolere iuvat tritissimam iuris regulam in *cap. Super, eo 5 De eo qui eo gn. consang. etc.* traditam: « Tuae fraternitati respondemus quod *propter eorum* (coniugum) *confessionem* tantum *vel rumorem viciniae* separari non debent, cum et quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere. . . . Rumor autem viciniae non adeo est iudicandus validus, quod nisi rationabiles et fide dignae probationes accedant, possit bene contractum matrimonium irritari ». Quod si ne *concordi* quidem utriusque coniugis iuramento credi potest, quid in casu, in quo coniuges, impenso studio contra matrimonii vinculum certantes, dum iudiciale subeunt periculum, in maximas se coniiciunt contradictiones, quae recensentur a consultore theologo, quaeque ipsum assertae inconsummationis factum substantialiter afficiunt ? Quid insuper, quod vir prius ab huiusmodi iudicio promovendo se abstinuit ob rationem corporalis inspectionis a muliere subeundae, postea vero virginitatis defectum in uxore ultro admittens, id explicare praesumit per accusationem inhonestae vitae a se gratuito mulieri impactam? Ita porro ipse curiae parisiensi ad rem scripsit: « Est-il étonnant, Messieurs, que cette preuve matérielle manque au procès qui nous occupe? Non. assurément. S'il m'avait été permis de vous demander justice en 1884 alors que tous rapports sexuels m'étaient refusés par ma femme, certainement à cette époque vous eussiez trouvé la preuve maté-

rielle que vous exigez aujourd'hui. Mais neuf années se sont passées depuis ces faits, et ce qui pouvait être prouvé alors, ne peut l'être aujourd'hui. Puourquoi ? Ais-je besoin d'insister sur certaines déductions blessantes et immorales ? Mais faut-il pour cela que les conséquences de l'inconduite de l'un des partis soient supportées par l'autre?...

Contra iuris regulam superius allatam frustra obiicitur *mp. Laudabilem 3 De frig. et male f.* ubi haec leguntur : « Si autem, quod nunquam se invicem cognoverint ambo fatentur cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis evangeliis, uterque iureiurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, et tunc videtur quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare ». Nam *cit. cap. Laudabilem* de viro agit, qui in inutilem truncum traducitur, et impotentiae casum taxative respicit, prouti liquido apparet nedum ex triennali experimento immediate ante praescripto, verum etiam ex his verbis obiectum textum immeqiate sequentibus : « Verum si ille aliam duxerit, tunc hi qui iuraverant, rei periurii teneantur, et, peracta poenitentia, cogatur ad connubia priora redire ».

Minusque vero coniugum confessionem scindere iuvat, et veracem renunciare mulierem, mendacem autem virum, ut desperata eorum causa ab implexissimis eruatur difficultatibus. Absonum enim imprimis esset, ut quod duobus concorditer animantibus non admittitur, altero tantum admittatur. Argumenta praeterea exulant, quae mulieri potius fidem adiicere iubeant quam viro, qui eodem ceteroquin studio contra matrimonii vinculum abripitur, quique pro se habet, non secus ac illa septimae manus testimonium. Quod si nihilominus mulier in iurato examine sibi magis cohaerere videatur, non minus inverosimilia et a veritate aliena apparent ea quae ab ipsa narrantur, prouti consultor theologus animadvertere satagit.

Corporalem demum mulieris inspectionem quod attinet, recolere satis est assimilem casum - *Parisien, dispensatio-*

nis matrimonii, inter Carolam de Oliveira et Iulianum Gavinzel, - coram S. O. C. in plenariis comitiis diei 21 Iulii 1888 et diei 7 Septembris 1889 disceptatum sub consueta rogandi formula - *An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu* - quae NEGATIVO RESPONSO dimissa fuit, licet periti medici, qui de iudicis mandato mulieris corpus per lustraverant, in eiusdem mulieris virginitatem multo magis configerent ac in casu hodierno. Brevitatis gratia referam dumtaxat quae tunc testatus est unus ex medicis, qui etiam nunc testificatur, idest doctor Angelus Ferrand. Hic equidem medicus a iudice deputatus scripto tunc retulit : « L'examen de cette personne (Carolae de Oliveira) ne m'a montré dans tout son habitus extérieur *rien d'anormal.* . . . L'examen extérieur des parties sexuelles ne présente *rien d'anormal.* Les petites lèvres ont leur *dimension naturelle* et *la vulve,* dans son entier, *répond bien à celle d'une femme nubile,* mais *qui na pas enfanté ni même conçu.* Les petites lèvres soulevées laissent voir un hymen qui *parait, être intact,* mais non imperméable. . . . *L'orifice,* qu'ils laissent libre de leur milieu, *est assez régulier,* semble et assez dilatable pour admettre sans difficulté l'introduction du doigt indicateur, lequel peut ainsi pénétrer dans le vagin sans réelle difficulté *malgré une certaine contraction du muscule constricteur.* - Cet examen suffit pour conclure : que la conformation est *normale* et permet certainement le rapport conjugal : que le rapport *a pu s'exercer, sans quii y ait de défloration manifeste* ». A iudice autem idem medicus opportune percontatus, ita mentem suam, iterato iuramento, aperuit : « *Physiquement* on ne peut pas affirmer la non consommation du mariage. MORALEMENT ON EST PORTÉ A CONCLURE QUE LA CONSOMMATION N'A PAS ÉTÉ EFFECTUÉE ».

Graviora profecto cum haec sint illis, quae nunc a praefato medico Ferrand et ab altero perito Bucquoy referuntur *(syn. off. pag. 48 ad 52),* minime dubito, quin eodem ac tunc NEGATIVO RESPONSO dimittatur supra inscriptum dubium.

His omnibus adductis, quaesitum fuit quomodo dimittendum esset

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matritrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio C. re disceptata sub die 11 Augusti 1894 censuit respondere: *Affirmative.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. Moralem certitudinem non secutae consummationis matrimonii sufficere ad dispensationem concedendam, auctoritate Doctorum et iurisprudentia S. C. C. evinci.

IL Integram probationem virginitatis *ex cap. Proposuisti 4 de proh.* tribus constare debere: nempe iurata partium depositione, inspectione mulieris, et testimonio *septimae manus.*

III. Quum iure definita non fuerit certitudo, quae requiritur et sufficit pro concedenda gratia dispensationis, nulla certior regula praescribi potest, quam ut ea sit, quae virum prudentem, certum redderet, attentis recurrentibus circumstantiis.

IV. *Ex, cap. 4 De frigid, et male f.* erui dispensationem concedi etiam per solam coniugum confessionem, roboratam testimonio *septimae manus,* quatenus uterque coniux iureiurando dicat quod una caro per carnalem copulam numquam facti sint.

V. In themate moralem certitudinem non deesse; quia partium iuramentum innititur testimonio septimae manus, ipsique corporali mulieris inspectioni.

VI. Matrimonium censendum esse tantum ratum et non consummatum, quoties hymen, qui vaginam claudit, sit intactus; quia ex integritate hymenis, virginitas inviolata deducitur.

INTERAMNEN.

PRIVATIONIS PAROECIAE

Die 11 Augusti 1894.

Sess. 24 c. 5 de Beform.

COMPENDIUM FACTI. Ioseph Franchi, sub nomine Patris Didaci sacerdos professus Minoris Observantiae S. Francisci, ob leges gubernii italici eversivas Ordinum Religiosorum, relicto claustro et obtento saecularizationis temporaneae decreto commorabatur Interamnae. Interea vacavit huius civitatis paroecia S. Ioannis Evangelistae *die 5 Aprilis 1885,* at semel iterumque indicto concursu, ob sacerdotum defectum, nullus adfuit candidatus, quare Episcopus cognoscens sacerdotem Franchi in sua civitate commorantem nulli officio addictum, eumdem invitavit ad paroeciam capessendam ; et re quidem vera, praevio concursu, ad eam approbavit. Verum quia sacerdos Franchi ob decretum temporaneae tantum saecularizationis, non poterat titulo inamovibili suscipere beneficium curatum saeculare, in manus Episcopi emisit declarationem : declaro et promitto sub iuramento, tacto pectore modo sacerdotali retinere Paroeciam s. Ioannis Apostoli et Evangelistae ad nutum Episcopi pro tempore et superiorum Ordinis Franciscani donec obtineam a Sede Apostolica Breve saecularizationis perpetuae. Ceterum Episcopus volens e manibus regii suboeconomi beneficiorum vacantium reditus illius paroeciae subtrahere et per eosdem congruam sustentationem procurare huius paroeciae administratori, eidem dedit Bullam Institutionis in Beneficio quam subsecutum est ita dictum *Regium Placet.* Exinde a potestate ecclesiastica legitime immissus fuit in possessionem paroeciae eiusque bonorum, addita tamen clausula: *Attamen donec non obtinuerit a S. Sede Breve saecularizationis, cum Rev. Franchi sit ex Ordine Minorum Observantium,. intendit retinere et possidere ipsam parochialem ecclesiam s. Ioannis Apostoli et Evangelistae ad nutum s. Sedis et Rmi Domini Episcopi*

pro tempore, Interamnae existentis, prout ex decretis hac super re a ss. Congregationibus latis.

Ratio agendi huius parochi non undequaque nec Episcopo nec fidelibus satisfaciebat, quapropter paternis monitionibus ipsum admonere non semel curavit Ordinarius. Forsitan ob querelas parochianorum et Episcopi monitiones, timens ne suo munere dimoveretur, sollicitus fuit Religiosus Franchi a S. Congregatione super disciplina Regularium petere decretum perpetuae saecularizationis, quo, adimpleta conditione apposita in actu acceptationis paroeciae, inamovibilis evaderet.

Quod obtinuit per sequens rescriptum: « Sacra Congregatio super disciplina Regulari, vigore facultatum a SSmo Dno Nostro Leone Papa XIII per Rmum Praefectum sibi tributarum, attentis informatione et voto P. Proc. Geñlis Ordinis, nec non litt. test. Ordinarii Interamnen. benigne annuit eidem Ordinario, ut - constito sibi oratorem de congruo patrimonio, vel de alia sufficienti sustentatione esse provisum - exclusa civili pensione - ipsi licentiam concedere valeat manendi extra claustra habitu regulari dimisso, *quoad vixerit:* ita tamen, ut substantialia votorum, quatenus fieri poterit, observet; habitus religiosi memoriale signum intrinsecus deferat; Ordinario loci subsit in vim quoque solemnis obedientiae voti. Constitutionibus, ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus. - Hoc autem decretum, P. M. Provinciali notum illico reddendum, nisi infra sex menses fuerit executioni demandatum, nullius esto roboris. - Romae die 31 Iulii 1888 ».

At ipse Franchi, animo inconstans, neglexit satisfacere conditioni Rescripto appositae, scilicet: *Hoc autem decretum P. Ministro Provinciali notum illico reddendum, nisi infra sex menses fuerit executioni demandatum, nullius est roboris,* nam nec Ministro provinciali obtulit, nec executionem intra sex menses petiit; quocirca decretum nullius evasit valoris. Sed suum propositum amplius uti nolle impetrato rescripto, luculenter significavit *anno 1890* per literas manifestans Episcopo suam intentionem renunciandi curae animarum, ut

iterum claustro religioso se redderet. Episcopus qui votis et etiam notationibus sollicitaverat talem deliberationem, accepit intentionem manifestatam renunciandi quasi actualem renunciationem et rescripsit sacerdoti Franchi, laudans et acceptans eius voluntatem et annuens eius petitioni, nempe sibi reservandi annuas libellas 180, praestandas ab Oeconomo qui eius vice curam animarum gereret. Ipse Franchi ratam habuit, absque ulla contradictione, Episcopi deliberationem, dans mandatum procuratorium pro administratione bonorum Oeconomo spirituali in eius locum ab Episcopo suffecto et domum parochialem relinquens se recepit in religiosam domum loci *Stroncone*At quam citius vitam religiosam fastidii coepit adeo ut cogitaverit de iterum capessenda administratione paroeciae s. Ioannis ; quod perfecit irruens in ecclesiam parochialem, spolians aedi tuum clavibus sacrarii ecclesiae et Oeconomo spirituali intimans ut paroeciam desereret; quia ipse unus erat in facie ecclesiae et coram gubernio civili parochus ab omnibus recognoscendus. Tunc Episcopus, ne tantae audaciae cederet, nec tam grave scandalum impunitum relinqueret, sequens dedit decretum:

Visis etc., utens auctoritate nostra ordinaria declaramus, religiosum patrem Diegum e Min. Obs. alias Iosephum Franchi, excidisse *iure* et *facto* ab omni administratione, tum quoad temporalia, tum quoad spiritualia paroeciae s. Ioannis Evangelistae huius civitatis.

Nolens tamen sacerdos Franchi pacifice acquiescere huic decreto, Episcopus ad urgendam eiusdem executionem mandavit ut communicaretur regio suboeconomo beneficiorum vacantium, qui omnino paroeciam uti vacantem consideraret. Tunc omni vi resistentiae destitutus religiosus Franchi, auxilium a gubernio civili postulavit, sed incassum; unde recursum habuit ad S. C. C. petens, ut nullum declararetur Episcopi decretum; sed sub die 7 Maii 1892 repositum fuit *Lectum* et instans Orator ut ederetur decretum *Ponatur in folio,* rescriptum fuit : *In decretis et non amplius recipiantur preces.* Nihilominus non acquiescens sacerdos Franchi *sub*

die 24 Septembris iterum decreta anteriora fuere confirmata. At manus non dedit victas, et alias obtulit preces, cui alteri libello significanti omnes rationes controversiae, attenta aliqua quamvis tenui probabilitatis specie decretum fuit sub die 17 Decembris 1892 : *Praevio deposito 300 libellarum pro expensis - Ponatur in folio - idque notificetur Episcopo iuxta formam.* Hoc decretum paulisper eius audaciam confregit, quare alium porrexit libellum significans se a iudicio destiturum si aliqua sibi assignaretur pensio sub beneficio parochiali controverso. Episcopus renuit huic petitioni; quamobrem quacumque spe deiectus Orator, iterum ad iudicium confugit.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO EPISCOPI. Episcopus in sui defensionem in literis Sacrae C. O. datis recolit praecipuas facti circumstantias, ex quibus simpliciter enarratis confidit meliorem deduci demonstrationem suae legitimae agendi rationis. Nam observat, ipsum iure merito potuisse privare sacerdotem Franchi paroecia, quam *ad eius nutum* retinebat. Non enim evasit *inamovibilis* ob impetratum rescriptum perpetuae saecularizationis, quod nullius est valoris, quia umquam executioni demandatum non fuit. Executio vero defuit in primis ex parte ipsius Franchi, qui intra sex menses non obtulit rescriptum Ministro provinciali, uti patet ex huius litteris diei 17 Dec. 1891 - ex parte Episcopi qui non petitus ab ipso Oratore numquam cogitavit de executione, quam aliunde etsi petitus non concessisset ob malam agendi rationem sacerdotis Franchi.

DEFENSIO PAROCHI. Actoris ad iura tuenda procurator constitutus totus est in ostendendo Episcopum per suum decretum spolium commisisse. Ex factorum narratione, ait ille, duo clare emergunt : nempe I° realem possessionem beneficii parochialis favore parochi ; 2° spoliationem violentam bonorum beneficii parochialis ab Episcopo factam per decretum extraiudiciale diei 21 Decembris 1891. Spolium enim observat

patronus, non solum patratur, quando aliquis a sua possessione expellitur privato arbitrio et vi; sed etiam quando, neglecta cognitione causae ac iuris ordine non servato, iudex a possessione eiicit aliquem, neque citatum, neque auditum. In isto casu habetur spolium quod iuridicum dicitur; quia tunc iudex, procedens contra normas a lege statutas pro iudiciis, habetur ceu persona privata, et vis, qua ipse alicui aufert possessionem, aequiparatur vi a privato illatae. Atqui placuit Rmo Episcopo Interamnensi, absque citatione parochi, absque processu, iuris naturae et positivi oblito, controversiam dirimere relate ad institutionem, consequutamque investituram beneficii Parochialis s. Iohannis. Igitur Episcopus decretans, quod usus auctoritate ordinaria declaravit paroeciam vacantem *iure* et *facto,* committebat verum spolium iuridicum.

Procurator, spolio iuridico probato, dicit suum clientem omnino restituendum esse in possessione rei, et refert *c. VII, tit. 13, lib. 2 Decretalium,* quod ad literam, in hac controversia quadrare ait. Scribit enim Pontifex Alexander III : « Conque rente nobis R. Clerico accepimus quod ipsum Ecclesia de Werfort sine iudicio spoliasti. Quia iam non decet honestatem tuam clericos tuae iurisdictionis sine manifesta causa et rationabili suis beneficiis spoliare, quibus teneris paterna fruitione consulere : mandamus quatenus (si ita est) praedicto clerico praefatam ecclesiam cum reditibus, inde perceptis, restituas et in pace possidere permittas ». R. Clericus tunc spoliatus Ecclesiae de Werfort Pontifici conquerebatur, nunc parochus Franchi spoliatus Ecclesiae s. Ioannis Interamnensis Civitatis, apud S. C. C. conqueritur. Pontifex mandavit clericum restitui, quia non decebat clericum spoliari sine manifesta causa et rationabili, parili ratione, decretum privationis Paroeciae diei 21 Dec. 1891 infirmando, restitui parochum, ante omnia, mandare debetis. Et, prosequitur orator, sicut Pontifex in citato capite, purgato spolio, dicit Episcopum posse iudicium experiri, ita concedit, quod Episcopus Interamnen., postquam spoliatus plene reintegratus

sit in beneficii possessione, possit instaurare iudicium contra parochum. Imo protestatur suum clientem in hac sede iudicii non quaerere de merito controversiae, sed unice expostulare remedium restitutionis in integrum.

Remedio restitutionis in integrum non obstat, observat patronus, nova circumstantia in pendentia litis exorta; institutio videlicet favore alterius parochialis beneficii s. Ioannis. Ignorare haud poterat Episcopus Interamnen. ecclesiasticas sanctiones quoad litis pendentiam. Lite enim pendente, quidquid attentatum fuerit in praeiudicium partis collitigantis debet purgari et restitui in statum pristinum ; ita ut, ante restitutionem non possit procedi ultra in actibus iudicialibus et quidquid istis attentatis innititur in progressu iudicii nullius esto valoris. Verum istud attentatum patratum fuit, postquam, consentiente Episcopo Interamnensi, controversia *in folio* expeditionis causae iam scripta videbatur, cui necesse praecedere debebat citatio.

Ulterius, prosequitur defensor, valida esse non poterat nova institutio, quia beneficium neque iure neque facto vacabat. Parochus enim adhuc manet in possessione parochialis domus, quam ipse nullimode relinquere voluit. Possessio haec refutat assertiones Episcopi, dicentis esse notoriam renunciationem paroeciae omnimodam per reditum parochi ad claustrum. Insuper ad negandam derelictionem paroeciae ex parte parochi, procurator refert alium factum, nempe epistolam P. Provincialis ad Episcopum, in quo legitur Parochum certiorem fecisse P. Guardianum, se donatum fuisse perpetua saecularizatione, insuper esse parochum cum bullis, a Gubernio recognitum et abhorrere a religioso Ordine, a quo reiicitur, eodem tempore, a Provinciali. Post hoc orator, fatetur se non intelligere quomodo paucis post diebus ab hac epistola in decreto privationis audeat Episcopus asserere parochum paroeciam reliquisse cum animo repetendi Ordinem religiosum, quod omnino fecit et in obedientiam iterum receptus fuit.

Verum est, parochum mensibus aestivis aliquantulum commorasse in conventu oppidi Stronconi, sed non praeter-

misit munera parochialia explere sive per se sive per alium; proinde veritati alienum videtur, parochum mansisse Stronconio conventu, uti in loco a propriis superioribus ei assignato. Ad rem attestatio P. Guardiani ipsius conventus producitur.

His notatis, ait defensor, supervacaneum esse loqui de praesumpta renunciatione, postquam patuit voluntatem renunciati unquam adfuisse.

Nec tandem remedio restitutionis in integrum, notat procurator, obstat factum recognitionis novi instituti ex parte italici gubernii. Recognitio effectum non habet quando iura tertii sunt controversa; uti in formulis huius recognitionis exprimitur « salvo le leggi dello Stato, ed il diritto dei terzi ». In casu autem, recognitio consistere non potest, prout Supremum Collegium Consiliariorum Status Italici Regni perpendit vacationem beneficii non existere, quousque appellationi parochi ad gerarchicam auctoritatem ecclesiasticam finis datus non fuerit. Demum Orator suas animadversiones prosequens, meritum quaestionis delibat ad melius comprobandum spolium. Advertit enim, quamvis beneficia saecularia Regularibus conferri non debeant, tamen hanc regulam suas habere exceptiones, prouti accidit in casu quo Religiosus Franchi ad parochiale beneficium vocatus fuit ob defectum sacerdotum saecularium. Iste praeterea postea obtinuit decretum perpetuae saecularizationis, se gerens omnino uti saecularem presbyterum in paroeciae administratione. Exinde infert, non obstare Episcopi assertionem, se nempe numquam executioni mandasse hoc decretum saecularizationis, quod proinde nullius evasit valoris eo maxime, quia erat in *forma commissoria* conceptum. Nam reponit procurator, decretum non in *forma commissoria,* sed *gratiosa* fuisse conceptum, quum revera gratiosum esset ; nec ad *validitatem* ulla indigere executione, quia non requirebatur processus iudicialis ad probandam parochi possessionem in paroecia ; cum esset notoria nec sententia in huiusmodi exequutivis negotiis necessario requiritur scripta, sed sufficit quaecumque expressio

voluntatis superioris; et Episcopus qui non renuit, *tacite* consentire visus est, quia versamur in favorabilibus. Nec, prosequitur orator, Episcopo iuvat dicere parochum conditionem subscripsisse, obtinendae nimirum legitimae perpetuae saecularizationis ; nam in casu conditio tamquam impleta haberi debet, cum ille cui onus incumberet, omnia posuit ut impleretur. Etiamsi impletio conditionis in dubio revocari possit in casu, non exinde sequitur, Episcopum spoliare parochum potuisse, quia conditio indeterminatum tempus respiciebat, et Episcopus ante privationem facere debebat parocho interpellationem ad eum in mora constituendum; et eo plurimum quia conditio retinendi beneficium ad nutum, copulativa erat, videlicet ad nutum S. Sedis et Episcopi Interamnae existentis.

Tandem patronus, postquam innuerit, Episcopum non posse in sui favorem invocare Instructionem S. Poenitentiariae datam anno 1867, quae non facit ad casum, potius pro suo cliente vindicat beneficium praescriptionis *ex triennali possessione*, concludendo controverti non posse, mansisse Parochum, post obtentam saecularizationem perpetuam, ultra alios tres annos in pacifica possessione beneficii parochialis. Ipse verus ac titularis parochus se praebuit, talem habuit Episcopus, ut verus parochus ab omnibus cognitus fuit. Eapropter regula 35 Cancellariae Apostolicae de triennali possessione ei plane suffragatur. Quia haec regula, omnes defectus sanat, ingressu simoniaco excepto.

Hisce praenotatis, propositum fuit enodandum

Dubium

An extraiudiciale Episcopi decretum diei 21 Dec. 1891 sustineatur in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 11 Aug. 1894, censuit respondere : *Affirmative et amplius.*

CERINIOLEN.

ONERUM

Die 11 Augusti 1894.

Sess. 25 cap. 12 de Ref.

COMPENDIUM FACTI. Ecclesia civitatis *Ceriniola,* quae *Nullius erat,* per Bullam Pontificiam anni 1812 effecta fuit Cumeathe cathedralis ecclesiae civitatis *Ascoli Satriano.* Per dictam Bullam congruae episcopali ita consultum fuit : « Mensae episcopali praedictae, videlicet ex nunc, tot bona stabilia ex maiori quantitate, ad memoratum Collegium legitime spectantia et pertinentia, ab omni censu, canone, hypotheca et a quovis alio onere prorsus libera, immunia et exempta, quae annuum reditum quadringentorum ducatorum, monetae regni praedicti, attingant, intra praefinitum tempus unius biennii, a data praesentium computandi ; lege tamen adiecta, ut donec, et quousque haec assignatio non fiat, novum Capitulum censum annuum quadringentorum, ducatorum monetae regni praedicti (pro cuius securitate universa Capituli bona specialiter affecta, et hypothecata remanebant) Episcopo persolvere teneatur, eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque assignamus ».

Tunc temporis Capitulum habens universos suos fundos censibus activis suppositos, Episcopo fundos attribuit quorum census responderent summae ducatorum 400 seu libellis italicis 1700. At aliquo post tempore Episcopus *Todisco Grande* reputans hanc reditus assignationem esse minus conformem Bullae erectionis, decernentis bona stabilia Mensae episcopali assignata debere esse *ab omni censu, canone, hypotheca et a quovis alio onere prorsus libera, immunia et exempta,* potius a Capitulo exquisivit directe summam ducatorum 400, iuxta Bullae intentionem imponendi Capitulo obligationem subordinatam pro casu non impletae prioris obligationis ; nimirum *lege tamen adiecta, ut donec et quousque haec assignatio non fiat novum Capitulum censum annuum quadragintorum ducatorum... Episcopo persolvere teneatur.*

Haec ratio solvendi censum Mensae episcopali adhuc perseverat. Sed praesentis controversiae causa fuit, quaestio exorta, an taxa inter alias a Fisco bonis ecclesiasticis imposita *trigesimi pro centesimo* (30 *Oft)),* subeunda sit a Capitulo vel a Mensa episcopali *in casu.* Nam Capitulum habens bona stabilia hanc taxam iam passum est, semel pro semper, per subtractionem *trigesimi pro centenis* in *summa capjitali;* Mensa e contra episcopalis, bona immobilia non habens, *quotannis* hanc taxationem subit in reditibus census capitularis. Iamvero Fiscus taxam directe semper a Mensa episcopali exquisivit ; sed si attendamus Episcopi relationem, hactenus haec taxa a Massa capitulari praelevata fuit ; ex adverso ex allegationibus canonicorum pateret, taxam ab ipso Episcopo solutam fuisse. Quidquid sit de facto, modo Episcopus contendit, hanc Fisci usurpationem non a Mensa episcopali, sed. a Capitulo subeundam esse.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO EPISCOPI. Imprimis Ordinarius repetit Capituli praestationem a sua origine, advertens quod tempore erectionis Cathedralis *Ceriniolae* ex eius 46 beneficiis 22 suppressa fuerunt, cuius suppressionis reditus pro 400 ducatis Episcopo, pro 600 Seminario, pro aliis 600 Mansionariis assignati fuerunt, residuis Capitulo remanentibus.

Insuper notat Ordinarius, canonicalium praebendarum conditionem progressu temporis ditiorem evasisse, quia Seminarium Ceriniolae multis iam abhinc annis non habetur; unde a praestatione ducatorum 600 Capitulum se exemit, nec non quia Canonicorum numero, per leges subversivas, ad 12 reducto, superstitum reditus augeri potuerunt.

Dein Episcopus provocat ad Bullae erectionis intentionem quae hanc contributionem Canonicis imposuit, ut Episcopi *dignitatem suam decenter tueri valeant.* Quocirca, notat praesul, si Mensa episcopalis solvere debeat etiam hanc taxam computandam in libellas 157. 08; praeter alias vulgo dictas *di'ricchezza mobile e di mano morta,* non supersunt

nisi libellae 984. 34; quae summa plane dignitati Episcopi tuendae impar est.

Ex eadem Bulla recolit dispositionem qua decernitur bona Episcopo assignata debere esse *quovis alio onere prorsus libera, immunia et exempta* deducens Pontificis eam fuisse mentem ut Capituli praestatio semper summam ducatorum 400 exaequaret.

Hanc Capituli obligationem putat Episcopus etiam deduci posse ex consimili causa apud S. C. C. agitatam et definitam die 20 Ianuarii 1883 (1), spectante idem Capitulum Ceriniolae. Agebatur de dismembratione facta anno 1832 unius Paroeciae, tunc Ceriniolae existentis, unde aliae duae constitutae fuerunt, ita ut Capitulum iura *stolae* sibi reservaverit nec non consenserit in suppressionem 6 praebendarum Mansionariorum sub obligatione solvendi Parochis annuam summam ducatorum 150, titulo congruae. Cum vero postea haec congrua gravata fuerit taxa vulgo dicta *di ricchezza mobile,* quaesitum fuit: *An onus taxae vulgo - ricchezza mobile - sustinendum sit a parochis vel a Capitulo in casu;* et S. C. C. respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Demum notat Episcopus, non posse quaeri aliquod solatium vel perfugium in reditibus Mensae episcopalis cumcathedralis Asculi, quae taxis et omnis generis oneribus exhausta, non minus indigens est.

DEFENSIO CAPITULI. EX adverso Capitulares non minus in suo bono iure confidunt. Praeprimis advertunt per Bullam erectionis Capitulo factam fuisse obligationem *principalem* tribuendi Episcopo certa bona stabilia ob omni onere exempta, et *aliam subordinatam,* solvendi Mensae Episcopali annuam praestationem ducatorum 400. Ex circumstantiis in facti specie enucleatis, modo haec altera contributio servatur. Unde concludunt, Bullam eo spectare, ut quocumque in casu Episcopus reciperet a Capitulo integram summam ducatorum 400; sed nihil amplius.

(i) Habes hanc quaest. Vol. XV, 321.

Proinde si haec praestatio aestimatur quasi debitum Capituli erga Mensam episcopalem, notant quod integro soluto debito, debitor suae obligationi satisfecit, adeo ut quicumque casus postea eveniant summae legitimae depositae in manus creditoris, isti non a debitore, sed a creditore praestandi sunt. Iamvero Fiscus suam usurpationem operatur in summam a Capitulo, iam Episcopo tributam; quocirca damnum non Capitulum, sed Episcopus ferre debet.

Si vero Capituli contributio potius uti census considerari velit, conformiter ad verba Bullae : « Novum Capitulum censum annuum ducatorum 400» etc.; advertunt Capitulares, clarius evinci, nullimode Capitulo onus taxae sustinendum esse. Nam in celebri Const. S. Pii V, circa censuum solutionem, *Cum onus Apostolicae 'Servitutis,* aperte decernitur, census semel constitutos, nulla de causa, augeri aut diminuì posse. Revera edicitur § 4: *Conventiones directe vel indirecte obligantes ad casus fortuitos eum qui alios ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus,* et sub § 5 : *Declarantes pretium semel censui constitutum numquam posse ob temporum aut contrahentium qualitates seu aliud accidens nec quoad ultimo contrahentes minui vel augeri.* Quapropter concludunt Canonici non posse augeri onus censuarium Capituli erga Mensam episcopalem, quin S. Pii V laedatur constitutio. Nam quamvis *titulo taxae sive indemnitatis* aliquid amplius solvatur, semper verum esse, Capituli praestationem augeri et pergravari.

Imo advertunt tantum a iure alienum esse quod Capitulum debeat pro Episcopo taxae onus sentire, ut si examussim vellet servari dispositio S. Pii V, in citata Constitutione, potius diminui quam augeri deberet contributio. Revera Pontifex in eadem Constitutione sub n. 10 decernit : *Postremo census omnes in futurum creandos, non solum re in totum vel pro parte perempta, at infructuosa in totum vel pro parte effecta volumus ad ratam perire.* Unde deducunt Capitulares quod ob diminutionem passam in suis fundis ex applicatione taxae *trigesimi pro centenis* pro rata ipsum

censum antea constitutum reducendi ius perspectum haberent.

Demum Canonici urgent quamdam decisionem S. C. C. datam in una *Cortonen. 25 Iulii 1891* (1), qua parochus loci Farneta convenerat Capitulum Cathedrale ea intentione, ut super summa 77 scutatorum a Capitulo ex quadam conventione parocho praestanda, ipsum Capitulum persolveret taxam vulgo *di ricchezza mobile e mano morta,* postea a Fisco impositam; at proposito dubio: *An et quo tempore Capitulum Ecclesiae Cathedralis Cortonensis teneatur refundere parocho et capellano loci Farneta taxas vulgo* di ricchezza mobile e di mano morta, *de quibus in casu.* S. C. C. censuit respondere: *Negative et amplius.* Quam responsionem uti sapientissimam laudant Canonici et in eumdem sensum propositae nunc controversiae respondendum arbitrantur.

Huiusmodi sunt partium deductiones; ex officio autem aliquid adiectum fuit, ut pateret quomodo conciliari possint duo decisiones hinc inde a partibus citatae, quae sane prima fronte videntur e diametro inter se pugnare. At re quidem vera, si acta harum causarum inspiciantur, quaecumque difficultas evanescit. Nam in causa *Ceriniolae anni 1883* ab Episcopo invocata agebatur de Capitulo Cathedrali quod, sibi reservatis reditibus *stolae* et aliis nonnullis paroeciarum nuper erectarum, obligationem assumpserat praestandi certam congruam; unde S. C. C. promoto dubio circa onus taxae vulgo *di ricchezza mobile* respondit, dictum onus a Capitulo sustinendum esse. Ex adverso in causa *Cor tonen,* a Capitulo adducta quaerebatur an Capitulum oneratum quadam praestatione erga parochum loci *Farneta,* deberet ipsum ferre taxam vulgo *di ricchezza mobile e mano morta,* postea parocho a fisco impositam ob hos reditus. Sed ex actis causae constabat, Capitulum hac obligatione erga parochum teneri ob certa bona eidem Capitulo legitime in dominium a Principe concessa, adeo ut parochus in bona nullum ius haberet,

(1) Recole vol. XXIV, 294.

sed solummodo ad illam contributionem, quasi *creditor,* iure potiretur. Et S. C. C. sub *die 25 Iulii 1891* respondere censuit, Capitulum hanc taxam sustinere non debere.

Hisce praehabitis, propositum fuit diluendum

Dubium

An taxam trigesimi pro centenis (30 0\Q) Mensae episcopali impositam Episcopus solvere debeat vel potius Capitulum, in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 11 Augusti 1894 censuit respondere : *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

DECRETUM quoad clericos et sacerdotes alienae Dioecesis.

Anteactis temporibus non defuerunt apud Apostolicam Sedem Episcoporum querelae de clericis, qui suam deserentes dioecesim ad Urbem citra necessitatem et iustam causam pro lubitu demigrabant: et in singulis casibus, prout ferebat occasio, provisum tunc fuit. At nostra aetate hic abusus invalescere et eo gravior neri visus est, quo magis in pluribus dioecesibus sacerdotum imminutus est numerus: et idcirco ab Ordinariis non semel postulationes exhibitae sunt, ut eidem prospiceretur. Profecto tum ex veteri Ecclesiae disciplina, tum praesertim ex praescriptionibus S. Conc. Trid. *cap. 2° sess. 21 et cap. 16 sess. 23 De reform,* ac subsequentibus S. Congregationis resolutionibus, liquet non deesse Episcopis iuris remedia, quibus hanc clericorum licentiam coerceant. Ob suarum enim ecclesiarum necessitatem Ordinariis perspicue ius est interdicendi, ne sacerdotes, quamvis ad patrimonii titulum ordinati, propriam dioecesim deserant, eoque revocandi quamvis alibi, et adeo etiam in Urbe, per apostolicas litteras residentiale beneficium assequutos, si citra Ordinarii beneplacitum discesserint, eisque praebeatur unde honeste in sua dioecesi vivere possint. Hoc constanti disciplina retinuit S. Congregatio uti inter alia luculenter patet ex resolutione in causa *Reatina* diei 26 Ianuarii 1833.

Quapropter praedictis Episcoporum postulationibus S. Congregationis iudicio nuperrime subiectis, Emi Patres responderunt, satis provisum per superius memoratas sacrorum canonum dispositiones.

Nihilominus cum plures Episcopi, praesertim e proximis Urbi regionibus, etiam in unum collecti, postulationibus alias oblatis institerint, et impense a Summo Pontifice effìagita verini, ut aliquid hac in re peculiariter decerneretur, quo efficacius huic ecclesiasticae disciplinae perturbationi occurri posset, SSmus Dnus Noster Leo PP. XIII, omnibus mature perpensis, et iuxta ea quae alias per Emum Urbis Vicarium edi iusserat, haec quae sequuntur per Sacram Concilii Congregationem praescripsit ac statuit :

1. Clerici et sacerdotes saeculares alienae dioecesis aut etiam regulares, extra claustra degentes, nequibunt in posterum stabile domicilium in Urbe statuere absque expressa venia Summi Pontificis, per officium S. Congregationis Concilii impetranda.

2. Qui vero in praesens Romae degunt, si nullo beneficii aut officii titulo ad residendum adstricti sunt, nec per diuturnam commorationem et tacitam aut expressam suorum Episcoporum licentiam domicilium Romae acquisierint, post mensem a die huius decreti elapsum ad suam dioecesim redire debebunt.

3. Nullus ex clericis et sacerdotibus alienae dioecesis ad ecclesiasticum officium, quodcumque sit, aut ad aliud munus quod residentiam in Urbe requirat, eligi a quoquam in posterum poterit, nisi praeter testimoniales commendatitias sui Episcopi litteras, exhibeat quoque veniam a Summo Pontifice iam obtentam Romae manendi: itemque nemini beneficium conferetur, si assensum Ordinarii sui ad hoc non obtinuerit: atque aliter facta beneficii collatio nulla et irrita erit.

4. Qui ad litterarum scientiarumque studiis operam dandam vel ad honesta negotia peragenda, vel ex alia iusta causa in Urbe cum Ordinarii licentia versantur, statim ac temporaria huiusmodi causa cessaverit, vel a proprio Episcopo revocentur, ad propriam dioecesim redire debebunt, exclusa omni futili excusatione, ac praesertim, ob peculiarem dioecesium his temporibus conditionem,nullatenus eisdem"suffragante exceptione, sive ex susceptis studiis, sive ex praetensa tenuitate sustentationis,, ab Episcopo oblatae, desumpta : quod si durante hac eorum commoratione in Urbe sese, uti decet, non gesserint, per Vica-

natum Urbis propriis Ordinariis denunciabuntur, et ab Urbe discedere cogentur.

5. Quicumque denique, quolibet modo, praesentibus dispositionibus se non conformaverit, aut, quod Deus avertat, eisdem contraiverit, ipso facto suspensioni a divinis obnoxius fiet.

Ceterum Episcopi omnium clericorum suorum aeque curam gerant, neque, uti saepe dolendum, e sua dioecesi eos abire facile sinant, qui seu vitae ratione, seu aliis quibuscumque causis sese reprehensione dignos aut molestos exhibeant.

Haec itaque omnia Sanctitas Sua ab omnibus ad quos spectat, custodiri et inviolabiliter servari mandavit, contrariis quibuscumque, etiam peculiari mentione dignis, minime obstantibus.

Romae ex aedibus S. C. Concilii die 22 Decembris 1894.

A. CARD. DI PIETRO *Praefectus.*

L. SALVATI *Secretarius.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL

LUCIONEN. (1)

IURISDICTIONIS

Die 24 Augusti 1894.

COMPENDIUM FACTI. Die 3 Iunii superioris anni 1893 a Superiorissa Generali Congregationis Sororum vulgo *Filles de la Sagesse* in Gallia proposita sunt S. C. EE. et RR. enodanda sequentia dubia : I. *An et quomodo filiabus de la Sagesse conservari debeat Superior Generalis cum iurisdictione super universa Congregatione in casu.* II. *An ad hoc munus sit deputandus Superior Generalis Patrum Societatis Marianae electus iuxta regulas huius Instituti in casu.* Quaestio, uti fusius enarratur in praecedenti causae discus-

(1) ***Speciem et tractationem huius causae in prima propositione vide in praecedenti vol. XXVI, 148.***

sione, praecipue erat inter Episcopum Lucionensem, in cuius dioecesi domus mater praefatarum Sororum existebat et Sorores ipsas. Episcopus enim contendebat eas omnino a se dependere debere ; e contra Moniales aiebant ipsas subiectas esse debere Superiori Generali Patrum Congregationis Marianae, quae comunem Fundatorem habet cum Monialibus.

S. Congregatio mediam viam iniens proposita dubia ita diremit : *Salva in omnibus manente iuxta canonicas sanctiones, auctoritate et iurisdictione Ordinariorum super singulis domibus Filiarum Sapientiae et salva potestate Superiorissae Generalis, nihil immutandum quoad facultatem Superiori Generali Societatis Mariae tributam, praesidendi Capitulum Generale dictarum Sororum, invigilandi et promovendi in singulis domibus Constitutionum observantiam et sub debita Ordinariorum dependentia ponendi eos actus; qui ad Congregationis bonum et incrementum conducere possunt.*

Ab huiusmodi decreto Episcopus Lucionensis putans se laesum in suis iuribus, beneficium novae audientiae, vel restitutionis in integrum imploravit, et SSmus rescripto diei 25 Novembris 1893 annuit pro repropositione causae *praevia, quatenus opus sit, restitutione in integrum.*

Disceptatio Synoptica

PRO EPISCOPO. Episcopus Lucionensis in sua allegatione typis exarata fusius enucleat iam praeoccupata in prima causae propositione et totus in eo est, ut rationes adversae partis refutet. Praemisso itaque quod nulla derogatio iuri communi fieri debeat nisi ex gravi causa, descendit ad oppugnandum primum Sororum argumentum nempe quod Superior Generalis Societatis Marianae deputatus sit ah ipso Fundatore Sororibus Sapientiae, quam assertionem Episcopus respuit ceu gratuitam, a scripta regula et ab ipsa historia damnatam. *Gratuita* quia verba regulae quod nempe - Superiorissa nihil agere queat absque consilio *Patris Spiritualis* - indicant quod B. Fundator voluit ut Superiorissa ageret sub

dependentia Directoris Spiritualis seu Confessarii. Est *damnata ab ipsa regida,* quia haec praescribit quod •- Moniales pro directione Communitatis pareant Episcopo et Superiori ab ipso eis deputato. - Est *damnata tandem ab historia* quia Societas Missionariorum serius Societas Mariana, non extabat tempore mortis B. Fundatoris.

Item iuxta Episcopum nullo in pretio habenda est asserta ex adverso pacifica possessio duorum saeculorum cum approbatione S. Sedis et Episcoporum Rupellehsium. Quoad primum Episcopus se refert ad votum Rmi Consultoris, de quo in praecedenti causae discussione. Quoad secundum coarguit de falsitate assertiones Monialium, praesertim circa Episcopos Rupellenses Champflour et Crussol d'Uzés. Primus equidem an. 1715 regulam ipsarum approbavit, sed quae relicta fuerat a B. Fundatore in qua expresse auctoritas episcopalis recognoscitur. Relate vero ad nominationem sacerdotis M. Mulot an. 1720 pro Superiore Generali Filiarum Sapientiae respondet, tunc temporis non extitisse societatem Marianam proindeque ipsum fuisse tamquam Delegatum Ordinarii. Item quoad Episcopum Crussol de Uzés, utique an. 1773 ab ipso approbatae fuerunt Constitutiones, sed reponit Episcopus id factum fuit cum expressa reservatione iurium Ordinarii ceu legi potest in relativa particula. Quin imo, prosequitur, praecise ad defensionem horum iurium contra praetensiones Superioris Generalis Congregationis Marianae continuo reclamarunt primo Episcopi Rupellenses et deinde Lucionenses.

Sed de hoc argumento sicuti de alio quod Episcopus refutat, circa decantata a Monialibus inconvenientia ex suppressione Superioris Generalis Societatis Marianae, et utilitatem ex ipsius conservatione et ex unitate regiminis iam plura enucleata sunt in citato Consultoris voto, alias summatim relato.

Neque quarto attendendas esse, ait Episcopus, adhaesiones 35 Episcoporum, quas Moniales adducunt pro manutentione seu conservatione Superioris Generalis. Primo enim inter ipsas non recensentur adhaesiones Episcoporum Rhedonensis,

Pictaviensis, Rupellensis et Lucionensis, quae maximum pondus in quaestione habuissent, siquidem in ipsorum dioecesibus ortus et defunctus est B. Fundator, in his initium habuit et domum principalem retinet institutum. Plures Episcopi plagae occidentalis in qua maiori numero existunt sorores Sapientiae contrarii sunt. Deinde ex Episcopis qui adhaesionem dederunt, nonnulli id egerunt quin meritum quaestionis agnoscerent, vel quia putarunt petitionem procedere de consensu Ordinarii et Cardinalis protectoris : hinc est quod re melius cognita 13 ex his retractarunt sensum tributum eorum literis a Monialibus. Post hoc Episcopus producit 30 epistolas Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum Galliae concorditer petentium, quod sorores Sapientiae non eximantur a legitima Ordinariorum dependentia, quod verteret in malum exemplum aliorum Institutorum eiusdem conditionis et in damnum ecclesiasticae disciplinae.

Concludit demum Episcopus examinans decisionem S. Congregationis, quod, quamvis per eam apparenter videatur in tuto posita iurisdictio Ordinariorum, tamen de facto aliter est sive ob interpretationem peractam a duobus institutis adversariis, sive ob coexistentiam Superioris generalis, cui etiam tribuitur facultas praesidendi Capitulum generale praedictarum Sororum cum dispendio iurisdictionis Ordinarii Lucionensis, in cuius dioecesi existit domus principalis : quae facultas a Decreto Congregationis tributa praefato Superiori generali, iuxta Episcopum, est contradictio in iure et in facto. Est contra ius, quia Constitutiones aperte talem facultatem tribuunt non Superiori Generali, sed Ordinario Domus Matris : est contra factum quia haec facultas semper recognita fuit in praedicto Ordinario etiam ab ipsis Superioribus Generalibus Congregationis Marianae, qui si eam exercuerunt, id peregerunt tamquam delegati ipsius Ordinarii.

Ex his hucusque adductis, Episcopus instat pro plena iuris comunis applicatione.

MONIALIUM DEFENSIO. Ex adverso Sorores filiae Sapientiae, praemisso quod decisio S. Congregationis firmavit rerum sta-

tum iam biscentenarium et iam existentem cum approbatione S. Sedis et Episcoporum, observant quod Episcopus in sua allegatione nil novi attulit, sed tantum earum argumenta refutare tentavit, hinc in nova allegatione Moniales in maiori evidentia suas deductiones ponere obnituntur.

Et primo contendunt reapse B. Fundatorem cum assensu Episcopi Champflour statuisse quod Superior Missionariorum etiam Sororum Superior debeat esse, ceu apertissime constat ex primitiva regula ab eodem Episcopo approbata, in qua B. Fundator statuit Patrem Spiritualem, qui insimul sit ab Ordinario delegatus. Quod autem hic Pater Spiritualis Episcopi delegatus debeat esse iuxta Fundatorem Superior Missionariorum, Moniales facile erui dicunt ex testamento primae ipsarum Superiorissae, in quo ipsis commendat obedientiam Superiori Generali Missionariorum a S. Spiritu, *qui a P. de Monfort designatus est pro gubernio et manutentione in observantia regulae totius Congregationis.* Idem firmatur a primitivis Constitutionibus a primis duobus Capitulis generalibus approbatis. Idem tandem confirmat factum ipsum electionis P. Malot pro Superiore Generali Congregationis Filiarum Sapientiae, nam eodem tempore ipse gerebat munus Superioris Congregationis Missionariorum a S. Spiritu. Assertionem Episcopi Lucionensis, nempe quod tunc temporis Societas Mariana non existeret, Moniales' tamquam a veritate alienam repellunt. Haec enim societas existebat usque a tempore mortis Fundatoris et constabat Fundatore, duobus praesbyteris, 4 laicis, et tribus postulantibus; quod Moniales probari dicunt, nedum a testamento B. Fundatoris, sed etiam ab historico Clorivière relato etiam in contraria allegatione.

Secundo Moniales sustinent, quidquid in contrarium asseratur, hanc formam regiminis constanter approbatam fuisse ab Episcopis primo Rupellensibus et dein Lucionensibus, quoadusque Congregatio filiarum Sapientiae mansit dioecesana : et hoc aperte scatere dicunt ex pluribus documentis, quae in allegatione referuntur.

Sed, pergunt Moniales, eadem regiminis forma approbata

etiam fuit an. 1853 a S. Congregatione et dein in praxi recognita sive a S. Sede sive ab Episcopis. Sane primo Institutum filiarum Sapientiae et dein Institutum Missionariorum Societatis Marianae inste tit pro approbatione. Res remissa fuit Consultori, qui in suo voto, in sententia stetit, quod facta reservatione debita iurium Ordinario, iuxta legem Tridentinam, electio Superioris Generalis quoad eius confirmationem, sicuti eius dimissio et depositio a Supremo Pontifice dependeret, et non ab Episcopo Lucionensi, in cuius dioecesi domus primaria extabat, sicuti etiam nomine ipsius Pontificis, Superior deberet praesidere Capitulis, et partem habere in regimine filiarum Sapientiae, earumque domos invisere. Re proposita in Conventu generali S. Congregatio respondit: *Utrumque institutum esse approbandum tamquam votorum simplicium et nihil obstare quominus interim observentur Constitutiones reforynatae, iuxta votum Consultoris et ad mentem.* Hinc Moniales concludunt quod utrumque institutum fuit approbatum et quidem cum Superiore generali communi.

Deinde haec ratio regiminis etiam in praxi recognita fuit tum a S. Sede, tum ab Episcopis. A S. Sede, quia an. 1856 Vicarius Generalis Lucionensis ex delegatione ipsius praefuit electioni, post secutam dimissionem P. Dolin: idem praestitit an. 1860 Visitator Apostolicus in electione Superiorissae generalis : et an. 1873 declaravit quod novem ex decem partibus votorum etiam satis sint pro tertia electione Superiorissae generalis iam in officio. Ab Episcopis, quia Episcopi Lucionenses unanimiter hunc rerum statum ratum habuere, uno excepto actuali Episcopo, uti suis actibus fidem faciunt Episcopi Bailles, De la Marre, Colet et Lecoq.

Tandem Moniales contendunt Superiorem Societatis Marianae in iure et in facto praefuisse electionibus et Capitulis filiarum Sapientiae. In iure quia haec facultas est concessa ab omnibus Constitutionibus Instituti et adducunt analogas particulas illarum 1773, 1845, 1853, quae ultimae correctae fuerunt a Rmo Consultore S. Congregationis, et in quibus

legitur : *Ius convocandi Capitulum sive ordinarium, sive extraordinarium pertinet ad Superiorem Generalem* excepto casu quo duae tertiae partes Capituli postulant convocationem.* In facto quia quoadusque Congregatio fuit dioecesana, Superior convocavit omnia Capitula et de 23 habitis conventibus ipse 22 moderatus est. Post approbationem vero utriusque instituti a S. Sede peractam, usque ad annum 1893 habita fuere 11 Capitula, quorum praesidentiam semper obtinuit Superior Missionariorum.

Hisce enucleatis rationibus, Moniales iterum in luce ponunt utilitates et commoda quae proficiscuntur ex unicitate Superioris generalis utriusque instituti, et inconvenientia oggesta ab Episcopo dicunt omnino gratuita et imaginaria.

Expendentes vero quae adversa pars disserit circa literas commendatitias Episcoporum ab ipsis exhibitas, primo respondent quod sibi in animo nullimode fuit Episcoporum manifestationem provocare: pro approbatione instituti iuxta Sacrae Congregationis praescriptum, commendationes Episcoporum, in quorum dioecesibus instituti domus extabant, exhibitae fuerunt: at cum in praesenti quaestione accusarentur de deceptione Episcoporum, eorumdem commendatitias iterare debuerunt.

Potius, subdunt Moniales, episcopus Lucionensis dicendus est tentasse excitationem plebisciti Episcopalis non solum in tota fere Gallia, sed etiam in Mauritania ; circa quas attestationes Moniales animadvertunt quod Episcopi, qui eas dederunt vel parum erant instructi circa institutum quod non habebant in dioecesi, vel si habebant, in errorem fuerunt inducti ; ceterum si ipsi expostulant dependentiam Instituti ab Ordinariorum iurisdictione, hoc omnino dici nequit contrarium decisioni S. Congregationis diei 2 Iunii 1893, quae in omnibus salvam vult Ordinariorum iurisdictionem.

His utrimque breviori quo fieri potuit calamo relatis, propositum fuit enodandum

Dubium

An et quomodo confirmanda vel revocanda sit decisio diei 2 Iunii 1893 in casu?

RESOLUTIO. Sacra Congr. Ep. et Regni, quaestione iterum ad trutinam vocata, die 24 Augusti 1894 ad propositum dubium censuit respondere : *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

EX HIS COLLIGES: I. Privilegium, pro quo militat possessio plusquam centenaria, omnino servandum esse : in themate vero a plus quam 200 annis Congregatio Filiarum *de la Sagesse,* nempe usque a morte B. Fundatoris Superiorem communem habuerat cum Patribus Societatis Marianae.

II. Privilegia maxime manutenenda esse quando in praxi salutares producunt effectus et successive sunt roborata apostolica approbatione, uti in praesens contingebat: S. Congregatio enim approbando Constitutiones Monialium, etiam privilegium de Superiore communi recognoverat.

III. Iniuria igitur Episcopum Lucionensem reclamasse plenam iuris communis applicationem: dum enim ex una parte maxime conveniens erat, instituta quae communem Fundatorem habuerant, etiam Superiorem communem habere; ex altera constabat experientia introductam regiminis primitivam formam semper vel fere semper optimos dedisse fructus. Aliunde per decretum S. Congregationis in tuto erat posita iurisdictio Ordinariorum, et solum quoad punctum praesidendi Capitulum generale Sororum erat recessum a iure communi : in ceteris enim actibus ad bonum Congregationis semper procedi debebat sub dependentia Ordinariorum.

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

De impedimento religionis mixtae, et de ritu, quo baptizari debet filius catholicorum parentum, sed ad diversos ritus pertinentium.

Die 11 Aprilis 1894.

Illustrissime et Reverendissime Domine.

Litteris tuis ad hanc Sacram Congregationem quaedam proposuisti dubia, quorum solutionem postulabas, nempe:

I. An matrimonia catholicos inter et schismaticus, quae in hisce regionibus facile evenire possunt, quoad conditiones canonicas praemitti solitas, aequiparanda sint matrimoniis mixtis, id est, catholicos inter et haereticos (baptizatos) contrahendis?

II. Utro in ritu baptizari et educari debeant Alii filiaeque parentum catholicorum quidem, sed ad diversos ritus pertinentium, veluti ad Romanum, Ruthenum, Armenum, etc.?

Porro omnibus mature perpensis respondendum censeo propositis dubiis ut sequitur:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Filii familiae, generatim loquendo, baptizari et educari debent in ritu patris.*

Post haec Deum O. M. rogo, ut Te diutissime sospitet.

Amplitudinis Tuae,

Addictissimus servus

M. Card. LEDOCHOWSKI, *Praefectus*

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius.*

R. P, D. los, Redemaeher Episc. Wayne-Castrensi.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

GRANATEN, Dubia quoad habitum magistri caeremoniarum et lectiones matutini.

Hodiernus Rmus Arhidiaconus Metropolitanae Granatensis Ecclesiae, de mandato Rmi sui Archiepiscopi, sequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter subiecit, nimirum:

Dubium I. In Ecclesia Metropolitana Granatensi munere magistri Caeremoniarum fungitur alter ex Beneficiatis eiusdem

Ecclesiae, qui utitur habitu chorali tam in Choro, quam ad altare, exposito Sanctissimo Sacramento. Hic habitus, durante hieme, consistit in cappa nigri coloris cum linteolo etiam nigro, collo aptato. A die vero Ascensionis Domini usque ad festum Omnium Sanctorum utitur mozzetta, humerali amiciolo sine cuculio eiusdem coloris.

Quaeritur: num liceat Magistro Caeremoniarum, attenta consuetudine, non immemoriali, officium suum cum habitu chorali implere, praesertim ad Altare?

Dubium II. In eadem Ecclesia Lectiones recitantur aut concinuntur in Matutinis hoc ordine: Prima et Secunda primi nocturni, a duobus acolythis de Choro, sive ordinatis, sive non. Tertia autem ab uno beneficiato: Prima vero secundi nocturni ab alio ex beneficiatis: Secunda a canonico iuniore, sed Tertia, a prima Dignitate post Decanum. Demum in tertio nocturno, Prima, a beneficiato, a quo Evangelium canendum est in Missa Conventuali: Secunda a Canonico hebdomadario: Tertia a Decano: diebus tamen quibus induuntur pluvialia in Matutinis, lectio Octava canitur a Decano et Nona ab hebdomadario.

Quaeritur an licite observari queat exposita consuetudo?

Et quatenus Negative, quis ordo et quae dignitas personarum servanda sit in recitatione Lectionum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Servetur Caeremoniale Episcoporum ac detur decretum in *Capuana* diei 10 Aprilis 1876. Ad IL Negative ad primam partem; ad secundam: diebus solemnibus serventur dispositiones Caeremonialis Episcoporum *(Lib. II, cap. V, n. 4 et cap. VI, n. 15):* diebus vero haud solemnibus servetur dignitatis ordo, ita ut Lectiones I Nocturni ab Acolythis; II Nocturni a Beneficiatis; III demum a Canonicis recitentur.

Atque ita rescripsit et declaravit die 14 Decembris 1894.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, .S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, S. *R.* C. *Secretarius.*

EPISTOLA ENCYCLICA Sanctissimi Domini Nostri Leonis PP. XIII, qua Institutum « a Propagatione Fidei » fovetur et commendatur.

Christi nomen et regnum in gentibus quotidie latius proferre, atque devios discordesque invitare ad Ecclesiae sinum et revocare, hoc nimirum, quemadmodum sentit animus, sanctum in primis esse officium muneris supremi, quod gerimus, ita iamdiu est curis Nostris studiisque, apostolica urgente caritate, propositum. Hanc Nos ob causam sacras tueri ac multiplicare expeditiones, quarum potissimum ope christianae sapientiae lumen ad errantes diffunditur, ad easque sustentandas auxilia in catholicis populis corrogata submittere, nulla unquam ratione cessavimus. Fecimus id praesertim, datis anno pontificatus tertio encyclicis litteris *Sancta Dei Civitas,* eo consilio, ut praeclaro Instituto *a Propagatione Fidei* ampliorem catholicorum quum pietatem tum liberalitatem conciliaremus. Tunc persequi hortando libuit, quam ipsum modicis initiis ingressum, ad quantam amplitudinem brevi tempore provenisset; quibus vel laudum testimoniis vel Indulgentiae muneribus Decessores Nostri illustres, Pius VII, Leo XII, Pius VIII, Gregorius XVI, Pius IX, idem ornassent; quam multum ex eo adiumenti sacris per orbem terrarum Missionibus allatum iam esset et quam uberiora forent deinde expectanda. Neque exiguus, Dei beneficio, respondit hortationi fructus; quum sane, Episcoporum navitati et instantiae ossequente largitate fidelium, benemerentissimum opus hisce etiam proximis annis amplificatum videamus. — At nova iam subest graviorque necessitas, quae effusiores in hanc rem spiritus manusque catholicae «caritatis desideret, vestramque acuat, Venerabiles Fratres, sollertiam.

Nam, quod probe nostis, per apostolicam epistolam *Praeclara,* iunio superiore editam, visum est Nobis Dei providentis servire consiliis, vocando et incitando gentes quae ubique sunt ad fidei christianae unitatem; illud tamquam summum votorum optantibus, ut aliquando per Nos maturetur promissum divinitus tempus, quo *fiet unum ovile et unus Pastor.* — Singularibus autem curis interea spectare Nos ad Orientem eiusque Ecclesias, multis nominibus insignes et venerandas, ex ipsis nuperrime intellexistis litteris apostolicis, quas perscripsimus de disciplina Orientalium conservanda et tuenda. Inde etiam satis

compertae sunt vobis institutae rationes, quas, collatis diligenter consiliis cum Patriarchis earum gentium, explora vim us, aptius ad exitum profuturas. Neque tamen diffitemur, hanc omnem causam difficultatibus implicari magnis: quibus eluctandis si quidem impar est virtus Nostra, totam nihilominus fiduciae constantiaeque vim, in quo maxime oportet, sitam habemus magno animo in Deo. Qui enim rei mentem Nobis et initia providus dedit, vires ipse opemque ad perficiendum summa cum benignitate certe sufficiet; atque hoc est quod enixis precibus ab ipso implorare contendimus, idemque ut fideles omnes implorent vehementer hortamur. Divinis vero, quae fidenter expetimus, adiumentis quum humana prorsus accedere sit necesse, eis idcirco quaerendis et suppeditandis, quaecumque videantur ad id quo spectamus conducibilia, peculiares quasdam curas aequum est a Nobis impendi.

Namque ut Orientalibus, quotquot discessere, ad unicam Ecclesiam reditus muniatur, videtis, Venerabiles Fratres, opus esse in primis parari ex eis ipsis idoneam sacrorum ministrorum copiam, qui doctrina et pietate abundantes, ceteris optatae unitatis consilia suadeant; catholicae insuper sapientiae vitaeque institutionem, quam maxime evulgandam esse, atque ita impertiendam, ut proprio nationis ingenio accommodatius conveniat. Quare providendum, ut sacrae educandae iuventuti, ubicumque expediat, pateant instructae congruenter domus; ut plura numero praesto sint gymnasia, alia alibi pro locorum frequentia; ut sua cuiusque litus cum dignitate exercendi praebeatur facultas; ut optimis edendis scriptis manare ad omnes germana religionis notitia possit. Ista et similia efficere quantae sit impensae futurum, vosmet facile intelligitis : simul intelligitis tam multis rebus et magnis non posse Orientales Ecclesias omnino per se ipsas occurrere, nec posse tamen a Nobis, his rerum angustiis, quam vellemus opem conferri. — Restat ut apta subsidia praecipue opportuneque ex eo petantur, quod modo laudavimus, Instituto; cuius quidem propositum cum illo plane cohaeret quod Ipsi nunc animo destinamus. At simul vero, ne apostolicae Missiones, derivatis partim in alienum usum quibus aluntur praesidiis, quidquam accepturae sint detrimenti, magnopere instandum est, ut eo largius catholicorum in ipsum influat liberalitas. — Similem autem cautionem rectum est adhiberi, quod attinet ad affine et perutile Institutum *a Scholis Orientis*, alias auctum com-

mendalione Nostra; praesertim quum, moderatoribus eius aperte pollicitis, paratum similiter sit, de stipe a se cogenda, Nobis, quantum copiosius licuerit, in idem subministrare.

Id est igitur, Venerabiles Fratres, in quo vestra singulariter officia exposuimus: neque dubitamus quin vos, qui Nobiscum religionis et Ecclesiae causam sustinere et provehere modis omnibus assidue studetis, egregiam Nobis sitis operam navaturi. Efficite sedulo, ut in fidelibus, curae vestrae commissis ipsa *a Propagatione Fidei* Consociatio, quanta maxima possit, capiat incrementa. Pro certo enim habemus fore, ut multo plures dent ei libenter nomen et largam pro facultate conferant stipem, si per vos plane perspexerint quae sit eiusdem praestantia et quam dives spiritualium bonorum copia, quantaque inde rei christianae emolumenta sint in praesens optimo iure speranda. Id certe homines catholicos debet movere penitus, quum noverint nihil se posse Nobis facere tam gratum, neque sibi Ecclesiaeque tam salutare, quam sic votis obsecundare Nostris, uti tribuere studiose certent unde ea, quae Orientalium bono Ecclesiarum constituimus, re ipsa convenienter feliciterque praestemus. At Deus, cuius unice agitur gloria in christiani nominis amplificatione et in sancta eiusdem fidei ac regiminis coniunctione, Nostris benignissimus adspiret desideriis, faveat coeptis: eius autem lectissimorum munerum auspicem, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 24 decembris anno 1894, Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII

EPISTOLA SSmi D. N. Leonis PP. XIII ad Archiepiscopos et Episcopos foederatarum Americae Septentrionalis civitatum.

Longinqua oceani spatia animo et cogitatione traiicimus: et quamquam vos allocuti alias scribendo sumus, maxime quoties ad episcopos catholici orbis communes litteras pro auctoritate dedimus, modo tamen affari vos separatim decrevimus, hoc videlicet consilio, ut prodesse aliquid catholico nomini apud vos, Deo volente, possimus. Idque summo studio curaque aggredimur: propterea quod et plurimi facimus et magnopore diligimus

americanum, validum iuventâ, genus: in quo plane non civilis tantummodo, sed christianae etiam rei cernimus animo incrementa latentia.

Exitum quarti ab explorata America saeculi cum tota gens vestra haud multo ante grata recordatione atque omni significatione, ut erat dignum, concelebraret, Nos item auspicatissimi facti memoriam vobiscum recoluimus communione laetitiae et similitudine voluntatis. In illoque tempore vota quidem pro incolumitate et magnitudine vestra absentes fecisse, haud satis habuimus: in optatis erat coram, aliqua ratione, vobis adesse gestientibus : ob eam rem libentes, qui gereret personam Nostram, misimus.

Quae vero in illa celebritate vestra fecimus, non iniuria fecimus : quia americanum genus, vix editum in lucem ac prope vagiens in cunis, sinu amplexuque suo Ecclesia parens excepit. Quod enim alias data opera demonstravimus, navigationum laborumque hunc in primis fructum Columbus petiit, aditum christiano nomini per novas terras novaque maria patefacere: qua in cogitatione constanter inhaerens, quibuscumque appulsus oris, nihil habebat antiquius, quam ut Crucis sacrosanctae simulacrum defìgeret in littore. Quapropter sicut arca Noetica, exundantes supergressa fluctus, semen vehebat Israelitarum cum reliquiis generis humani, eodem modo commissae oceano Columbianae rates et principium magnarum civitatum et primordia catholici nominis transmarinis oris invexere.

Quae postea consecuta sunt, non est huius loci singula persequi. Certo repertis ab homine Ligure gentibus, etiam tum agrestibus, evangelium maturrime illuxit. Satis enim est cognitum quot e Franciscana familia, item ex Dominicana et Loiolaea, duobus continentibus saeculis, istuc navigare huius rei gratia consueverint, ut deductas ex Europa colonias excolerent, sed in primis et maxime ut ad christiana sacra indigenas ex superstitione traducerent, consecratis non semel cruento testimonio laboribus. Nova ipsa oppidis vestris compluribus et fluminibus et montibus et lacubus imposita nomina docent perspicueque testantur, Ecclesiae catholicae vestigiis vestras penitus impressas origines. — Neque illud fortasse sine aliquo divinae providentiae consilio factum, quod heic commemoramus: cum americanae coloniae libertatem ac principatum, adiuvantibus hominibus catholicis, adeptae in rempublicam coaluere iure fundatam, tunc

apud vos est ecclesiastica hierarchia rite constituta: et quo tempore magnum Washingtonum ad gubernacula reipublicae admovit populare suffragium, eodem pariter tempore auctoritate apostolica primus est Americanae Ecclesiae episcopus praepositus. Amicitia vero consuetudoque familiaris, quam alteri cum altero constat intercessisse, documento videtur esse, foederatas istas civitates concordia amicitiâque coniunctas esse Ecclesiae catholicae oportere. Neque id sane sine caussa. Non enim potest nisi moribus bonis stare res publica; idque acute vidit edixitque primarius ille civis vester, quem modo nominavimus, in quo tanta fuit vis ingenii prudentiaeque civilis. Sed mores bonos optime et maxime continet religio, quippe quae suapte natura principia cuncta custodit ac vindicat ex quibus officia ducuntur, propositoque ad agendum momentis maximis, iubet cum virtute vivere, peccare vetat. Quid autem est Ecclesia aliud, nisi societas legitima, voluntate iussuque Iesu Christi conservandae morum sanctitati tuendaeque religioni condita? Hanc ob rem, quod saepe ex hoc pontificatus fastigio persuadere conati sumus, Ecclesia quidem, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum, adipiscendamque in caelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris degitur, prosperitatem instituta.

Progredientem rem publicam vestram atque in meliorem statum volucri itinere venientem, nemo non vidit: idque in iis etiam rebus quae religionem attingunt. Nam quemadmodum ingenti commodorum potentiaeque accessione, unius conversione saeculi, crevere civitates, ita Ecclesiam cernimus ex minima tenuissimaque magnam perceleriter effectam et egregie florentem. Iamvero si ex una parte auctae opes copiaeque civitatum merito americani generis ingenio atque operosae sedulitati referuntur acceptae: ex altera florens rei catholicae conditio primum quidem virtuti, sollertiae, prudentiaeque tribuenda Episcoporum et Cleri: deinde vero fidei munificentiaeque catholicorum. Ita singulis ordinibus pro virili parte adnitentibus, licuit vobis res innumerabiles pie atque utiliter instituere; aedes sacras, ludos litterarios pueris instituendis, domicilia maiorum disciplinarum, domos hospitales plebi excipiundae, valetudinaria, coenobia. Quod vero propius ad culturam attinet animorum, quae christianarum exercitatione virtutum continetur, plura

Nobis comperta sunt, quibus et spe erigimur et gaudio complemur: scilicet augeri gradatim utriusque ordinis Clericos: ii> honore esse pia collegia sodalium, vigere scholas *curiales catholicas,* scholas *dominicas* doctrinae christianae tradendae, scholas *aestimas:* consociationes ad suppetias mutuo ferendas, ad inopiam levandam, ad victus temperantia m tuendam : his accedere multa pietatis popularis argumenta.

Harum felicitati rerum non est dubium plurimum iussa ac decreta conducere Synodorum vestrarum, earum maxime, quas posteriore tempore Sedis Apostolicae vocavit et sanxit auctoritas. Sed praeterea, libet enim id fateri quod est, sua debetur gratia aequitati legum, quibus America vovit, moribusque bene constitutae rei publicae. Hoc enim Ecclesiae apud vos concessum est, non repugnante temperatione civitatis, ut nullis legum praeoedita vinclis, contra vim defensa iure communi iustitiâque iudiciorum, tutam obtineat vivendi agendique sine offensione facultatem. Sed quamquam haec vera sunt, tamen error tollendus, ne quis hinc sequi existimet, petendum ab America exemplum optimi Ecclesiae status : aut universe licere vel expedire, rei civilis reique sacrae distractas esse dissociatasque, more americano, rationes. Quod enim incolumis apud vos res est catholica, quod prosperis etiam auctibus crescit, id omnino fecunditati tribuendum, qua divinitus pollet Ecclesia, quaeque si nullus adversetur, si nulla res impedimento sit, se sponte effert atque effundit; longe tamen uberiores editura fructus, si, praeter libertatem, gratia legum fruatur patrocinioque publicae potestatis.

Nos vero, quoad per tempora licuit, conservare ac fundare firmius rem catholicam apud vos, numquam praetermisimus.— Hac de caussa duas potissimum res, quod probe nostis, aggressi sumus: alteram, provehere studia doctrinarum: alteram, rei catholicae efficere administrationem pleniorem. Scilicet etsi universitatis studiorum domicilia plura numerabantur, eaque insignia, faciendum tamen duximus, ut unum aliquod existeret Sedis Apostolicae auctoritate institutum, idemque omni iure legitimo a Nobis auctum : in quo doctores catholici studiosos sciendi erudirent, principio quidem philosophicis ac theologicis, deinde vero, ubi res et tempora siverint, ceteris quoque disciplinis, iis nominatim quas nostra aut peperit aut perfecit aetas. Omnis enim eruditio manca sit, si nulla recentiorum disciplinarum accesserit cognitio. Videlicet in hoc tam celeri ingeniorum

cursu, in tanta cupiditate sciendi tam late fusa, eademque per se laudabili atque honesta, anteire decet catholicos homines, non subsequi : ideoque instruant se oportet ab omni elegantia doctrinae, acriterque exerceant animum in exploratione veri, et totius, quoad potest, indagatione naturae. Quod omni tempore idem Ecclesia voluit: ob eamque rem ad proferendos scientiarum fines omnino tantum conferre consuevit, quantum opera et contentione potuit. Igitur per litteras die VII Martii an. MDCCCLXXXIX ad vos, Venerabiles Fratres, datas Gymnasium magnum cupidae maiorum disciplinarum iuventuti rite constituimus Washingtoni, in urbe principe ; quam quidem peropportunam fore sedem studiis optimis, vosmetipsi maximo numero significastis. De qua re ad venerabiles fratres Nostros S. R. E. Cardinales cum referremus in Consistorio (1), velle Nos declaravimus, legis instar eo in gymnasio haberi, ut eruditio et doctrina coniungatur cum incolumitate fidei, neque minus ad religionem quam ad artes optimas informentur adolescentes. Idcirco rectae studiorum rationi, ac disciplinae alumnorum tuendae praeesse iussimus foederatarum civitatum Episcopos, collata Archiepiscopo Baltimorensi Cancellarii, ut loquuntur, potestate ac munere. — Et initia quidem, Dei beneficio, satis laeta. Nulla enim interiecta mora, cum saecularia sollemnia ob memoriam ecclesiasticae Hierarchiae ageretis, exorsae faustis ominibus, praesente Legato Nostro, sacrae disciplinae. Ex eoque tempore elaborare novimus in tradenda theologia spectatos viros, quorum ingenii doctrinaeque laus insigni erga Sedem Apostolicam fide observantiâque cumulatur. Neque vero diu est, cum rescivimus, pii sacerdotis liberalitate extructas ab incohato aedes scientiis litterisque tradendis, clericorum simul et laicorum commodo adolescentium. E cuius viri exemplo facile confidimus sumpturos, quod imitentur, cives : non enim ignota Nobis indoles Americanorum; neque fugere eos potest, quidquid in ea re collocetur liberalitatis, cum maximis in commune utilitatibus compensari.

Ex huiusmodi Lyceis, quae variis temporibus Ecclesia romana aut ipsamet princeps instituit, aut instituta probavit legibusque auxit, nemo est nescius quanta in omnem Europam et doctrinae copia et vis humanitatis effluxerit. Hodieque, ut sileantus de ceteris, satis est Lovaniense meminisse : ex quo uni-

(1) Die xxx Decembr, an. MDCCCLXXXIX.

versa Belgarum gens incrementa petit prosperitatis et gloriae prope quotidiana. Iamvero par ac similis copia utilitatum facile est a magno Lyceo Washingtoniensi consecutura, si doctores pariter atque alumni, quod minime dubitamus, praeceptis Nostris paruerint, iidemque, amotis partium studiis et contentionibus, opinionem sibi a populo, a Clero conciliarmi

Caritati vestrae, Venerabiles Fratres, ac beneficentiae populari commendatum hoc loco volumus Collegium urbanum adolescentibus ex America septentrionali ad sacra fingendis, quod Pius IX decessor Noster condidit, quodque ipsum Nos, per litteras die xxv Octobri mense an. MDCCCLXXXIV datas, constitutione legitima firmandum curavimus : eo vel maxime quod communem de ipso expectationem haud sane fefellit exitus. Testes estis vosmetipsi, non longo temporis decursu, complures inde extitisse sacerdotes bonos, in iisque nec deesse qui maximos sacrae dignitatis gradus virtute adepti doctrinaque sint. Quare vos omnino arbitramur facturos operae pretium, si perrexeritis lectos adolescentes huc mittere in spem Ecclesiae instituendos : quas enim et ingenii opes et animi virtutes in romana urbe paraverint, eas aliquando explicabunt domi, atque in communem afferent utilitatem.

Simili modo vel inde a Pontificatus exordio caritate permoti, qua catholicos e gente vestra complectimur, de Concilio Baltimorensi III cogitare coepimus. Cumque serius Archiepiscopi, eius rei caussa Romam invitatu Nostro istinc advenissent, diligenter ab ipsis, quid in commune consulendum censerent, exquisivimus: postremo quod universis Baltimoram convocatis visum est decernere, id matura consideratione adhibita, ratum esse auctoritate apostolica iussimus. Celeriter autem apparuit operae fructus. Quandoquidem Baltimorensia consulta, salutaria et valde accommodata temporibus res ipsa comprobavit, comprobat. Satis iam eorum perspecta vis est ad, stabiliendam disciplinam, ad excitandam Cleri sollertiam ac vigilantiam, ad catholicam adolescentis aetatis institutionem tuendam et propagandam. — Quamquam his in rebus si vestram, Venerabiles Fratres, agnoscimus industriam, si collaudamus iunctam cum prudentia constantiam, merito vestro facimus: propterea quod plane intelligimus, talium ubertatem bonorum nequaquam ad maturitatem tam celeriter atque expedite perventuram fuisse, si vosmetipsi, quae sapienter ad Baltimoram statueratis, ea non

sedulo et fideliter exsequi, quantum in sua quisque potestate erat, studuissetis.

Verum absoluto Baltimorensi concilio, reliqua pars erat ut congruens et conveniens quasi fastigium imponeretur operi: quod impetrari vidimus vix posse melius, quam si Apostolica Sedes legationem americanam rite constituisset: eam itaque ut nostis, rite constituimus. Atque hoc facto, quemadmodum alias docuimus, primum quidem testari placuit, in iudicio benevolentiaque Nostra eodem Americam loco et iure esse, quo ceterae sunt, praesertim magnae atque imperiosae, civitates. Deinde illud quoque spectavimus, ut officiorum et necessitudinum, quae vos, quae tot hominum millia catholicorum cum Apostolica Sede continent, fierent coniunctiora nexa. Revera multitudo catholicorum rem a Nobis peractam intellexit, quam sicut saluti sibi sentiebat fore, ita praeterea in more positam institutoque Sedis Apostolicae cognoverat. Videlicet romani Pontifices, ob hanc caussam quod rei christianae administrandae divinitus tenent principatum, suos peregre legatos ad gentes populosque christianos mittere vel ab ultima antiquitate consueverunt. Id autem non extrinsecus quaesito, sed nativo iure suo, quia « romanus Pontifex, cui contulit Christus potestatem ordinariam « et immediatam sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in « omnes et singulos Pastores et fideles **(1),** cum personaliter singulas regiones circuire non possit, nec circa gregem sibi creditum curam pastoralis sollicitudinis exercere, necesse habet « interdum *ex debito impositae servitutis,* suos ad diversas « mundi partes, prout necessitates emerserint, destinare legatos, qui *vices eius supplendo,* errata corrigant, aspera in « plana convertant et commissis sibi populis salutis incrementa « ministrent » **(2).**

Illa vero quam iniusta et falsa suspicio, si qua foret uspiam, demandatam Legato potestatem potestati officere episcoporum. Sancta Nobis, ut nulli magis, eorum iura sunt, quos *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei,* eaque permanere integra in omni gente, atque in omni regione terrarum et volumus et velle debemus : praesertim quod singulorum dignitas episcoporum cum dignitate romani pontificis ita natura conte-

(1) Conc. Vat. Sess. iv. c. 3.

(2) Cap. un. Exlravag. Comm. ***De Consuet.*** **1. I.**

xitur, ut alteri necessario consulat, qui alteram tueatur. *Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vero honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur* (1). Quare Legati Apostolici, qualicumque demum potestate augeatur, cum haec persona atque hae partes sint, Pontificis a quo mittitur, mandata facere et voluntatem interpretari, tantum abest ut ordinariae potestati episcoporum quicquam pariat detrimenti, ut potius firmamentum ac robur sit allaturus. Eius quippe auctoritas non parum est habitura ponderis ad conservandam in multitudine obedientiam ; in Clero disciplinam debitamque Episcopis verecundiam ; in Episcopis caritatem mutuam cum intima animorum coniunctione. — Quae quidem tam salutaris tamque expetenda coniunctio, cum in hoc potissimum sita sit et sentire concorditer et agere, plane efficiet, ut quisque vestrum in administratione rei dioecesanae suae diligenter versari pergat: nemo alterum in regundo impediat : de alterius consiliis actisque nemo quaerat: universique, sublatis dissidiis retinendâque invicem observantia, provehere Ecclesiae americanae decus et commune bonum summa virium conspiratione nitamini. Ex qua Episcoporum concordia dici vix potest quanta non modo salus in nostros manabit, sed et in reliquos vis exempli : quippe qui facile vel hoc ipso argumento perspicient in Episcoporum catholicorum ordinem vere divinum apostolatum hereditate transisse. — Est praeterea aliud magnopere considerandum. Consentiunt prudentes viri, quod Nosmetipsi paulo ante indicavimus, nec sane inviti, reservatam ad maiora Americam videri. Atqui huius, quae prospicitur, magnitudinis participem eamdemque adiutricem Ecclesiam catholicam volumus. Nimirum ius esse atque oportere iudicamus, eam una cum republica pleno gradu ad meliora contendere, utendis videlicet opportunitatibus, quas afferat dies : eodemque tempore dare operam, ut virtute institutisque suis prosit quam maxime potest incrementis civitatum. Sed omnino utrumque est tanto facilius cumulatiusque consecutura, quanto constitutam melius futura tempora offendermi Iamvero quid sibi vult legatio, de qua loquimur, aut quid spectat tamquam finem, nisi hoc efficere, ut Ecclesiae sit constitutio firmior, disciplina munitior ?

(i) S. Gregorius Epist, ad Eulog. Alex. lib. VIII, ep. 50.

Quod ita cum sit, valde velimus hoc in animos catholicorum quotidie altius descendat, nec sibi privatim consulere se posse rectius, nec de salute communi melius mereri, quam si Ecclesiae subesse atque obtemperare toto animo perrexerint.

Quamquam hac illi in re vix indigent hortatione : solent enim sua sponte et laudabili constantia ad instituta catholica adhaerescere. Rem unam eamque maximi momenti et saluberrimam in omnes partes libet recordari hoc loco, quae fide moribusque sancte apud vos, uti aequum est, generatim retinetur: dogma christianum dicimus de unitate et perpetuitate coniugii: in quo non societati dumtaxat domesticae, sed etiam coniunctioni hominum civili maximum suppeditat vinculum incolumitatis. De civibus vestris, de iis ipsis qui nobiscum cetera dissident, catholicam hac de re doctrinam catholicumque morem non pauci mirantur ac probant, videlicet perterriti licentia divortiorum. Quod cum ita iudicant, non minus caritate patriae ducuntur, quam sapientia consilii. Vix enim cogitari potest capitalior civitati pestis, quam velle, dirimi posse vinculum, divina lege perpetuum atque individuum. Divortiorum « caussa fiunt « maritalia foedera mutabilia : extenuatur mutua benevolentia : « infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur : tuitioni atque « institutioni liberorum nocetur : dissuendis societatibus dome« sticis praebetur occasio : discordiarum inter familias semina « sparguntur : minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae « in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierunt, « pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, « frangendasque regnorum opes nihil tam valet quam corru« ptela morum, facile perspicitur prosperitati familiarum ac ci« vitatum maxime inimica esse divortia » (1).

De rerum genere civili, compertum est atque exploratum, in re publica praesertim populari, cuiusmodi vestra est, quanti referat probos esse ac bene moratos cives. In libera civitate, nisi iustitia vulgo colatur, nisi saepius ac diligenter ad evangelicarum praecepta legum multitudo revocetur, potest ipsa esse perniciosa libertas. Quotquot igitur ex ordine Cleri in erudienda multitudine elaborant, hunc locum de officiis civium enucleate pertractent, ut id persuasum penitusque comprehensum animo habeant universi, id omni munere vitae civilis fidem praestari,

(1) Enc. ***Arcanum.***

abstinentiam, integritatem oportere : quod enim privatis in rebus non licet, id nec in publicis licere. De hoc genere toto in ipsis encyclicis litteris, quas in Pontificatu maximo subinde conscripsimus, complura, ut nostis, praesto sunt, quae sequantur et quibus pareant catholici. Libertatem humanam, praecipua christianorum officia, principatum civilem, civitatum constitutionem christianam scribendo edisserendoque attigimus, depromptis cum ex evangelica doctrina, tum ex ratione principiis. Qui igitur esse cives probi volunt et in officiis suis cum fide versari, facile sumant ex litteris Nostris formam honestatis. — Simili modo insistant sacerdotes Concilii Baltimorensis III statuta ad populum meminisse : ea maxime quae de virtute temperantiae sunt, de catholica adolescentium institutione, de frequenti sacramentorum usu, de obtemperatione iustis legibus institutisque reipublicae.

De ineundis quoque societatibus diligentissime videndum ne quis errore fallatur. Atque hoc intelligi nominatim de opificibus volumus : quibus profecto coire in sodalitia utilitatum sibi comparandarum gratia, ius est, libente Ecclesia, nec repugnante natura : sed vehementer interest, quibuscum sese coniungant, ne ubi rerum meliorum adiumenta requirunt, ibi in discrimen vocentur bonorum multo maximorum. Huius discriminis maxima cautio est ut secum ipsi statuant, numquam commissuros ut ullo tempore ullâve in re iustitia deseratur. Si qua igitur societas est, quae a personis regatur non recti tenacibus, non religioni amicis, eisque obnoxio pareat, obesse plurimum publice et privatim potest, prodesse non potest. Maneat ergo, quod consequens est, non modo fugere consociationes oportere Ecclesiae iudicio aperte damnatas, sed eas etiam, quae prudentium virorum maximeque Episcoporum sententia, suspectae periculosaeque habeantur.

Imo vero, quod est valde ad fidei incolumitatem conducibile, malle catholici debent cum catholicis congregari, nisi fieri secus coegerit necessitas. Sibi vero inter se societate conglobati praeesse sacerdotes aut laicos probos atque auctoritate graves iubeant: iisque consilio praeeuntibus, consulere ac perficere pacate nitantur quod expedire rationibus suis videatur, ad normam potissimum praeceptorum, quae Nos litteris encyclicis *Rerum novarum* consignavimus. Hoc vero numquam sibi patiantur excidere, vindicari et in tuto poni iura multitudinis re-

ctum esse atque optabile, verumtamen non praetermittendis officiis. Officia vero permagna ea esse, aliena non tangere: singulos esse sinere ad suas res liberos; quominus operam suam collocare queat ubi libet et quando libet, prohibere neminem. Quae per vim et turbas facta superiore anno vidistis in patria, satis admonent americanis etiam rebus audaciam immanitatemque perduellium imminere. Ipsa igitur tempora catholicos iubent pro tranquillitate contendere rerum communium, ideoque observare leges, abhorrere a vi, nec plura petere quam vel aequitas vel iustitia patiatur.

Has ad res multum sane conferre operae possunt, qui se ad scribendum contulere, maxime quorum in commentariis quotidianis insumitur labor. Haud latet Nos, multos iam in hac palaestra desudare bene exercitatos, quorum laudanda magis est, quam excitanda industria. Verumtamen legendi noscendique cupiditas cum tam vehemens sit apud vos ac tam late pertineat, cumque bonorum iuxta ac malorum maximum possit esse principium, omni ope enitendum, ut eorum numerus augeatur, qui scribendi munus scienter atque animo optimo gerant, religione duce, probitate comite. Atque id eo magis apparet in America necessarium propter consuetudinem usumque catholicorum cum alienis catholico nomine : quae certe caussa est quamobrem nostris summa animi provisione constantiâque singulari sit opus. Erudiri eos necesse est, admoneri, confirmari animo, incitari ad studia virtutum, ad officia erga Ecclesiam in tantis offensionum caussis, fideliter servanda. Ista quidem curare atque in istis elaborare, munus est Cleri proprium idemque permagnum : sed tamen a scriptoribus ephemeridum et locus et tempus postulat, idem ut ipsi conentur, eademque pro caussa, quoad possunt, contendant. Serio tamen considerent, scribendi operam, si minus obfuturam, parum certe religioni profuturam, deficiente animorum idem petentium concordia. Qui Ecclesiae servire utiliter, qui catholicum nomen ex animo tueri scribendo expetunt, summo consensu, ac prope contractis copiis oportet dimicare : ut plane non tam repellere quam inferre bellum, si qui vires discordia dissipant, videantur. — Non absimili ratione operam suam ex frugifera et fructuosa in vitiosam calamitosamque scriptores convertunt, quotiescumque consilia vel acta episcoporum ad suum revocare iudicium ausint, abiectâque verecundia debita, carpere, reprehendere : ex quo non cernunt

quanta perturbatio ordinis, quot mala gignantur. Ergo meminerint officii, ac iustos modestiae fines ne transiliant. In excelso auctoritatis gradu collocatis obtemperandum Episcopis est, et conveniens consentaneusque magnitudini ac sanctitati muneris habendus honos. Istam vero reverentiam, « quam praetermit« tere licet nemini, maxime in catholicis ephemeridum aucto« ribus luculentam esse et velut expositam ad exemplum ne« cesse est. Ephemerides enim ad longe lateque pervagandum « natae, in obvii cuiusque manus quotidie veniunt, et in opi« nionibus moribusque multitudinis non parum possunt (1) ». Multa multis locis Nosmetipsi de officio scriptoris boni praecepimus : multa item et a Concilio Baltimorensi III, et ab Archiepiscopis qui Chicagum anno MDCCCLXXXXIII convenerant, de communi sententia sunt renovata. Huiusmodi igitur documenta et Nostra et vestra habeant notata animo catholici, atque ita statuant, universam scribendi rationem eisdem dirigi oportere, si probe fungi officio volunt, ut velle debent.

Ad reliquos iam cogitatio convertitur, qui nobiscum de fide christiana dissentiunt: quorum non paucos quis neget hereditate magis, quam voluntate dissentire ? Ut simus de eorum salute solliciti, quo animi ardore velimus ut in Ecclesiae complexum, communis omnium matris, aliquando restituantur, Epistola Nostra Apostolica *Praeclara* novissimo tempore declaravit. Nec sane destituimur omni spe: is enim praesens respicit, cui parent omnia, quique animam posuit ut *filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (2). Certe non eos deserere, non linquere menti suae debemus, sed lenitate et caritate maxima trahere ad nos, omnibus modis persuadendo, ut inducant animum introspicere in-omnes doctrinae catholicae partes, praeiudicatasque opiniones exuere. Qua in re si Episcoporum Clerique universi primae sunt partes, secundae sunt laicorum: quippe quorum in potestate est adiuvare apostolicam Cleri contentionem probitate morum, integritate vitae. Exempli magna vis est, in iis potissimum qui veritatem ex animo anquirunt, honestatemque propter quamdam virtutis indolem consectantur cuiusmodi in civibus vestris numerantur perplures. Christianarum spectaculum virtutum si in obcaecatis inveterata superstitione ethnicis

(t) Ep. *Cognita Nobis* ad Archiepp. et Epp. Provinciarum Taurinen. Mediolanen. Vercellen, xxv Ian. an. MDLCCCXXXII.

(2) Io. XI. 52.

tantum potuit, quantum litterarum monumenta testantur, num in iis, qui sunt christianis initiati sacris, nihil ad evellendum errorem posse censebimus?

Denique nec eos praetermittere silentio possumus, quorum diuturna infelicitas opem a viris apostolicis implorat et exposcit: Indos intelligimus et Nigritas, americanis comprehensos finibus, qui maximam partem nondum superstitionis depulere tenebras. Quantus ad excolendum ager ! quanta hominum multitudo partis per Iesum Christum impertienda beneficiis!

Interea caelestium munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem, vobis Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die vi Ianuarii; Epiphania Domini, an. MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA in forma Brevis, SSmi D. N. Leonis XIII ad Archiepiscopos et Episcopos Pedemontis post Congressum Eucharisticum.

Venerabiles Fratres salutem et Apostolicam benedictionem. Dum multorum hominum studia, immortalibus neglectis, fluxa praesentis temporis commoda unice prosequuntur, iucundam necesse est ex eo capi solatii caussam, quod catholici viri, solemnibus subinde coactis coetibus, fide magistra ipsisque adiutricibus profanis disciplinis, mentes illustrare animosque ad aeterna revocare contendunt. E quibus coetibus procul dubio, nobilitate finis et amplioris emolumenti spe, inter praecipuos censemus, qui mutuato ab Eucharistia nomine, Servatoris Nostri Iesu Christi, qui in Eucharistiae Sacramento *nobiscum est usque ad consummationem saeculi,* honori augendo amplificandoque incumbunt. Nihil etenim hac Sacramenti Augustissimi religione, penitus fidelium cordibus insita, efficacius potest ad Christi ipsius caritatem in hominibus fovendam animosque invicem iungendos eo pacis mutuaeque benevolentiae bono, quo christiana modo ac civilis consociatio maxime indiget. Quamobrem iucunda admodum acciderunt Nobis quae haud ita pridem relata sunt de felici exitu Congressus Eucharistici Augustae Taurinorum habiti,

auspice utroque Archiepiscopo Pedemontanae regionis ceterisque faventibus sacrorum Antistitibus. Hanc vero laetitiam inde cumulari sensimus quod in eadem urbe principe sodalicium institutum est, cui nomen factum ab Eucharisticis Festis, quodque eo spectat ut, scribendo agendoque, in primis autem Eucharistiae cultum promovendo, homines ad meliora pertrahantur. Cuius sodalicii studia cum alias laude merita prosequuti sumus, tum iterum commendamus, spem bonam capientes praeclaros inde fructus exorituros. Haec quidem Episcoporum industriis constituta, etsi laicorum diligentia provehi oportet, at praecipue cleri opera stabilienda sunt ac propaganda. Eorum est domus Dei decorem pro officio diligere et sanctissimas coeremonias qua par est honestate peragere, tum verbo exemploque praeire populis, ut in Eucharistiae venerationem magis usque excitentur.

Ex hac porro sacerdotum navitate pronum est optima quaeque christianis gentibus ominari, ut *Christi vita* in omnibus *manifestetur;* eo namque pertinet ex Christi ipsius sententia, Eucharistiae institutio ut fideles propter ipsum vivant. Horum vero beneficiorum auspex, Venerabiles Fratres, Nostraeque simul benevolentiae testis sit Apostolica benedictio, quae vobis singulis et clero ac populo cuiusque vigilantiae commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum xxvi Ianuarii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

VARSAVIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 1 Septembris i 89 4

Sess. 21 cap. 1 De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Die vigesima Augusti 1889 Constantia Pietro wska, iuvenis 24 annorum, servata Tridentini forma, coniugale foedus inivit cum Ludovico Lubienski, et ipso 24 annos nato, in paroeciali ecclesia S. Alexandri, Varsaviensis civitatis.

Huiusmodi nuptias, quae fausto omine inauguratae videbantur, haud pacifica cohabitatio secuta est. Ludovicus enim, ut mulier asseverat, cum ad coniugii opus impotens esset, inutiliter consummationis tentamina sexies vel septies repetita fuerunt, hinc convicia, contentiones. Huic animorum dissociationi et ansam praebuisse videtur viri prodigalitas, qui aere alieno obstrictus, ingentem pecuniae vim ab uxore quaerebat, strategemate etiam ad eam extorquendam adhibito. Quare quadrimestre post nuptias Constantia, suae conditionis pertaesa, coniugalem domum reliquit et paternos lares repetiit.

Vir autem, post mulieris discessum, Constantiae matrem publice baculo percussit; furtum deinde patravit; hinc ad iudicium et poenam vitandam abiit, nec constat ad praesens ubinam commoretur.

Tunc Constantia iudicio archiepiscopali varsaviensi preces detulit, ut sacramentale coniugium ob viri impotentiam nullum declararetur.

Curia archiepiscopalis, precibus exceptis, curavit Ludovicum, cuius domicilium ignotum semper erat, in ius vocare per citationem tribus ephemeridibus, ter insertam.

Praestituto tempore inutiliter elapso, Curia Varsaviensis, anno 1892 mense Ianuario processuales actus inchoavit. Percontata est mulier ac tesf°s septimae eius manus, et omnes religionem, pietatem ac veii i»itatem actricis commendarunt. Praeterea corporis mulieris inspectio post balneum, adstante honesta matrona, peracta est per tres obstetrices a curia delegatas, a duobus medicis instructas, quorum relationes ex inferius dicendis patebunt.

Iudiciali inquisitione ad umbilicum perducta, cum Ludovicus inopinato iudicio sisteret et acta processus sibi tradi obtineret, iudex eum protocollariterf examinare praecepit, at interim denuo suum domicilium ignotum factum est, quamobrem iudex iterum per ephemerides Ludovicum ad examen adducere contendit, at uti prima vice, perperam ; ideoque contumacem illum renuntiavit.

Cum autem ob viri contumaciam, de eiusdem impotentia iuridice non constaret, ac proinde matrimonii nullitas decerni non posset, Constantia Archiepiscopum Varsaviensem adiit, ut acta processus Romae transmitteret, una cum novo supplici libello, ut a Supremo Principe dispensationem super matrimonio rato obtineret. Annuit Archiepiscopus petitioni « humillimeque precatur____ut Sanctitas, apostolicae auctoritatis praesidio, quatenus congruum duxerit, per dispensationem super matrimonio rato nec consummato, demississimae petitioni actricis obviam ire dignetur ».

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Actricis patronus praeprimis ex ipsius depositione demonstrare contendit matrimonii inconsummationem : Postridie nuptiarum, ait mulier, maritus accessit ad consummandum mecum matrimonium, sed consummare non valuit, licet libenter ei succubuerim. Deprehendi veretrum mariti caruisse omni rigiditate... Quare iterum affirmo idque omni certitudine, matrimonium consummatum non esse. Toto convictus nostri tempore maritus attentavit mecum

copulam omnino sexies vel septies ; ego semper marito cum affectu obsecuta sum, nihilominus tamen matrimonium non consummavimus et quidem ob eandem semper causam, scilicet, quod maritus ad exercitium copulae carnalis inhabilis est... Maritum quod attinet, videtur mihi, ut iam dixi, impotens , qua de causa maritus aliquot diebus post nuptias prolapsus est in irritationem atque dolorem quemdam capitis, dictum neuralgiam. Aliquoties monuit, praeceptum sibi fuisse a medico, ut quamplurimum vini et cerevisiae biberet. Aliquoties questus est apud me maritus, quod non posset adimplere debitum coniugale, ac semel etiam in momento exacerbationis dixit, oportere forsan, ut nos fluctibus immergendos traderemus.

Mulier, prosequitur defensor, ob altum silentium servatum, et ob rerum maritalium ignorantiam, nonnisi post separationem a viro scivit, virum impotentia detineri, et hac unice de causa, non autem ob continuas vexationes ab eodem illatas, sui matrimonii dissolutionem petiit. Haec enimvero fatetur : Initio declaravi, pro certo matrimonium a me consummatum non esse. Quantumvis molesta fuerit conversatio mea cum marito et licet hic aes alienum conflaverit, non tamen ideo postulo matrimonii dissolutionem ; sed quia coniugium jhoc propter impotentiam mariti hucusque consummatum non est.

Constantiae vero testimonium plurimi faciendum esse, tuetur, attenta eiusdem eximia probitate ac religione, quod testes septimae manus, omni exceptione maiores, unanimiter edicunt ; quin imo nonnulli etiam de viri impotentia mentionem faciunt. Mater sane mulieris fatetur : Filia mea est devota, proba et honesta et quae nulla in re, ne in praesenti quidem causa... mendacium, vel eo magis periurium admiserit. Pater deponit : attestor, filiam meam Constantiam esse mulierem religiosam et quae nulla in re mendacium, nedum periurium, admiserit. Addit, illam a viro discessisse eo quod hic, insolenter tractabat uxorem et impotens erat ad obeundum debitum coniugale. Plene persuasum habeo fi-

liam meam in examine dixisse atque iuramento firmasse genuinam veritatem ; siquidem iam ante litis inchoationem enarraverat mihi maritum esse impotentem. Helena Karska, mulieris amita, inquit: Constantia Lubienska est mulier admodum religiosa, proba et honesta . . . . Plane persuasum habeo, confessionem Constantiae Lubienska continere genuinam et sinceram veritatem ; ex colloquiis enim familiaribus cum eius amita cognovi, actricem adhuc dum esse virginem. Maria Karska, alia Constantiae amita, fatetur, hanc esse mulierem religiosam, honestam ac probam , nec mendacii, vel eo magis periurii admittendi capacem. Addit audivisse maritum actricis esse imparem officio viri, nec non ex opinione medicali actricem esse virginem. Pro certo assero, Constantiam nunquam mentiri ; adeoque dicta ab ea in protocollo et iuramento firmata esse genuinam veritatem. Demum, ut uno verbo plura comprehendantur, etiam alii tres testes mulieris honestatem ac religionem summis laudibus unanimiter extollunt.

Ceterum, pergit patronus, haud opus esse huiusmodi morale de inconsummatione argumentum nimium urgere, cum integritatis virginalis existentiam in actrice luculentissime demonstret physicum argumentum ex inspectione. Observat autem in themate ita sollicite et ad regulam, hanc fuisse peractam, ut nulla ex praescriptionibus quae a sacris canonibus mandantur fuerit omissa. Obstetrix autem Leocadia Szyskowska in relatione, statim post inspectionem exarata, partes dilucide describit, ac plures recenset integritatis notas; deinde vero iurata coram Iudice deponit : Omnes notas integritatis virginalis reperi in Constantia Lubienska; notae autem hae sunt certae, nec ulli dubio obnoxiae ; nam deprehendi eas immediate de visu et factu. Enumeratis deinde signis, quibus dignoscitur mulierem virginitatis iacturam subiisse, sequitur : porro haec cuncta in Constantia Lubienska exulant : contra adsunt, ut modo dixi, quae eam virginem esse demonstrant. Hymen est omnino integer, satis crassus, forma eius est rotunda, color subpallidus : rima tam angusta,

ut vix potuerim introducere extremum digitum auricularem. Huic consonat Iosepha Dombrowicz.

Iuratas obstetricum depositiones atque absolutum de existenti virginitate iudicium, duos peritissimus viros ex officio delectos, gemino testimonio confirmasse, animadvertit orator, altero coram iudice pandito, altero in scriptis reddito.

Cum autem, subdit patronus, huiusmodi quaestio pendeat ex facto, quod a peritis in arte cognoscitur, idcirco prudentissime a S. C. C. iuramentum ceterasque cautelas, praescribi ; sed ut haec fuerint adamussim servata, ut in casu, iam inquit, sponte consequitur peritis in arte tuto credendum esse, eosque potius ad iudicandum quam ad testificandum assumi a iudice ex officio, uti docet Card. De Luca, *De iudic. disc. 33, n. 20;* et Abbas in *cap. Proposuisti 4 de Probat., n. 3.*

In vado posita non consummatione matrimonii, ad causas dispensationis a matrimonio simpliciter rato expendendas gradum facit orator. Atque prima et gravissima haberi recolit in probabili viri impotentia, cuius indicia superius retulit, quaeque quando « adstruitur pro motivo et causa gratiosae dispensationis, non illam exigit concludentem probationem, sed satis est quod impotentia sit adeo probabilis, ut Summus Pontifex illam veram existimare possit, indeque moveri ad gratiam dispensationis ea viva ratione, quia in his terminis dispensatio proprie et rigorose non est talis, sed est potius prudentialis administratio iustitiae, quam Supremum decet Principem, intrinsecam matrimonii nullitatem declarando sub alio magis honorifico et expedito titulo dispensationis ». Ursaya *tom. 3, part. 2, disc. 21* num. 104.*

Secundam dispensationis causam in maxima animorum aversione nullaque spe pacis conciliandae et coniugalis consortii instaurandi consistere memorat. De hac causa abunde disserit Card. De Luca, *de Matrim, disc. 9, n. 8;* Sánchez, *de Matrim, lib. 12, disp. 10, n. 3,* et Lancellotti penes Ursaya, *tom. 3, par. 2, disc. 21* not. 62;* et alios pene

innumeros omittendo, Cardinalis Cosci, *de- Separat, thori, lib. 1, cap. 10, n. 252.*

In praesenti autem iudicio de animorum abalienatione, nec dubium haberi posse censet, cum adhuc mulieris animo haereant iniuriae et contumeliae omnes, quae perpessa est a viro, qui post separationem eo usque processit, ut illius matrem baculo percusserit ; furtum deinde patravit, et ad poenam vitandam abiit, nec constat ubinam commoretur. Hinc, dispensationem actrix efflagitans a Summo Principe, praeter alias causas addit : « quod non possim ultra cohabitare marito, qui violata pietate matri meae debita commissisque variis facinoribus inhonestis, omne foedus, quo ei unquam alligata eram, extinxit ».

Gravissimum praeterea subsequitur argumentum dispensandi ex periculo incontinentiae et timore fornicationis. Fagnanus *in cap. Verum, n. 11, de Convers. coniug. ;* Ursaya, *tom. 3, par. 2, n. 92;* ac, ut de millenis aliis taceat, supra citatus Card. Cosci, *de Separ. thor. coniug., lib. 1, cap. 10, n. 210.*

Porro animadvertit, mulieris intemerata probitas ac religio summis laudibus ab omnibus productis testibus celebratur. Verum , cum agatur in casu de muliere bona valetudine donata, et in aetate florentissima constituta, si efflagitata dispensatio denegaretur, illius virtus durissimo certamini exponeretur ; quam maxime idcirco timendum, quod coelibatus pertaesa, et perversis allecta suasionibus, in fornicationem praeceps miserrime ruat.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Altera auteiu ex parte vinculi defensor observavit, Constantiam valedixisse Ludovico ne viro prodigo syngrapham cambialem quandam signaret. Profecto, ait Helena Karska, Constantiae amita: discesserunt ab invicem definitive coniuges litigantes, quia conventus (Ludovicus) contulerat se in diversorium postulaveratque ante reditum, ut uxor (Constantia) signaret syngraham cambialem in summam 4,000 rubelorum. Concinit alia Constantiae amita, Maria Karska, quae testatur: Scio

in ius vocatum (Ludovicum) discessisse definitive ab uxore atque contulisse se in diversorium, eo quod non potuisset ab ea extorquere pecuniam, nec syngraphae cambialis subscriptionem. Nec aliter Carolus Podozascki, Constantiae propinquus. Inquit enim : Conversatio coniugum Lubiensciorum fuit infausta, principalem ansam discordiae praebebat aes alienum, quo premebatur Lubienski, quodque extinguere cupiebat ex re familiari actricis.

Liquet itaque, dicit orator, Ludovicum in summis rei domesticae difficultatibus versari : non tamen exinde consequitur iustam Constantiae fuisse causam valedicendi viro. Praeprimis enim extra dubitationis aleam positum minime est omnem istarum auri quaestionum culpam in Ludovico haerere. Nam Ludovicus a iudicio abest; nullus testis ex eius latere, nullus ex officio excussus est. Sed etsi dari velit, omnem in illo culpam residere, si Ludovicus nedum rem suam effudit, verum etiam bona uxoris in discrimen adducere molitus est, non fugam arripere Constantia, sed domesticae rei administrationem viro ope magistratus interdicere debebat.

Audiendae vero minime sunt, iuxta sacramenti vindicem, Constantiae amicae, Felicia Pietrowska et Maria Czarnecka, dum coniugalis vitae dissociationëm ascribere conantur difficili Ludovici ingenio. Illae enim profitentur se nihil scire de scientia propria, sed tantummodo de auditu ab actrice eiusque parentibus, reticita circumstantia temporis, dubio procul suspecti.

Pariter contendit non nisi tempore suspecto prodiisse decantatam Ludovici impotentiam. Ex omnibus enim testibus a Constantia inductis, ne unus quidem est, qui quidquam huiusmodi sive ante nuptias, sive ante coniugum disiunctionem audiverit. Imo ipsamet Constantia fatetur se, cohabitatione perdurante, non advertisse virum esse ineptum ad opus. Porro iurat : ego tempore cohabitationis nostrae apud neminem questa sum de impotentia consummandi matrimonii, quia tunc non intelligebam, quaenam esset legitima, quae

vero irrita copula. Demum, postquam, derelicto marito, enarravi matri, quomodo mecum egisset maritus, edocta sum concubitum nostrum non fuisse normalem. Hinc initio huius processus declaravi pro certo matrimonium a me consummatum non esse.

Orator assertam Constantiae ingenuitatem liberaliter non inficias it, sed admittere haud potest semel ac Constantia profitetur se in coniugali palaestra deprehendisse, perspexisse, distincte cognovisse quaedam, quae non nisi femina, assueta viro, dignoscit. Sane ait : Deprehendi veretrum mariti caruisse omni rigiditate nec introductum fuisse in vas meum muliebre, ac nullum eifudisse semen praeter quendam fluorem, qui non penetravit intra corpus meum.

Praeterea, ait, Constantiam sibimet apertissime contradicere dum Ludovici impotentiam astruere pertentat. Profecto in responsione ad quaestionem decimam ipsa iurat se durante cohabitatione nulli hominum patefecisse Ludovici impotentiam, quia non nisi derelicto marito (ita illa) edocta sum concubitum nostrum non fuisse normalem. Iam vero illamet iuraverat in responsione ad nonam quaestionem : Aliquoties (durante utique cohabitatione) questus est apud me maritus, quod non posset adimplere debitum coniugale, ac semel etiam in momento exacerbationis dixit oportere forsan, ut nos fluctibus immergendos traderemus. Eapropter, concludit, si Constantiae fidem adiicias, illa uno eodemque tempore praetensam Ludovici impotentiam perspectam habebat et simul omnino ignorabat. Hoc solum certum est ne unum ex testibus quidquam de Ludovici, modo in medium allata, impotentia tempore non suspecto audivisse. Re namque vera Constantia profitetur: ego tempore cohabitationis nostrae apud neminem questa sum de impotentia consummandi matrimonii... derelicto marito, narravi matri, quomodo mecum egisset maritus. Iam vero duo testes, qui de saepedicta impotentia loquuntur nil proferunt, quod a Constantia eiusve matre non acceperint. Expresse Maria Karska ait : audivi a Constantia Lubienska eiusque matre maritum actricis esse

effetum et imparem officio viri. Nec ab aliis id scire potuit Constantiae pater, qui inquit : maritus insolenter tractabat uxorem et impotens erat ad obeundum debitum .coniugale.

Huc accedit, urget sacramenti tutor, quod famosa Ludovici inertia virium non esset quid intrinsecus latens, ut quandoque contingit, sed manifestis externis signis prodiret : videlicet, veretrum, ait Constantia, omni rigiditate caret ac nullum effundit semen, praeter quendam fluorem. Non facile itaque intelligit quomodo fieri potuerit, ut manifestum huius generis vitium omnes Ludovici parentes, propinques, vicinos lateret. Nam si innotuisset, hos ad testimonium dicen-r dum Constantia certo certius pro vocasset. At ne unus quidem ex Ludovici propinquis ac notis sive a Constantia sive a iudice ex officio ad examen adductus est. Quinimo asserta impotentia Ludovicum ipsum latuit : si. enim scivisset se esse truncum atque inutile lignum, minime uxorem duxisset.

Ex hisce censet orator, unum ex duobus necessario consequi : scilicet, aut Ludovici impotentiam inter fabulas amandandam esse, aut imploratae dispensationi nulla ratione locum esse posse, quin Decreto adiiciatur clausula : vetito viro transitu ad alias nuptias. Et proinde Ludovicus praemonendus omnino est. Nemo enim damnandus est, nisi discussus. Ille autem iudicio usque adhuc non stetit, quia de sanctitate sacramenti nil sollicitus, existimavit negotium finiri dispensatione matrimonii, quam ipse non aegre fert. Quocirca denuntietur Ludovico, prouti de iure, gravissimum, quod ipsi imminet malum, aliarum nempe nuptiarum interdictio.

Hoc postulat orator praesertim quia Ludovici contumaciam suspectissimam habet, et Constantiam in ea contumacia potissimum confidere putat. Siquidem, ait, iudici Constantia modo denuntiat Ludovicum detineri in custodia capitali, sive in carcere inquisitionali Varsaviae, at ex indagatione iudicis compertum est in carcere non detineri. Modo Ludovicus traducitur in hominem ignoti domicilii, et perperam iudex eum per ephemerides ad examen iterum iterumque adducere contendit. Nihilo tamen minus Ludovicus, iudiciali

inquisitione ad umbilicum perducta, iudicio sistit et acta processus sibi tradi obtinet. Hoc tamen non prohibet quominus Ludo vicus nec subinde ad examen accesserit, etsi iudex id praeceperit.

Postremo adnotat, si sibimet Constantia credit, dum iurat: deprehendi veretrum mariti caruisse omni rigiditate nec introductum fuisse in vas meum muliebre, ac nullum effudisse semen, praeter quendam fluorem, qui non penetravit intra corpus meum, nec ipsa, nec parentes eius momento temporis dubitassent an virgo adhuc permaneret. Ast contra accidit. Nam Maria Karska, Constantiae amita, testatur: audivi a Constantia Lubienska. eiusque matre, ex opinione medicali actricem esse virginem. Imo eccur Constantia iudici, prout Instructio S. C. C. 22 Aug. 1840 § *Si quaerela,* praecipit, peritos quos consuluit minime denuntiavit?

Perpendens e contra Constantiae curam ad iudicem ac ad Sacratissimum Principem deferendi factum verberum et condemnationis viri ad carcerem, orator timet ne lateat collusionem inter coniuges, cum iuxta notum enatum *excusatio non petita, est accusatio manifesta.*

Nec specimen in corpore mulieris peractum commovet sacramenti adsertorem; argumentum enim hoc non esse infallibile, ait, nec per se solum sufficere ad inconsummationem matrimonii astruendam. Praxis S. C. C. meminisse sat est, quae praeter obstetricum et medentium testimonium alias probationes necessarias, praesertim septimam manum ex utroque coniugum latere, semper existimavit. Rationem reddit Sánchez *De matrim, lib. 7, disput. 108, n. 8,* ibi: « At expresse tenent contrarium doctores, quos numero praecedenti allegavi, asserentes semper hoc iuramentum (septem propinquorum ex utroque latere) desiderari, quando impotentia non est evidens, quod hic contingit. Nam saepe oculi ac manus obstetricum falluntur, eo vel maxime quod feminae multis fraudibus utantur, quibus virgines apparent »; et ad rem orator etiam refert verba Zacchiae, *quaest, medie, legal, lib. 3, tit. 2, quaest. 7, n. 1.*

Iusuper timendum esse dicit, obstetrices sive medicos decipi posse non solum ob memoratum fraudis periculum, verum etiam ob alias causas omnino naturales ; nam virgo, intacto manente hymene, nedum consummare matrimonium, verum etiam prolem concipere potest; et quot modis hoc evenire possit memoratur aZacchia *lib. 4, tit. 2* q. 1, nn. 28 et seqq.** qui fuso calamo allegatur in animadversionibus. Cui concinunt moderni artis Hygiae proceres, quos inter doctor Mahon, qui verba Pineau refert. *Medie, leg. e poliz. med. tom. I* p . 102.*

Ceterum, pergit defensor, etiam paulisper admisso experimentum in corpore mulieris ab obstetricibus, ad iuris tramites, peractum, ex se sufficere ad certitudinem inconsummati matrimonii gignendam ; periculum in themate ab obstetricibus in corpore Constantiae factum et iudicium a peritis subinde latum, praedictam certitudinem minime pariunt. Praeprimis enim, ait, non satis constat balneum, in quo immersa est Constantia, praefulsisse conditionibus a iure invectis ad detegendas fraudes, quibus explorandae mulieres uti assolent. Sane Instructio S.C.C. 22 Augusti 1840 mandat, ut duo saltem medici, explorent an aqua balnei praedictis conditionibus praestet. In themate vero non ambo, sed unus tantum medicus aquam recognovit. Deinde in dicta Instructione cautum est, ut obstetrices explorationem sibi commissam seorsim peragant, scilicet, ut quaelibet obstetrix cubiculum, in quo manet exploranda mulier, ingrediatur postquam alia obstetrix exierit ; ita ut quaelibet obstetrix relationem absolutae inspectionis scriptam edat atque tradat iudici antequam aliarum obstetricum iudicium cognoscere queat. Ast obstetrices nostrae eodem in cubiculo explorationis tempore manserunt. Refert enim Aemilia Sztolcmanowa, quae honestae matronae munere functa est : quum una obstetricum fungeretur munere, reliquae stabant aliquantum remotae. Demum praefata Instructio probe distinguit in huiusmodi negotiis officium obstetricum ab officio medicorum. Videlicet, obstetricum est corpus explorandae feminae per

-se recognoscere, et scriptis consignare quae in exploratione deprehenderunt intemerati aut corrupti claustri virginalis indicia. Ad medicos autem spectat virginitatis aut corruptionis indicia, ab obstetricibus, scriptis primum, et dein in iudiciali examine, relata, sedulo expendere, et, prout natura eorundem iudiciorum dictaverit, exploratam mulierem integram aut corruptam proclamare. At e contra medici, Felix Wojcihiewicz et Eduardus Przewoski non indiciis per obstetrices relatis, sed opinioni obstetricum inniti videntur, dum Constantiam proclamant virginem. Reque vera, non recte quaerenti sacramenti vindici : attenta opinione obstetricum , quid statuis de virginitate Constantiae Lubienska, nullumne habes circa sententiam tuam dubium et quanam ratione scientifica eam adstruis ? Felix Wojcihiewicz reponit : Pensata opinione obstetricum, quam efformaverunt in fundamento revisionis, nominatim, reperti in rima pudenda hymenis integri et inviolati, non possum aliter statuere, nisi Constantiam Lubienska esse hucusque virginem, matrimoniumque nondum consummasse. Iisdem ferme verbis respondet medicus Przewoski. Ait enim : attenta opinione obstetricum persuasum habeo, Constantiam Lubienska sub respectu sexuali esse virginem, qua de re ne minimum quidem ambigo sententiam que hanc astruo motivis in puncto superiore specificatis.

Quinimo, adnotat defensor, de Constantiae virginitate medentes ita loqui ut videantur eam renuntiare virginem, quatenus utero minime gesserit. Re namque vera Felix "Wojcihiewicz ait : adest in rima pubis integer et incorruptus hymen, id quod evincit actricem esse hucusque virginem, quae nec impraegnata, nec puerpera unquam fuit... Omnes obstetrices unanimiter statuunt, actricem esse virginem, ac proinde necdum gravidam, nec puerperam fuisse. Nec aliter Eduardus Przewoski. Nam, inquit : omnes obstetrices unanimi suffragio pronuntiarunt Constantiam Lubienska esse virginem adeoque puerperio nunquam decubuisse.

Quae cum ita se habeant, supervacaneum putavit de dispensandi causis verba facere.

Hisce utrinque raptim delibatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii re disceptata sub die 1 Septembris 1894, censuit respondere: *Affirmative.*

DERTHUSIEN.

SERVITII CHORI

Die I Septembris 1894.

Sess. 24 Cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum cathedrale Dioecesis derthusiensis sua condens statuta capitularia, anno 1852, dignitates, quae antea non erant *e gremio* capituli, non secus ac in tota Hispania, voluit, salva praeeminentia, exaequare ceteris canonicis, eisdem paria iura et onera tribuendo. Exinde dignitates ac reliqui capitulares subiecti fuerunt oneri celebrandi Missas conventuales et explendi turnum hebdomadarium chori et servitium altaris.

At, non obstante statutorum expressa voluntate, videntur huiusmodi articuli nunquam executioni demandati ; quia dignitates usque ad praesens tempus immunes extiterunt a praedictis oneribus. Verum canonici in capitulari conventu diei 6 Decembris 1892 vindicare volentes statutorum executionem, dignitatibus intimarunt, ut iisdem se conformarent celebrando Missas conventuales et turnum hebdomadarium peragendo. At dignitates, receptis moribus innixi, opposuerunt *nihil esse innovandum.*

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO DIGNITATUM. Dignitates haec reponunt. Observant se ad tuenda iura suarum praebendarum adstringi, quas

indebitis pergravatas oneribus ad successores transmittere pudet. Missa quaestione an capitulares possent dignitatum iura immutare simplici capitulari conventione, factis potius insistentes, notant reapse a quadraginta annis. quibus statuta capitularia vigent, nunquam hos articulos executioni fuisse demandatos, quaecumque demum fuerit causa. Quocirca post statuta non secus ac antea dignitates plena gavisae sunt immunitate a contro versis oneribus. Nihilominus piissimi praesules et religiosissimi capitulares, usque ad nostros dies, nunquam instarunt pro executione horum articulorum neque dignitates a pacifica suae libertatis possessione unquam deturbarunt.

Ex hisce facti adiunctis dignitates ascendunt ad iuris principia advertentes, exinde enasci certam et recte determinatam consuetudinem. Nimirum quando recepti mores ius naturale aut divinum non laedant, neve nervum ecclesiasticae disciplinae disrumpant, suapte natura post certum tempus constituunt ius consuetudinarium. Re quidem vera in casu non solum ius naturale aut divinum contra consuetudinem opponi non potest, sed neque ecclesiasticum, quia huiusmodi dignitatum mos iam pacifice possidebat ubique in Hispania celebratus, quando prodiere capitularia statuta.

Quocirca sibi imputet capitulum si in sua iura sufficienter non fuit sollicitum et vigilans exigendo statutorum observantiam.

Quod in propositum observant dignitates, iuramentum emitti solitum in capessendis dignitatum beneficiis non sufficere ad interrumpendam consuetudinem ; quia iuramentum praesumendum est, tantum vim habere quoad articulos usu receptos.

Neque autumant, capitulum potuisse impune per tot tempus suis iuribus cedere, quasi ex benignitate erga dignitates, quin incideret in effectus iuris consuetudinarii.

Demum dignitates offerunt quoddam Reale Decretum anni 1832, suspensivum statutorum capitularium in casu.

DEFENSIO CANONICORUM. Patronus eorumdem in primis

observat in casu non de consuetudine, sed de praescriptione quaestionem esse iuxta sententiam Reiffenstuel « haec intelligenda, normae scilicet quae ad introducendam consuetudinem a iure praefiniuntur, sunt de vera consuetudine, seu quae solummodo est contra vel praeter ius commune : non autem de illa, in qua simul agitur de praeiudicio tertii.... nam ut huic iuri iam quaesito praeiudicetur requiri veram praescriptionem in confesso est » *Ius emi. univ. ad tit. de consuet. cap. IV, n. 145.* Et paullo post « ubi agitur de tollendo iure uni et acquirendo alteri dicitur praescriptio non autem consuetudo » *ibid. § 109.* Concinunt, ut alios omittam, Clarissimus Card. De Luca *De iurisd. disc. 34, n. 28 et 96, n. 15 theat. ver. et tust,* qui subiungit « intrant hoc casu termini praescriptionis non autem consuetudinis, nedum ubi contentio est inter privatas personas ; sed etiam ubi agitur de .corporibus politicis, universitatem constituentibus, ut sunt Capitula, Collegia, Civitates, Religiones cum similibus ». Nec sane verborum quaestio est; cum pateat ex sacrorum canonum praeceptis longe facilius inveni consuetudinem, quam praescriptione ius acquiri « consuetudo enim favorabilis est, praescriptio odiosa » Fagnanus *comm. in Decr. ad cap. Venerabili 14 de censibus lib. III, tit. 30, n. 27.*

Doctorum sententiam, Reiffenstuel verbis expositam, rationi congruere ita demonstrat. Consuetudinis fundamentum est praesumptus saltem legislatoris assensus : nam secus ex defectu iurisdictionis lex everti non posset, quum e contra praescriptio tota innititur in possessione vel quasi iuris possessione certo modo et certo tempore habita.

Inter utramque , differentiam ita assignant Doctores : « Per praescriptionem acquiritur ius privatae personae vel etiam uni alicui Collegio : per consuetudinem non magis uni, quam alteri nec alicui privatae personae, sed soli Reipublicae et communitati et quidem ius legale sive lex non scripta » Pirhing *Iur. Eccl. met. nova lib. I, tit. IV* sect. I, § 5, n. 331.* «Praescriptio dat ius uni contra legem, vel praeter legem vel etiam secundum legem » *ibid. n. 2.*

Hisce positis, notat Orator, in casu agi de praescriptione. Nam certum est sive ius commune, sive statuta Capitularia anno 1852 condita verum et legitimum ius peperisse Canonicis, ut illos Dignitates adiuvarent in muneribus canonicalibus. At missa conventualis quotidie canenda est: explendum quotidie chorale servitium. Si ergo Dignitates haec officia abiiciunt, canonicorum ius certissime laeditur; nam eorum onera procul dubio ingravescunt inter pauciores numero Clericos distribuenda. Atqui, prosequitur, nunquam Dignitates demonstrare poterunt hic agi de consuetudine. Et re quidem vera in primis recte dubitari potest an immunitas, quam sibi vindicant Derthusienses Dignitates, legitima praescriptione acquiri possit. Recepta enim Doctorum sententia est, contra ecclesiasticam disciplinam praescribi non posse. De huius sententiae auctoritate ambigi nequit, quum illi calculum adiecerit Fagnanus, *comm. in Decr. ad lib. IL tit. de praescr. c. Cum olim n. 24.*

Neminem latet quanta sedulitate sacri canones curaverat, ut missa conventualis in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis pro illis omnibus, qui Ecclesiae benefecerint quotidie perlitanda, ab omnibus clericis Capitulo adscriptis, quavis immunitate reiecta, per vices caneretur. Post *cap. Cum Creatura de cel. miss,* quo id omnibus Capitularibus mandatum est, Benedictus XIV, die 19 Aug. 1744 celebratissimam edidit constitutionem *Cum semper oblatas,* qua pravas quasdam consuetudines coercuit, quae alicubi irrepserant, et statuit, ut sacrum conventuale ab eis omnibus « suis respectivis vicibus » offerretur, qui « in eadem ecclesia sive dignitates, sive canonicatus, sive mansionariatu, sive beneficia choralia obtinent » immo etiam ab archypresbytero, quamvis illi cura animarum concredita esset, atque alia proinde teneretur obligatione sacrum faciendi pro grege suo.

Hinc fit, ut omnes auctores qui hac de re agunt, concorditer doceant, nullum Clericorum, qui in Capitularem ordinem cooptantur, sive Dignitatis titulo fulgeat, sive mansionarii tantum nomine serviat, hoc munus abiicere posse. Ita

Monacellus *Form. leg. praticum, vol. 1, tit. 2, form. 4, § 10;* Ferraris *Bibliot, canonica, verb. Hebdomada, n. 20.* Optimam autem rationem tradit Pignatellius *Cons. canon, vol. I, cons. 374.* « Dignitates quae sunt de corpore Capituli tenentur exactionem aliaque onera subire sicut canonici : equidem ubi est emolumentum ibi debet esse onus : et qui lucrum amplectitur onus subire debet ».

Sacrae autem Congregationes tam sollicite incubuerunt, ut haec norma, quam aequitas ipsa inculcare videtur, sarta tectaque maneret, ut neque Episcopis copiam facerent permittendi, ut aliquis Capitularium hoc onere sublevetur, neque ipsae id concédèrent, nisi rarissime, auctoritate S. Sedis. Et sane in *Albinganen.* 27 Aprilis 1844, irrita facta est quaedam Episcopi constitutio, quae decreverat, ut Dignitates vacarent munere sacri conventualis celebrandi, alternis cum Canonicis vicibus. In *Fanen.* diei 29 Aprilis 1789 et in *Faventina* eiusdem diei archipresbyter et archidiaconus adacti sunt ad eamdem celebrationem. In *Tolentino,* 26 Maii 1714, *lib. 64 Decr.,* et in *Squillacen.* 17 Martii 1739 sanctum est ne Decanum quidem hoc officio eximi. In *Alexandrina* 7 Iulii 1770 Praepositus, cui animarum cura in eadem Ecclesia committebatur, multiplices, quibus praegravabatur, obligationes causatus, illam immunitatem exposcebat, quam hodiernae derthusiensis Capituli Dignitates sibi asseruerunt. S. C. C. roganti petita denegavit, quamvis, forsan quaedam benignitatis ratio suadere videretur, ut prospiceretur Clerico tot obruto muneribus, quae Derthusienses Dignitates certe non habent. Concinit *Ariminen.* 18 Aug. 1827. In *Auximana* diei 16 Dec. 1820 censuit S. C. C. quemque Capitularium adeo obstringi officio peragendi conventuale sacrificium, ut illud nequeat Clerico extraneo demandare, licet huiusmodi mos invaluerit ; immo nec alii ex Capitulo substitui possunt *Capuana* 17 Dec. 1735 et 28 Apr. 1736, nec consuetudinis obtentu *Scepusien.* 30 Iulii 1796 et 6 Maii 1797. Praeterit sexcentas alias decisiones, quae aliquorum Clericorum desidiam in hoc obeundo munere compescuerunt ; ut S. C. C. in

Amalphitana 13 Apr. 1715, *lib. 65 decr.,* in *Aesina* 9 Septembris 1843, in *Namien.* 14 Apr. 1714, *lib. 64 Decr.,* in *Brugnaten.* 28 Maii 1796, in *Ariminen.* 18 Sept. 1851. S. C. Episcoporum et Reg. in *Bovinen.* 9 Dec. 1625 etc.

Insuper notat Orator Hispaniam quod attinet, omnium Ecclesiarum disciplinam illi mire congruere. Capitulum Derthusiense omnia Cathedralium Ecclesiarum in Hispania capitula percontatum, an eorum Dignitates exequerentur munus celebrandi per vices missas conventuales, cognovit, in omnibus Cathedralibus Hispaniae Ecclesiis, vel officium canendi sacrum conventuale Canonicis cum Dignitatibus prorsus commune esse vel saltem certos Dignitatibus assignari dies, in quibus conventualem missam perlitare debent, ipsumque Diaconum qui in aliquibus Ecclesiis huic muneri alternis cum aliis Canonicis vicibus non satisfit, certis hisce diebus conventuale sacrificium peragere.

Si nemo Canonicorum, pergit Orator, vacationem ab horis canonicis usucapere potest, fieri non potest ut aliquis vacationem a missa conventuali usucapiat, quae praestantior pars est divini officii « divino cultui plus detrahitur, non celebrata missa conventuali, quam si non celebrarentur horae canonicae, cum maior sit cultus sacrificii, quam horarum canonicarum » Ferraris *Bibi. can. verb. Canonicatus, art. V, § 621.*

Praeterea hoc comprobat iurisprudentia S. C. C. Ita in *Tusculana, Missa conv.,* 21 Apr. 1707 et 13 Apr. 1709, Archipresbyter et canonici compulsi sunt ad missas conventuales alterne canendas, quamvis quaedam statuta décernèrent ut solum a mansionariis litarentur, idque in more iamdiu habitum fuisset. In *Squillacen.* 11 Martii 1713, *lib. 63 decr.,* reiecta est canonicorum petitio, qui aliquas missas conventuales, quas ipsi celebrare debuissent, a sacerdotibus participantibus celebrandas esse contendebant, perantiquam excusantes suae Ecclesiae disciplinam, quae hominum memoriam excedebat, et demum urget patronus haec verba Benedicti XIV in Const. *Cum semper oblatas.* « Nonnulli ob-

tentu contrariae consuetudinis etiam immemorialis in propria Ecclesia vigentis se ab huiusmodi onere (celebrandi missas conventuales) eximi posse sibi persuaserunt. Verum iam pluries responsum fuit huiusmodi consuetudinem, licet immemorialem quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari ».

Quoad decretum iussu Ferdinandi Hispaniarum regis editum, notat, responderi posse flocci faciendum esse Principis laici hac in re responsum, sacris canonibus et constitutioni Benedicti XIV *Quum semper oblatas,* apertissime contrarium : quum nullam facultatem publicae conventiones illi tribuerint, sese immiscendi moderando Capitulorum regimini vel Canonicorum iuribus praefiniendis, spretis Pontificiis sanctionibus. Sed argumentum adversariis regerit aiens, hoc decretum noluisse Dignitates adigere ad celebrationem missarum conventualium, antequam concors de hoc obtinuisset disciplina in omnibus Hispaniae Ecclesiis, quae tamen hodie plene obtinet.

Praescriptioni vero a Dignitatibus oppositae, advertit orator, deficere bonam fidem quae semper et quocumque in praescriptionis momento necessaria est. Nam non ignorare potuerunt omnes illi Clerici, qui deinceps Cathedralis Derthusiensis Capituli Dignitates iussi sunt, quaenam illis imponerent officia suae Ecclesiae statuta. — In confesso est hosce omnes Clericos beneficium ingredientes iurando spopondisse statuta se fideliter observaturos.

Sed quamvis quis, id animo fingens, quod prorsus absurdum est, sumere vellet omnes Ecclesiae Cathedralis Derthusiensis Dignitates tam inconsulto semper egisse, ut obligationum, quas erant suscepturae, cognitionem non caperent, et legem se custodituras iurarent, cuius nullam habebant notitiam : haec porro ignorantia bonae fidei fundamentum esse non posset. Ageretur enim de errore iuris, qui numquam excusat ; in praescriptione autem apertissime reiicitur « iuris ignorantia in usucapione negatur prodesse, facti vero ignorantia prodesse potest » *l. IV, ff. de iur. et fact. ignor.*

Hic enim error bonam fidem excludit: « Qui contra iura mereatur bonam fidem non praesumitur habere » *Reg. 82 iuris in VI.*

Quod quidem accipiendum est etiam de legibus generalibus, quae a Pontifice vel Principe latae universam Ecclesiam vel rempublicam respiciunt: et de illis quoque personis, quorum error culpae tribui nequit — immo etiam — ex meliori sententia — quam traditam a romanis iurisconsultis sacri canones non correxerunt; Engel *coll. univ. iuris p. II* lib. IV* tit. XIV* n. 2;* Reiffenstuel *ius Eccl. univ. ad tit. de jpraescr.* § III* n. 69* etc., de rusticis et feminis, quibus nulla, vel fere nulla est iuris notitia. — « In lucro nec foeminis ius ignorantibus subveniri solet » *I. 11 cod. de iur. et facti ign. I* 18.* — « Iuris error nec foeminis in compendiis prodest » *L 8 D. de iur. et facti ign. XXII* 6.* — Nec ulli sane infertur iniuria: haud enim de vitando damno, sed de comparando lucro certatur, quod legislator contra suas constitutiones denegare maluit, quam sinere ut illis nimia facilitate aliquid privatorum hominum negligentia derogaretur. Sicut autem praescriptio iure humano constat, et ab eodem potest circumscribi, Layman *Theol. mor. lib. II* cap. IV* dub. 5;* multo magis ergo hic iuris error legitimae praescriptionis fundamentum esse non poterit quum agitur de aliqua iuris regula, haud solum a sacris inducta canonibus, sed confirmata peculiaribus Ecclesiae statutis, quae eiusdem Ecclesiae Clerici absque culpa ignorare nequeunt. Patronus demum citat haec verba perillustris Oovarruvias *reg. poss. § 7* n. 7* p. II:* « Ignorantia iuris tunc peccatum et malitiam habet, cum quis ignorat ea quae scire tenetur secundum statum particularem et officium quod exercet: tenetur enim quis scire omnino ea quae pertinent ad officium et statum, quem habet, aut actum quem gerere vult... culpa est et ex ea peccatum arguitur, si quis ignorat ea quae homines eius conditionis et status communiter scire solent, et communi adhibita diligentia- percipiuntur ».

Orator praeveniens difficultatem quod mala fide usi sunt

tantum primi antecessores, praemittit, praescriptionem, quae mala fide non excluderetur, legitimi temporis defectu corruere. Quadraginta anni vix effiuxerunt, a die qua Derthusiensia statuta ab Episcopo approbata observari coeperunt, 1 Oct. 1852, ad diem qua Capitulum Dignitates negligentes ad suum obeundum munus adegit . . . .1893. Si tempus detrahatur, quo Dignitates, quae anno 1852 vivebant, vitae participes fuerunt; spatium, quo continuata est libertatis usucapió, quadraginta certe, forsan etiam triginta annis brevius efficitur : nec porro praescriptio completa censeri potest.

Item praemittit, Canonicos saepissime professos fuisse, se aegre ferre Dignitatum negligentiam. Id canonici affirmant quamvis hoc Dignitates perfracte denegent.

His praemissis, ait, quod Dignitates mala fide non egerint, nullo modo sese purgare queunt. Unica profecto caussa, a statutis vix conditis Dignitates in perpetuum ab obligatione solvere potuisset : privilegium Apostolicum sibi et successoribus concessum. Aut ergo successores opinabantur privilegium adesse quod revera non aderat : vel sibi quoque illud suffragari, dum contra decessores tantum respiceret : et hic quidem error facti est : haud certe tamen inculpatus. Quisque enim diligenter inquirere debet, an iusta suppetat caussa, antequam obligationem abiiciat, quam sub religione iurisiurandi suscepit. Error autem facti tunc solum, ex communi doctorum sententia, bonae fidei fundamentum esse potest, cum invincibilis, ut aiunt, est ; Reiffenstuel *ius can. univ. ad tit. de praescr., § III, n. 78;* Schmalzgrueber *ius Eccl. univ. p. Iii, tit. XXVI, § 14, n. 66.* Aut successores arbitrati sunt, suffecisse canonicorum patientiam absque ullo privilegio, ut decessores ius communitatis parerent. Et hic error, iuris est, qui prodesse non potest.

Accedens patronus ad aliam conditionem praescriptionis, nimirum tempus, ait dubitari non potest, Canonicos, qui unum corpus Ecclesiasticum efficiunt, Ecclesiarum privilegio gaudere, ita ut illis ordinaria praescriptio officere nequeat. Translatitii autem iuris est, Ecclesiarum iura quadraginta

tantum annorum spatio praescriptione extingui posse ; tempus autem immemorabile vel titulum coloratura requiri, si ius canonicum usucapienti refragetur. Reiffenstuel *ius can. univ. ad tit. de praescrip.;* Layman *theol. mor. lib. II* cap. VI* dub. VIII* n. 23;* Covarruvias *reg. poss. p. 2* § 10* n. 7;* Peregrinus *de iure fisci lib. 6* cap. VIII.* Quum ergo compertissimum sit canonicum ius Dignitatibus apertissime adversari et quum illa agendi ratio, quae hodie invaluit, memoriam hominum certe non excedat, titulum adversarii ostendere deberent.

Sed causa optima sinit, pergit orator, ut id etiam fingi possit, quod iuri non congruit. Esto quadragenariam praescriptionem absque titulo sufficere : ne haec quidem Dignitatibus suppeteret. Haud negat quadraginta ad amussim effluxisse annos, ex quo statuta observari coeperant quum in capitulari conventu diei 6 Decembris 1892 actum est de dignitatibus ad missarum conventualium celebrationem adigendis. In primis animadvertendum est adversarios asseruisse, sed ullo modo non approbasse statutis vix conditis, illico coepisse Dignitates, officium suum praetermittere conventuales missas suis vicibus canendi. Nuda autem dignitatum affirmatio, quum suspecta sit, pro nihilo habenda est. Sed quamvis huic affirmationi, contemptis iuris regulis, legitimae probationis vis tribuenda esset, demonstrari certo potest dignitates, quae tunc temporis erant in Derthusiensi capitulo, numquam intendisse animo, ut immunitatem usucaperent, quam hodie successores inhiant. Patet enim eodem anno, quo statuta condita sunt, Archipresbyterum, gravibus allegatis causis, capitulum exôrasse, ut sineret se solutum esse munere celebrandi missas conventuales : compellatum autem an persuasum haberet se hac obligatione teneri, id absque haesitatione affirmasse, subiungentem, beneficium se expeti turam non fuisse, si ius sibi esse arbitrasset. Quamobrem argumentari licet, tunc temporis dignitates si missarum celebrationem delectarunt, idcirco id fecisse quia vel privilegium legitime obtinuerant, vel falso opinabantur satis esse capi-

tuli veniam, ut illae hac obligatione absolverentur. Imo advertatur, quum in canonicorum conventibus, anno 1852, de condendis statutis disputatum esse, dignitates neutiquam obstitisse, ne sibi imponeretur officium celebrandi missas conventuales, sed hoc statutorum caput communi omnium consensu fuisse approbatum, quin immo ipsas dignitates statutorum observantiam iureiurando interposito pollicitas fuisse. At, ex doctorum sententia, immunitatem usucapere nequit, qui obligationem agnoscit, et solum putat aliquod sibi, non autem successoribus privilegium fuisse imperatum; Engel *coll. univ. iuris. part. II, lib. IV, tit. XVI, § 2, n. 18.* Quum autem haec, quae de primis hisce dignitatibus dicta sunt, de secundis suspicari liceat, quae primis subierunt: inquirendum esset quo tempore illa inciperet *libertatis possessio*, quae usucapionis fundamentum est. Certum tamen est tempus illud decerpendum esse, quo primae dignitates vitam egerunt: quadragenariam igitur praescriptionem, probabiliterque tricenariam corruere.

Animadvertendum denique est praescriptionem hanc haud semel interruptam fuisse, quum dignitatibus canonici saepe denuntiaverint, ut, officii memores, ad exactam statutorum observantiam se reciperent. Accedit iuramentum ab omnibus dignitatibus interpositum, quae praescriptionem certe assiduo interrupit, quae omnia, iuxta patronum, suadent *nec consuetudinem* posse invocari a capitularibus, quae non viget nisi sit rationabilis et legitime praescripta. Putat hanc consuetudinem non esse rationabilem confici posse ex his iam dictis de natura huius immunitatis, laedenti ecclesiasticam disciplinam.

Nec esse huiusmodi consuetudinem legitime praescriptam, autumat patronus, adhaerens opinioni eorum qui opinantur quadraginta annorum spatium requiri. *Arg. cap. 15 de praescr. cap. 3 de caussa poss. ei propr. cap. 50 de elect.;* Glossa *in cap. ult. h. tit. de cons.* Quantam haec sententia sibi vindicet auctoritatem, scriptorum nomina, qui illam tuentur, satis demonstrant: inter quos recensentur Fagnanus *comm.*

in decr. in cap. Treugas de treg. et pace n. 40 et 67; Abbas *ad cap. ult. h. tit, de cons. ;* Imola *in cit. cap. Treugas* num. 13;* Diana *p. 6* tract. 5, res. 2.* Sed quamvis existimandum esset consuetudinem contra legem breviori tempore inveni posse : obicem haud persenserunt Dignitates, qui eius non solum peremisset iter, sed illam, quominus initium habere posset, certissime inhibuisset. Nam, conditis statutis, mos invaluit in ecclesia cathedrali Derthusiensi ut omnes, sive Episcopi, sive Dignitates, sive Canonici, antequam beneficium ingrederentur , iureiurarent statuta se fideliter observaturos. Quae disciplina usque ad hodiernum tempus exactissime custodita fuit. Licet autem fatendum sit obligationem iurisiurandi, quo statutorum observantia promittitur, eas partes non complecti, quas contraria consuetudo antiquaverit ; certissimum etiam est hoc iusiurandum, si semper et ab omnibus clericis interpositum fuit, impedire quominus aliqua statutorum capita contraria consuetudine aboleantur.

Est haec recepta Scarfantonii sententia hac in re principis : « Operantur haec iuramenta, ut contra statuta non possit allegari contraria observantia, cum promissio de illis observandis se opponat initio contrariae consuetudinis. . . . . quatenus possit dici inchoata contraria consuetudo, ab istis actibus statutum approbantibus interrupta remanet »; *adn. ad lucub. can.* Ceccoperii, *ad tit. XI* lib. IV* § 15.* Qui alleg. Glossam *in 7* num. 166* § Temporalia D. de reg. iuris.*

Hanc autem sententiam Rota confirmat, cuius responsa summa veneratione prosequenda esse, nemo est qui dubitet. Quae decrevit Giennen. *Adiunctorum* coram Molines *Lunae 13 Febr. 1702, dec. 762* n. 21:* « Quod concurrente iuramento ab unoquoque de capitulo praestito non solum indecorum videtur excipere de non usu seu contrario usu, sed etiam nec unquam inchoare potuit adversativa consuetudo ». Concinunt coram Bichio *dec. 48, n. 15,* coram Othobono *dec. 45, n. 7 et 10* dec. 210, n. IO, p . 17 rec.*

Demum Orator ad dissolvendas difficultates, notat Capitulis ius negari non posse condenda statuta, quia sacri canones plenam Capitulis facultatem largiuntur sua statuta libere condendi, dummodo haec ab Episcopo approbentur. In publicis conventionibus nihil hac de re novatum fuisse, nec ullam de hoc potestatem regi addictam fuisse, illas diligenter perlegenti manifestum est. Quum ergo Derthusienses constitutiones a Capitulo legitime conditae ab Episcopo rite fuerint approbatae et quadraginta annorum spatio, tot Dignitates, totque Canonici qui in Derthusiense Capitulum deinceps cooptati illas tam firmas habuerint, ut earum observantiam sub religione iurisiurandi solemniter profiterentur. Nec porro corruit Episcopi approbatio, quia haud scripto, sed verbis concessa est. Nusquam enim praecipitur, ut haec approbatio viva voce concedi non possit. Quum immo gravissimorum auctorum sententia sit, sufficere, ut Episcopus praesens canonicorum coetui, dum de statutis agebatur, siluerit: « Immo Episcopo praesente in Capitulo in quo conditum fuit aliquod statutum, si taceat, videtur tacite consentire : nec opus est altera approbatione vel consensu, quum sufficiat tacitus ». Ceccoperius *lue. can. lib. IV, tit. Xl, n. 11,* vel ut Vicarius generalis Episcopi album calculum adiecerit: « nam praesumitur Episcopus de his notitiam habere et approbare » *ibid.* § *12.*

Sed quamvis desiderantur Episcopi approbatio, rata nihilominus, hac in re praesertim essent statuta. Exploratum est enim haec, quamvis initio irrita, convalescere, si Episcopi quadraginta annos scienter haud refragentur. Ceccoperius *ibid. 14.* Nec denique Episcopi approbatio necessaria fuisset, in huiusmodi decretis, quae internum chori regimen respiciunt, ut iuri communi aptissime congruunt. Id omnes tradunt auctores « Canonicis... a iure communi, statim facta erectione confertur facultas per se libere condendi statuta quaedam de rebus minoribus vel ad bonum ordinem et regimen Capituli pertinentibus vel circa ea quae iure communi reperiuntur disposita, innovando canones sive Pontificiae con-

stitutionis obligationem ». Glossa in *c. Constitutionem* verb. statutum de verb. signi f. in 6, cap. Cum accessissent 8 de const., cap. Dilectus de cleric. non resident., arg. cap. Ex litteris 1 de const.;* Ceccoperius *lue. can. lib. IV, tit. X, § 43, et tit. Xl, § 1;* Reiffenstuel *ius can. univ. ad tit. de const., § 4, n. 88,* qui plures affert Rotae Romanae sententias.

Hisce utrinque relatis, propositum fuit dirimendum

Dubium

An Dignitates teneantur Missas conventuales celebrare et peragere servitium hebdomadarum chori et altaris ac reliqui canonici in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 1 Septembris 1894 censuit respondere : *Perpensis omnibus, affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Quando agitur de tollendo iure uni et acquirendo alteri praescriptione opus esse, non consuetudine.

II. Etenim per consuetudinem itur contra vel praeter ius commune ; per praescriptionem agitur insimul de praeiudicio tertii ; cui, ut discrimen afferatur, vera praescriptio adesse debet, non consuetudo.

III. Differre inter se consuetudinem et praescriptionem patet; nam consuetudinis, fundamentum est assensus, saltem praesumptus, legislatoris, dum praescriptio tota innititur in possessione vel quasi iuris possessione, certo modo, et certo tempore habita.

IV. In themate videri agi de praescriptione ; eo quod Canonici sive ex iure communi, sive ex capitularibus statutis anni 1852 ius acquisiverant, ut a Dignitatibus coadiuvarentur in explendis muniis canonicalibus.

V. Praetensam immunitatem Dignitatum legitima praescriptione acquiri non posse ; quum ex Doctorum sententia praescribi nequeat contra disciplinam ecclesiasticam.

VI. Ex Constitut. Benedicti XIV *Cum semper oblatas* iubentur litare sacrum conventuale omnes dignitates et canonici eiusdem Ecclesiae, suis respectivis vicibus.

VII. Vacationem ab horis canonicis usucapì non posse; et eo minus a Missa conventuali, quae praestantior pars est divini officii.

VIII. Divino ergo cultui plus detrahi non celebrata Missa conventuali, quam si non celebrarentur horae canonicae.

IX. Et ideo nemini suffragari posse consuetudinem, otiam immemorialem, non litandi Missam conventualem, quia potius dici deberet abusus et corruptela, quam legitima consuetudo.

X. Dignitates in themate fulciri nequeunt bona fide ; quia ignorare eisdem non licet obligationes, quas impleturas iurabant ; quibus addi debet quod contra leges non praesumitur bona fides, et error iuris omnino reiicitur in praescriptione.

XI. Quando haud agitur de vitando damno, sed de captando lucro, planum videri, legislatorem maluisse denegare quam permittere, ut suae constitutiones laederentur privatorum hominum negligentia.

XII. Iuramenta de observandis statutis operari, ex Doctoribus, ut contra eadem statuta non possit allegari contraria observantia; quia promissio haec sese opponit initio contrariae consuetudinis.

ASCULANA

DE SERVITIO CHORALI

Die 16 Iunii 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Canonici cathedralis ecclesiae Asculanae exponunt : sese in servitio chorali frui tribus vacationis mensibus ; quorum duobus per turnum, tertio ad electionem

cuiuslibet : ob cleri paucitatem oportere ut, praeter officia choralia, complurima sacra officia adimpleant, quae cum officiis choralibus minime conveniunt ; et ideo saepe accidisse ut altera posthaberentur dum aliis fieret satis : qua de re exposcere ab Apostolica Sede quatuor vacationis menses, loco trium: quo facilius etiam aliis officiis satisfiat quin chori servitium detrimentum capiat.

Episcopus pro voto et informatione, uti de more, interpellatus ita respondit, die 13 Martii 1894:

« Officia, quae requirunt maiorem laborem et studium ad praesens in hac civitate commissa sunt praesertim canonicis huius perinsignis cathedralis basilicae, ob cleri regularis et saecularis deficientiam. Revera meus vicarius Generalis, cancellarius episcopalis, rectores in duobus Seminariis et directores spirituales, scientiarum magistri, uno tantum excepto, nec non monialium confessarii, in magna parte, sunt canonici.

« Chorales vacationes ita sunt distributae ut per turnum quisque suam hebdomadam habeat, et ea frui debet dum contingit et non aliter; cum vero numerus hebdomadarum, propter tempus a lege exceptum, tres menses conciliares in anno non attingat, quisque addit tot dies ad beneplacitum, quot sunt necessarii ad tres menses conciliares complendos, qui dierum numerus variât inter viginti, vel quinque et viginti.

« Ob rationes expositas hoc breve tempus non sufficit, ut quilibet ex canonicis suis diversis muneribus facere satis et ut aliquando honestam recreationem sumere possit, praesertim cum hebdomadales vacationes per turnum accipiendae sint : eapropter canonicorum petitio videtur mihi honesta eique favendum esse submisse putarem ».

Disceptatio Synoptica

Si ius commune et S. C. C. iurisprudentia recolatur, canonicorum petitioni obstare videtur in primis scitissimum iuris principium ; nempe unumquodque beneficium dari pro-

pter officium cui praebendatus religiosissime satisfacere debet, iucumbens postea in alia munera si tempus et vires suppetant. Unde quamvis Trid. Conc. in *Sess. 24 cap. 12 de ref.* canonicis concesserit trium mensium vacationes, tamen expresse cavit, salvas esse debere earum Ecclesiarum constitutiones, quae longius servitii tempus exquirunt. Quae vestigia premens S. C. C. canonicis adstrictis Ecclesiae servitio ultra novem menses, censuerit trium mensium vacationem denegare, teste Fagnano in *cap. Licet, num. 48, et q. De praeb.*

Attamen quia non ex apicibus iuris est iudicandum, sed aequitati maxime est indulgendum, sapientissime S. C. C. severitatem indulgentia temperans ob varias causas at praecipue ob fidelium spirituale bonum soluit chori servitium ad turnum per mediarías vel ternarias redigere, uti in *S. Severi 13 Iul. 1725,* in *Castri Maris Servitii chori 30 Iul. 1735, Tranen. 22 Nov. 1738, Civitatis Castellanae - Reductionis 6 Augusti, Firmana Servitii chori 4 Augusti 1817,* et *Conversana 20 Decembris 1834.* Hoc vero in casu, ne divinus cultus detrimentum capiat, apponi solet clausula, ut tempore adventus et quadragesimae, aliisque infra annum solemnitatibus omnes inserviant, uti, ceteris missis, videre est in *Cathacen. 5 Sept. 1699* in qua indultum fuit, ut canonici per mediarías inservirent, *ita tamen ut diebus dominicis et festis de praecepto, tempore adventus et quadragesimae ac octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. I. C. ac sanctissimi Corporis Christi, ultra medietatem capitularium, qui non erunt de servitio, Missae et Vesperis inservire teneantur.* Tali pacto S. C. C. censuit me*-lius consultum iri chori servitio, quam ampliando menses vacationum ad quatuor vel quinque; quia ita semper habetur certus canonicorum numerus inservientium ; et aliunde ubi vigent *media,riae* vel *tertiariae* non admittitur trium mensium vacatio, uti par est, et fuit definitum in *Castrimaris diei 30 Iulii 1735,* et in *Capuana diei 3 Dec. 1739.* Insuper quum sperandum sit sacerdotum penuriam in Asculana

dioecesi non perpetuam fore, videtur reductionem servitii choralis tantum ad tempus concedi posse.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 16 Iun. 1894 censuit respondere : *Pro gratia ad 15 dies tantum * cauto ab Episcopo cum Capitulo ne chori servitio detrimentum inde obventurum sit; ad quinquennium si tandiu etc. exceptis temporibus Adventus et Quadragesimae.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL

S. IOSEPHI DE COSTARICA

REMOTIONIS SUSPENSIONIS ET REFECTIONIS DAMNORUM

Die 24 Augusti 1894.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Olimpius Zill Desilles e dioecesi Sagiensi in Gallia sub initio an. 1891 in civitatem S. Iosephi De Costarica (Americae Centralis) appulsus inibi ab Episcopo Bernardo Thiel consecutus est prius munus professoris et confessarii in Seminario et dein nominatus fuit Cappellanus Monialium e Sion, in eadem civitate degentium. At in his officiis parum permansit praefatus sacerdos, siquidem die 15 Iunii eiusdem anni Episcopus eum privavit officio Magistri in Seminario .Maiori et Confessarii alumnorum ; deinde die 5 successivi Iulii eum removit a munere Cappellani Monialium; et tandem die 12 Octobris sequentis eum suspendit *ex informata conscientia* a missae celebratione et aliis functionibus ecclesiasticis, quoadusque dioecesim non relinqueret.

Inflictas poenas aegre ferens sacerdos Zill suas querelas triplicato recursu detulit ad S. Sedem expostulans refectio-

nem damnorum ob amissa officia, quibus privari non poterat absque contractus violatione a partibus initi, nec non declarationem nullitatis irrogatae suspensionis.

Verum cum recurrens Zill accusaret tamquam causam damnorum non solum Episcopum S. Iosephi de Costarica, sed etiam Moniales de Sion praefatae civitatis et quemdam sacerdotem Diringer Cappellanum Domus Primariae dictarum sororum Lutetiae Parisiorum, qui medius interfuerat ut sacerdos Zill Cappellani munus acceptaret, hinc necesse fuit ex decreto S. Congregationis Episcoporum et Regul. diei 13 Februarii 1894, ut oblati recursus a sacerdote Zill dividerentur, et in individuo determinarentur. Reapse die 15 eiusdem mensis ipse exhibuit notulam damnorum in libellis 26.290 contra Episcopum, in libellis 4.700 contra Moniales et in libellis 2.000 contra Cappellanum Diringer, totali summa in libellis 32.990, quam ob nova conquesta damna postea auxit in libellis 10.000, petens libellas 10 pro quolibet die usque ad causae decisionem, et ut rei conventi in solidum ad summam totalem damnarentur.

Hinc in praesenti quaestione super qua habitae sunt deductiones non solum Episcopi, sed etiam aliorum interesse habentium, tria sunt puncta nempe, de privatione officiorum, de suspensione *ex informata conscientia,* et de refectione damnorum.

Disceptatio Synoptica

QUAE SACERDOS ZILL IN SUI FAVOREM PROFERT. Ipse in sua allegatione typis edita primum disserit de causis quae Episcopum moverunt ad notas poenas irrogandas, et has nonnisi odium et vindictam fuisse ostendere satagit. Sane primam causam furoris Episcopi extitisse dicit nonnullas observationes ab ipso factas, eo quod Episcopus permisisset ut professor Seminarii associaret ad coemeterium acatholicorum cadaver Protestantis, et in publica ephemeride publicarentur 26 propositiones, quarum nonnullae ab Ecclesia da-

mnatae et immorales. Altera causa furoris Episcopi, iuxta Zill, reponenda est in dissidio orto, ex eo quod Episcopus pro menstruo salario professoris in Seminario rependere volebat 20 scutata, dum sucerdos Zill iuxta initum contractum sibi 25 scutata deberi sustinebat. Hinc irae et furores quos Episcopus consummavit ipsum expeliendo ab officio Professoris et Confessarii in Seminario.

Parili ratione suam remotionem ab officio Cappellani Monialium sacerdos Zill repetit ex facto quod ipse cum benevisus esset Reipublicae Praesidi, pro viribus cum ipso adlaboravit ad instaurandum vigorem concordati inter S. Sedem et Gubernium de Costarica et ad obtinendum Delegatum Apostolicum ; haec res ita Episcopi animum irritavit, ut ipsum non solum privaverit memorato officio, sed etiam traducere tentaverit tamquam amentem per publicas ephemerides. Tandem his poenis et iniustitiis culmen adiunxit, ait sacerdos Zill, suspensio *ex informata conscientia* ab Episcopo sibi inflicta ob appellationem seu recursum a se factum ad S. Sedem. Ex allegatis igitur et ex aliis quae refert, concludit se esse victimam furoris Episcopalis.

Deinde impugnat valorem remotionum de quibus supra, utpote contra contractum existentem. Sane ex epistola Superiorissae Monialium de Sion in Costarica ad Superiorissam Generalem Parisiis erumpit quod Episcopus promiserat Monialibus Cappellanum, qui ipsis inserviret, occupare in Seminario cum menstruis scutatis 25 comprehenso victu et habitatione et Moniales ex parte sua promittebant Cappellano rependere singulis mensibus scutata 40 inclusis etiam expensis itineris. Hoc officium, quod prius recusatum fuerat a quodam Barauteil, postea ope intermediarii Diringer acceptatum fuit a sacerdote Zill, et Moniales secutam conventionem ratam habuerunt. Relatae conventioni subsecutus est actus nominationis ad officia uti supra : sacerdos Zill e longinquis regionibus Galliae venit in Costaricani, et primis quinque mensibus sedit in eadem mensa cum Episcopo. Haec omnia, subdit Zill, portendunt usque ad evidentiae fastigium con-

tractus bilateralis existentiam, qui non potuit violari invita parte.

Loquens tertio de suspensione *ex informata conscientia* conqueritur sibi hanc poenam irrogatam esse paucis post diebus quam ab Episcopo bonum testimonium de suis moribus habuerat et etiam 30 scutata pro eleemosynis missarum, quibus vita sustentare posset. Causa huius repentinae mutationis non est quaerenda in mala informatione habita a Legatione Gallica Matriti circa suos mores, uti vellet Episcopus, sed potius in quodam recursu, quem sacerdos Zill dicit transmisisse sacerdoti Diringer ea lege ut ope Nuntii Apostolici mitteretur ad S. Sedem: qui tamen sacerdos proditorie ad Episcopum remisit.

De cetero adnotat, praefatam suspensionem quae iuxta Trid. Cap. 1, sess. XIV de Refor. infligi debet in delictis occultis vel difficilis probationis, in themate nullimode sustineri posse, cum delictum ob quod lata fuit, sit, teste ipso Episcopo, publicum : proinde sacerdos Zill urget Episcopi damnationem ad reficienda omnia damna sibi derivata tam ex relatis remotionibus, quam ex enormibus expensis a se passis pro vitae sustentatione et quidem in ea summa quam superius indicavit : item urget damnandas esse Moniales de Sion in Costarica ad sibi refundendum salarium trium annorum cum fructibus et aliis emolumentis iuxta obligationem ab ipsis assumptam.

Quo vero ad sacerdotem Diringer licet hic ad refectionem damnorum adstringi nequeat ulla lege contractus, tamen cogendum esse clamat alio capite a S. Congregatione, quia nempe dolose recursum intercepit transmittendum ad S. Sedem, et remisit ad Episcopum ; quod si s. Congregatio nolit eum damnare, saltem petit facultatem eum traducendi ad tribunalia civilia.

QUAE CONTRA SACERDOTEM ZILL DESILLES MILITANT. Aliter vero sentit adversa pars : et in primis Episcopus denegat se egisse in hoc negotio ex ira vel ex odio, imo sustinet se nimis patienter tulisse contra etiam sententiam totius Cleri

qui promptam et severam sacerdotis Zill punitionem reclamabat : item in suis uteris informativis sustinet nullum intervenisse contractum vel promissionem erga praefatum sacerdotem et rem ita explicat: die 18 Martii 1890 Moniales de Sion in Costarica exposuerunt se paratas esse ad arcessendum e Gallia Cappellanum, qui eis pro sacris functionibus inserviret, et rogaverunt Episcopum ut aliquid subsidii ei tribueret pro complenda assignatione a Monialibus promissa : Episcopus intentionem aperuit se hoc facturum dando ei magisterium in Seminario minori cum menstruo stipendio scutat. 25. Postea loco sacerdotis Baruteil qui tunc pro Cappellani munere cum Monialibus agebat, advenit sacerdos Zill neque nomine ab Episcopo cognitus : hinc quaerit Episcopus quo iure exposita animi manifestatio pro contractu traduci queat.

Sed data et non concessa contractus existentia, Episcopus contendit se assumptae obligationi iam satisfecisse cum sacerdoti Zill scholam in Seminario minori obtulit et ipse hanc respuit: et si postea ei tradidit munus Professoris in Seminario maiori, id egit non ex aliqua obligatione assumpta, sed ex pura benevolentia : superius vero relata facta Episcopus dicit probari iuratis et omni fide dignis testibus.

Deinde Episcopus edisserit causas quae ipsum impulerunt ad relatas poenas ei suspensionem infligendas. Et quoad remotionem sacerdotis Zill a Seminario ex duplici causa motum fuisse, nempe a necessitate restituendi tum pacem inter superiores Instituti tum disciplinam inter alumnos : Sacerdos Zill animos iuvenum ferventes ad seditionem contra superiores excitabat, probra et dicteria praesertim contra Seminarii Rectorem vomebat, ita ut hic coactus fuit dimissionem dare ab officio : Episcopum vero potius quam provectum et benemeritum Rectorem a Seminario dimittere, melius censuisse de consilio suae Curiae turbulentum sacerdotem expellere.

Item quoad remotionem sacerdotis Zill ab officio Cappellani Monialium Episcopus tradit, eam derivasse ab ipsius

pessima agendi ratione erga Moniales : hae enim duplicem recursum contra Cappellanum exhibuerant, unum apud Episcopum et aliud apud Consulem Gallicum : hinc ipsius permanentia in officio impossibilis evaserat.

Exponens demum Episcopus causas inflictae suspensionis, potissimam dicit fuisse interdictionem factam sub censurae comminatione praefato sacerdoti publicandi per ephemerides scriptum infamans et maxime damnosum Monialibus : sacerdos Zill parere noluit, scriptum publicavit, hinc censura suspensionis irre titus mansit ab Episcopo, qui eam irrogavit ex quadruplici capite. 1. Ob machinationes contra ipsum peractas ; 2. ob tentamen schisma ciendi inter Clerum de Costarica; 3. ob scandalum publicum; 4. ob damnum Instituto religioso causatum.

Idisce expositis, Episcopus concludit quaestionem de compensandis damnis esse solutam, cum ad ea reiicienda damnari nequeat neque vi contractus, qui prorsus exulat, neque vi remotionum et suspensionis, quae gravibus rationibus subnixae fuerunt.

Neque aliter e parte sua sentiunt Moniales et sacerdos Diringer vocati in causa quoad damnorum refectionem. Sacerdos Diringer breviter se expedit, observando quod 1. ipse actum charitatis exercere putavit commendando Monialibus de Sion in Costarica sacerdotem Zill pro Cappellano, licet postea hic conceptae opinioni non responderit, 2. quod si acceptum recursum sacerdotis Zill contra Episcopum ipse^ non transmisit ad S. Sedem, prout erat in votis recurrentis, id iure egisse, cum participare nollet in opere reprobando: de cetero reclamatimi recursum mense Augusti 1893 remisisse ad eumdem Zill : hinc intelligere non posse, quomodo quaestio damnorum se pertingere possit. Moniales vero ita probant se nullimode damnari posse ad refectionem damnorum. Admittunt quidem quemdam per litteras tractatum extitisse ad habendum pro Cappellano sacerdotem Zill : sed respuunt omnem contractus ideam aut assumptae strictae obligationis, quod ita verum esse dicunt, ut etiam tribunalia

civilia ad quae sacerdos Zill appellavit, in hoc negotio omne contractus vestigium excluserunt. Postea Moniales totae sunt, in earum defensione exhibita ope sacerdotis Diringer, in enarranda scandalosa et imprudenti agendi sui Cappellani ratione ; plura edicunt de pessimo ipsius caractère, de sermonibus contra Moniales habitis coram earum alumnis seu educandis, de scandalosa interruptione missae quadam die dominica, et de aliis id genus, ita ut impulsae fuerint ad acceptandum alium Cappellanum ab Episcopo designatum. Tum Zill contra hanc provisionem recursum habuit ad tribunal ecclesiasticum a quo repulsus appellavit ad tribunal laicum, sed pari exitu : et Moniales processus expensas et advocati honorarium propter inopiam actoris exsolvere debuerunt.

Hinc Moniales concludunt ad nulla damna reficienda teneri, cum continuatio sacerdotis Zill in officio evaserit omnino impossibilis : potius ipsae indemnizandae essent a sacerdote Zill, non solum ob expensas a se iniuste solutas, sed etiam ob damna ab Instituto passa sive in ordine morali sive in ordine materiali et rem comprobare adnituntur serie factorum quae brevitatis ergo omittuntur.

Hisce summatim praehabitis proposita sunt resolvenda sequentia

Dubia

I. *An et quomodo sustineantur provisiones dierum* 5 *Iunii et 5 Iulii 1891, quibus Episcopus de Costarica privavit sacerdotem Zill Desilles officio Professoris in Seminario et Cappellani in Instituto Sororum de Sion in casui*

II. *An et quomodo sustineatur suspensio inflicta in casui*

III. *An et quae damna compensando sint praefato sacerdoti ob dictas remotiones et suspensionem in casui*

RESOLUTIO. Sacra Cong. Episcop. et Regul. die 24 Augusti 1894, omnibus mature perpensis rescripsit.

Ad I. *Affirmative in omnibus.*

Ad II. *Attentis omnibus in casu concurrentibus affirmative in omnibus.*

Ad III. *Negative in omnibus et amplius.*

LJTTERAE Emi Praefecti quoad usum Rotae, vulgo, *Velocipede.*

Illmo ac Rmo Episcopo Izatmariensi.

Perillustris ac reverendissime Domine uti Frater.

Haec S. Congregatio Episcoporum et Regularium maturo examini subiecit, quae Amplitudo Tua retulit circa Sacerdotes utentes rota dicta *Velocipede.* Itaque Sacra eadem Congregatio zelum et prudentiam Amplitudinis Tuae collaudai atque commendat: nam prohibitio huiusmodi non solum liberat a corporis periculis Sacerdotes ipsos, sed scandala avertit a Fidelibus et irrisionem ipsorum Sacerdotum. Interea Tibi adprecor a Domino fausta omnia et prospera (1).

Amplitudinis Tuae uti frater.

Romae 28 Septembris 1894.

I. CARD. VERGA, *Praefectus.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM GENERALE Commemorationum in Vesperis.

Cum iam alias Sacra Rituum Congregatio praestituerit ordinem in commemorationibus agendis ad Vesperas servandam, maxime postquam Duplicia minora et semiduplicia impedita ad instar Simplicium redigenda Rubricae immutatae indixerunt; ad omnes ea super re controversias dirimendas eadem Sacra Rituum Congregatio declarat et statuit: Post Orationem diei, ante ceteras, commemorationem semper agendam esse de alio cuiuscumque ritus festo, quod concurrat, si locum habeat, deinde reliquas iuxta ordinem quem seu Rubrica Gen. Breviarii Titul.

(1) Animadvertas velim, S. Sedem per hasce Litteras formale non protulisse iudicium ; nempe utrum deceat Sacerdotes uti ***Velocipede.*** Sed Praefectus S. Congr. Episc, et Regul. tantum laudavit prudentiam Ordinarii, qui iussit proprios Sacerdotes abstinere ab eiusmodi usu.

IX n. 11, seu Tabella Occurrentiae in eodem Breviario inscripta praecipiunt. Qui ordo sequentis tenoris est: 1. de Domenica privilegiata, 2. de die octava, 3. de duplici maiori, 4. de duplici minori, ad instar simplicium redactis, 5. de Dominica communi, 6. de die infra octavam Corporis Christi, 7. de semiduplici, 8. de die infra octavam communem, ad simplicem ritum pariter redactis, 9. de feria maiori vel Vigilia, 10. de Simplici. Atque ita servari mandavit. Die 2 Maii 1893.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. & S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

DECRETUM GENERALE Octavarum in Quadragesima.

Sacrorum Rituum Congregationem solemne habuisse semper sacri quadragesimalis temporis instituta pia moestitia recolere, abunde Rubricae ostendunt, nonnullaque propositis sibi Dubiis responsa, quibus vel cessare praescripsit vel abrumpi Octavas in feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis, quamvis* peculiari Indulto concessas. Nuper vero, cum alia suborta fuerint Dubia circa easdem Octavas ad earum quod attinet celebrationem, vel cessationem, aut abruptionem in reliquis Dominicis diebus Quadragesimae pro iis, qui illas recolendi privilegio donati sunt, eadem Sacra Rituum Congregatio declarat et statuit : Octavas quascumque pro tempore Quadragesimae, iuxta alias decreta, in posterum non concedi, indultas vero ab antiquiori aevo, non solum in feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis, sed etiam in omnibus aliis Dominicis diebus Quadragesimae esse omnino intermittendas vel abrumpendas. Per integram autem maiorem Hebdomadam omnes prorsus octavae, excluso etiam quocumque privilegio, interdictae maneant. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Maii 1894.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

TRIDENTINA. Dubium quoad Ecclesiam consecratam.

Rmus Dnus Episcopus Tridentinus Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

An post Decr. in una Senien. die 5 Maii 1882 (1), Ecclesiae consecratae, e quarum parietibus crusta, vulgo intonaco, maiori ex parte disiecta fuit, tamquam execratae habendae sint, ideoque nova indigeant consecratione?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem infranscripti Secretarii, exquisito voto a Commissione Liturgica, re perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Negative* ad utramque partem. Atque ita rescripsit die 11 Ian. 1894.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. C. R. *Praef.*

L. « S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secret.*

DECRETUM. Dubia quoad Litanias publice cantandas.

In Sacra Rituum Congregatione duo insequentia dubia excitata fuerunt, nimirum:

I. Quaenam Litaniae publice recitari valeant in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis, vi Constitutionis Clementis Papae VIII, et Decretorum, quae ab illius Successoribus Pontificibus promulgata fuere?

II. Utrum invocationes ad normam Litaniarum, in honorem Sacrae Familiae, Sacratissimi Cordis lesa, Mariae Perdolentis, S. Ioseph, aliorumque Sanctorum in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis recitari possint?

Sacra porro R. C. in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, ad relationem mei infranscripti Cardinalis

(1) Decretum *Senien.* quod citatur supra, respicit novam incrustationem Ecclesiae, ex materia marmorea, ob quam antiqua incruslatio, vulgo *intonaco,* in qua depictae erant cruces et signa consecrationis, per totum internum Ecclesiae spatium decussa fuit simul cum crucibus; et quidem id insimul, non successive. Porro S. R. G. declarat, Ecclesiam in casu non indigere nova consecratione, et cruces iterum depingendas vel apponendas in parietibus in testimonium peractae consecrationis.

Praefecti, atque audito R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Litaniae tantum quae habentur in Breviario, aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani, ab Apostolica Sede approbatis.*

Ad II. *Negative.* Atque ita rescripsit die 6 Martii 1894.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secret.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

ORD. S. BENEDICTI Dubia quoad oblatos saeculares.

D. Godehardus M. Heigl Ord. S. Benedicti, Abbas Affligeniensis et Visitator Provinciae Belgicae S. Indulg. Congregationi humiliter exponit:

In Congregatione Cassinen. Primitivae Observantiae erectum esse Institutum Oblatorum Saecularium cum quibusdam Statutis a S. C. EE. et RR. approbatis die 17 Ian. 1871, et Indulgentiis auctum per Decretum huius S. C. die 4 Iunii 1888.

Nunc vero quum varia exorta sint dubia circa naturam horum Oblatorum, humilis Orator postulat ut sibi declarentur quae sequuntur:

I. Suntne Oblati saeculares S. Benedicti considerandi sicut Tertiarii aliorum Ordinum ?

II. Potestne Oblatis Saecularibus S. Benedicti impertiri benedictio cum Indulgentia Plenaria iuxta formulam pro Tertiariis saecularibus approbatam a Summo Pontifice Leone XIII die 7 Iulii 1882 ?

III. Possuntne Oblati saeculares S. Benedicti fieri Tertiarii alterius Ordinis, et viceversa ?

IV. Debentne Oblati saeculares S. Benedicti, qui simul sunt Tertiarii ex. gr. S. Francisci, S. Dominici etc. eligere Ordinem ad quem pertinere velint?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, perpensis dubiis supra propositis, auditoque unius ex Consultoribus voto, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad IL *Negative,* absque speciali privilegio.

Ad III. *Negative,* iuxta Decretum huius S. Congregationis d. die 31 Ianuarii 1798.

Ad IV. *Affirmative,* ut in una Ord. Minorum Capulat. diei 21 Iunii 1893.'

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 15 Ianuarii 1895.

IGNATIUS CARD. PERSICO *Praefectus.*

L. **8** S.

✠ ALEXANDER ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

EX 3. CONG. DE PROPAGANDA FIDE

Fidelibus cuiuscumque ritus, deficiente sacerdote aut ecclesia ritus proprii, facultas fit S. Communionem accipiendi iuxta ecclesiae in loco existentis ritum.

In variis catholici orbis regionibus, in quibus diversorum rituum fideles permixti inveniuntur, deplorandum sane est saepe saepius nonnullos proprii ritus ecclesia et sacerdote destituios manere. Ex quo fit ut quidam ex illis propriae devotioni satisfacere, necnon christianae vitae fervorem per Sacramentorum frequentiam conservare et augere desiderantes, ex difficultate S. Communionem sumendi in proprio ritu, a S. Sede privilegium communicandi in ritu alieno, etiam extra casus iure permissos, continuo expostulent; alii vero quamplurimi propter eamdem rationem inducantur potius ad diuturnam Sacramentorum incuriam cum maximo eorum vitae spiritualis detrimento.

Hisce recursibus ac malis effectibus permota haec S. Congr. de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis, per opportunum aliquod ac salutare remedium iisdem occurrere voluit. Hinc, de consilio Eminentissimorum Patrum praedictae S. Congregationis, SS. D. N. Leo PP. XIII, referente R. P. D. Augustino Archiepi-

scopo Larissensi, S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, in audentia diei 2 Iulii anni 1893 sequens decretum edi et expediri mandavit, nimirum:

Quo utilius frequentia promoveatur SS. Sacramentorum, quae efficacissima sunt media a Christo Domino instituta ad procurandam salutem animarum, et quo opportunius duplex illud praedictum inconveniens de medio tollatur, omnibus fidelibus cuiuscumque ritus, sive latini, sive orientalis, degentibus in locis, in quibus non sit ecclesia aut sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a S. Sede conceditur SS. Communionem, non modo in articulo mortis et pro paschali praecepto adimplendo, sed etiam quovis tempore devotionis gratia, iuxta ritum ecclesiae existentis in praedictis locis, dummodo catholica sit, recipiendi.

Rmis Ordinariis committitur officium, ut praesentis decreti notitiam ad suum quisque populum pervenire faciat.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem C. Congregationis, die 18 Augusti 1893.

FR. AUGUSTINUS ARCHIEP. LARISSIEN.

ALOISIUS VECCIA, *Secret.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria VI, die 25 Ianuarii 1895.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Rev er endissi morum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PP. XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 25 Ianuarii 1895, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indice librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Giovanni Bovio — *Cristo alia festa di Purim* - con novissima prefazione aggiunta alla presente edizione, con ritratto dell'Autore,

32° Migliaio, 1894 -.Napoli - Edizione del Periodico Fortunio - 24 Egiziaca a Pizzofalcone. - *Tamquam praedemnatum ex Regulis Indicis.*

Emilie Zola — *Opera omnia.*

Sentiments d'un philosophe sur la seholastique en général, et sur Saint Thomas en particulier - Articuli editi in Ephemeride - *Nouvelles Annales de Philosophie Catholique* (Garche, Seine et Oise, rue de Suresnes, 13) - Num. 136, 137, 138, 139, 140 - Mensibus Iulii, Augusti, Septembris, Octobris, Novembris an. 1891 - Decr. S. Off. Fer. IV., 21 Febr. 1894. - *Auctor* (le P. Hilaire de Paris) *laudabiliter se subiecit, et articulos reprobavit.*

Auctor Operis - *Vie de Saint Polycarpe. - U Ange de V Église de Smyrne, - et V Apôtre des Gaules* - par l'Abbé Octave Mirzan - Prêtre de la Basilique de Saint Jean l'Evangéliste de Smyrne. - Poitiers, Imprimerie Biais, Roy et C, 7, Eue Victor-Ugo, 1893 *Prohib. Decr. die 19 Sept. 1894 - laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. L C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulqari praecepit. In quorum iidem etc.

Datum Romae die 26 Ianuarii 1895.

f SERAPHINUS EP. TUSCULANUS CARD. VANNUTELLI
PRAEFECTUS.

Fr. MARCOLINUS CICOGNANI, PROC. GEN. O. P.
a Secretis.

Loco Sigilli.

Die 28 Ianuarii 1895: ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia *Mag. Curs.*

APPENDIX IV.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST. ; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 20 Aug. 1778. — Vic. Ap. Sutchuen.
Dubia quoad tabelias progenitorum domi servatas.

Est mos apud gentiles cum magna veneratione domi servare tabellam progenilorum, in qua scilicet legitur: ***Sedes animae talis...*** Coram ista tabella duplici vice in anno offerunt vinum, carnes, thymiamata. Porro saepissime evenit, ut dictae tabellae reponantur in loco honorabili domus unius de familia, qui nomine familiae totius tenetur illas conservare; secus enim accusatur a parentibus coram Praefectis de impietate erga progenitores, atque graves propter hoc poenas patitur. Nunc quando gentiles, qui tabulas praedictas domi servant, ad fidem convertuntur, quomodo cum ipsis circa hanc causam agendum est?

1. Possuntne licite illas e domo tollere et tradere parentibus paganis ad quos pertinent?

2. Si non liceat tradere, saltem possuntne monere parentes, ut illas tollant e domo sua?

3. Si non liceat monere, possuntne abscondere, et deinceps tradere Praefectis aut parentibus, si ab ipsis ad id cogantur? Profecto si cogantur illas comburere sicuti propria sua idola, timore imminentis sibi poenae, et adhuc in fide debiles, paucissimi erunt, si tamen unicus sit, qui mandatis obtempèrent.

4. Pariter proselyti, qui apud se habent idola aliorum paganorum, quae per modum depositi acceperunt, ad quid tenentur ?

5. Denique christiani qui emunt territoria supra quae idola sunt, aut parva idolorum oratoria, possuntne monere gentiles, quorum prius erat territorium, e territorio tollere; ipsisque recusantibus, tenenturne confringere illa et destruere ?

R. Ad 1, 2 et 3. Ut his dubiis opportuna atque apta detur responsio, distinguendum est num superstitiosae tabellae, de quibus agitur, speciali dominio spectent ad gentilem conversum, vel potius ad alios de familia in solidum, quemadmodum erui videtur ex ipsa facti expositione, ubi

narratur ***nomine totius familiae eas conservari in aliquo loco honorabili domus unius de familia.*** Si primum, tum certe conversi ad fidem, neque eas domi servare, neque aliis paganis de familia tradere possunt, sed imo conterere, igni tradere atque disperdere debent ; atque ita a missionariis docendum atque iniungendum est. Si vero praefatae tabellae ad alterius dominium et proprietatem pertineant, tunc ad 1,2 et 3 dubium responsum est, teneri quidem christianos nuper a gentilitate conversos easdem superstitiosas progenitorum tabelias a propria domo tollere, sed licite posse eas tradere aliis de familia ad quos pertinent, vel illos monere ut illas tollant ac sibi sumant. Quemadmodum enim nefas esset ut christianus huiusmodi tabelias, si sui iuris ac potestatis esse.nt, sibi retineret, aut aliis traderet colendas ac venerandas, quod vel occultationem verae susceptae fidei redoleret, vel participationem superstitiosi cultus; ita e converso, si tabellae ad alios pertineant, recens christianus eas a sua domo removens ac domino reddens, tum novam a se susceptam fidem testatur, abdicans ac reiiciens superstitiosum illarum cultum, tum iustitiae praecepto satisfacit quod iubet ut quod nostrum non est domino restituatur.

Ad 4. Pari iure idola, quae proselytus iure depositi servat, suis dominis sunt restituenda.

Ad 5. Cum territoria venduntur, videtur quod cum fundi dominio in emptorem transferatur etiam ius et proprietas idolorum aut oratoriorum idolis dedicatorum, quae in fundo sita sunt. Si res ita se habet, tenetur christianus idola tollere ac oratoria destruere, vel in aliam formam ac usum ita redigere, ut nulla amplius species appareat oratorii idolis consecrati, et omnis superstitiosi cultus removeatur occasio. Monere autem ***etc.***

S. C. S. Officii 17 Febr. 1875. - Vic. Ap. Cocina Orient.
Dubia quoad expirationem sepulcrorum parentum.

I. Cum paganis, tum christianis, in hac Missione Gocincinae Orientalis, mos est parentum sepulcra expurgare atque reficere, praesertim mense duodecimo cuiuslibet anni : nonnulli tamen mense undecimo vel etiam primo anni sequentis id peragunt. Cum enim hoc tempore, autumnalis inundatio iam finem habuerit, populusque magis opere vacet, nulla certe alia anni tempestas tam opportuna ad id faciendum apparet-

II. Nulla autem, nec a rege, nec a provinciarum praefectis, nec a maioribus pagi, fuit praefixa dies, quae a solis familiis, prout cuilibet placuerit, constituitur.

III. Nunc praeterea religionem christianam sat bene noscunt pagani, qui christianos omnem superstitionem in sepulcrorum expurgatione amovere aperte conspiciunt, ita ul ullum nequeant, a christianorum agendi ratione, scandalum accipere, nec de facto accipiunt, imo amorem cum veneratione in parentes quorum reiiciunt sepulcra ostendere eos videntes, iam non sunt tam sanctae religioni infensi.

IV. Ipsimet christiani omnino in bona fide semper fuerunt et sunt. Nemo quippe est qui putet, hac in re, ob modum vel ob tempus quo sepulcra reiiciuntur, aliquid esse prohibitum, et ne unus quidem mihi notus est qui ex se in hac occasione superstitiosum actum faciat ; preces, e contra, pro parentibus defunctis recitant, Missae celebrationes petunt, et post familiae convivium, quisque domum suam in pace repetit.

Y. Qui vero simul cum gentilibus, quia sunt cognati, affines, vel eorum domestici, mortuorum sepulcra expurgant, actum aliquem superstitiosum nullo modo facere coguntur. Si quis vero talem actum admiserit (quod ignoro, sed identidem evenire praesumendum est), hoc tantum propter respectum humanum, debilem fidem, aut aliam causam huiusmodi, non autem propter ullam paganorum coactionem.

VI. Quapropter omnes ad unum antecessores mei morem supra expositum, quoad personas, modum et tempus unanimiter tolerarunt. Timebant utique ne ipsis prohibentibus, christiani haud pauci non obedientes (res enim alte in moribus fixa est) graviter formaliterque peccarent, et malum augeretur nedum minueretur.

VII. Venerabilis etiam praedecessor meus, Episcopus Metellopolitanus decretum noverat datum Missioni Ghen-si in Sinis die 9 Iulii 1792 ; quod decretum docet: ***Permitti posse christianos mortuorum sepulcra expurgare ipsorum figuram cubicam reficere, dummodo id non peragatur simul cum gentilibus, neque eodem die, sed die et anni tempore penitus diversis.*** Attamen praedictus Vicarius Apostolicus prohibere sepulcrorum expurgationem, quoad personas, modum et tempus, se debere non arbitrabatur. Forte existimabat hoc decretum pro Sina datum, ubi mortuorum sepulcra aliis forsan modis, caeremoniis ac circumstantiis expurgantur, non obligare in suo Vicariatu, aut etiam timebat ne maius pro animabus detrimentum a decreti publicatione oriretur, quod certe valde timendum est.

VIII. His fideliter expositis, suppliciter quaero :

1. An tacendo tolerare possim morem christianorum, qui, a paganis penitus seiuncti, parentum sepulcra expurgant et reiiciunt mensibus supra enumeratis, si timeatur ne, ex prohibitione, animae ma-

gnum patiantur detrimentum, dummodo nullum exinde oriatur pro paganis scandalum, nullumque actum superstitiosum admittant christiani.

2. An eos qui bona fide et ob rationes cognationis, domesticitatis etc. supra expositas, una cum gentilibus sepulcra expurgant, quin ullius superstitionis participent, tacendo, etiam in sua bona fide relinquere possim ; praesertim si vere sit timendum ne multi rite moniti nullo modo obtempèrent, aut imperfecte tantum obediant, et exinde maius detrimentum subeant.

3. An, si quando inveniantur qui ex imbecillitate fidei et indolis, aut etiam ex impietate, cum gentilibus superstition es peragunt in sepulcris expurgandis, prudens sit ac sufficiat eos dure increpare de peccato commisso, graviter etiam punire, atque illis absolutionem sacramentalem denegare donec corrigantur et resipiscant, sed non publicato decreto supra citato.

R. Ad 1. Iuxta exposita, affirmative.

Ad 2. Etsi agitur de re valde periculosa, infirmis praesertim in fide, attamen, quia, uti asseritur, christiani in expurgandis sepulcris una cum infidelibus nullo modo se immiscent superstitiosis eorum **na**tibus, nec illis quoquo modo cooperantur, nec operi expurgationis ulla praestituta est dies : insuper, ***dummodo nec eiusdem operis modus, sive forma, ulla regantur lege vel consuetudine*** (nisi forsan ex causa mere civili vel physica), cum, positis his conditionibus, opus de se licitum sit, et grave periculum immineat si prohibeatur, hoc est, vel inobedientiae ex parte christianorum, vel persecutionis ex parte infidelium: tolerari posse ut christiani una cum gentilibus, ratione cognationis et domesticitatis, aut ex alia iusta causa, sepulcra expurgent ; adhibitis necessariis et opportunis praecautionibus, inter quas praecipuae videntur: 1. Instructiones et monitiones, quae quam proxime praecedant tempus expurgationis sepulcrorum ; — 2. Si caveatur ne iterum se exponant periculo qui iam ceciderunt ; 3. Si prohibeantur omnibus christianis indiscriminatim, dura possibile sit, ne assistant etiam praesentia mere materiali superstitiosis ritibus infidelium.

Ad 3. Quoad primam partem : prudenti iudicio Vicarii Ap. Quoad secundam partem, id est non publicando Decreto : Provisum in responsione ad secundum.

Instr. S. C. S. Officii 8 Iunii 1859. — De communicatione cum haereticis.

Communicatio cum haereticis esse potest vel in reproba doctrina vel in ritibus aliisve signis falsae sectae protestativis cum scandalo fide-

Mum, quibus ideo ab Ecclesia communio interdicitur cum illis, ne fides aut amitti aut periclitari intelligatur. Unde S. Ioannes Evangelista sic severe praecipit: ***Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec*** ave ***dixeritis ei, qui enim dicit illi*** ave ***communicat operibus eius malignis*** (Ioan. 2. 10). Evidentissime ex his verbis prohibitum iri infertur quidquid huiusmodi ***ave*** exprimit prout sunt actiones liturgicae quae ad ecclesiasticam unitatem significandam institutae fuere. Quapropter a PP. Concilii Carthaginensis sancitum legimus ***cum haereticis nec ^orandum nec psallendum,*** prout refert Benedictus XIV (de Synod. c. V. lib. VI.). Illicitum est ergo in sacris functionibus haereticos in chorum invitare, alternis psallere, dare iis pacem, sacros cineres, candelas et palmas benedictas, aliaque id genus externi cultus, quae interioris vinculi ac consensionis indicia iure meritoque existimantur, tam in sensu activo, nimirum similia eis dando, quam passivo, ab iis in eorum sacris accipiendo. Idem enim in utraque hypotesi esse ac ***ave*** illis dicere, eorumque operibus malignis communicare. Sed quaedam (nunc) proponuntur quae ex se, prout ieiune ac nude exhibentur, communicationem in sacris haud praeferre videntur. Nam quae circa patrinos in matrimoniis, et circa iurantes in ecclesiis nostris obiiciuntur, nullam declarant cooperationem prohibitam quoad catholicos. Patrini siquidem dicuntur ii qui solummodo desponsati lateri adstant, nihil agentes aut dicentes quod vetitae participationis signum referre iudicetur, et ita si in ista materiali praesentia nullum pertimescendum sit scandalum, non erit cur anceps fhictuet missionarii animus. Multo minus angi debet si, nemine catholicorum invitante aut cooperante, haeretici templa nostra cuilibet patentia ingrediantur sua iuramenta pronunciaturi. Quid ad nos si tota actio haereticorum sit fidelium cooperationi remota ?

Quoad funera demum iam feria V die vigesima Maii 1755 responsum fuisse noverint missionarii, tolerandos esse haereticos vel schismaticus, quatenus meram praesentiam -materialem exhibeant, causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus ac ritibus catholicis. In hoc enim nulla est proprie dicta participatio in sacris ex parte catholicorum, qua exclusa, in reliquis sese gerant ad tramitem Constitutionis Martini V. ***Ad evitanda.***

S. C. S. Officii 5 Decembr. 1668.
Prohibitum est audire Missas schismaticorum.

Episcopus Tribuniensis mandet catholicis sibi subiectis ne accedant ad Missas et alia officia divina in ecclesiis schismaticorum, eosdemque moneat, in casu carentiae Missae catholicorum non teneri praecepto Missam audiendi.

S. C. S. Officii 12 Aprilis 1704. — De missa celebranda in templis haereticorum.

SSmus Dominus. . . . ad facilius promovendam schismaticorum et infidelium conversionem illosque alliciendos ad fidem catholicam amplectendam sacrarum caeremoniarum intuitu, benigne indulsit P. Praefecto seu Yice-Praefecto missionariorum, pro tempore in Aethiopia existentibus, ut pro eorum arbitrio et conscientia dispensare possint cum eisdem missionariis, eisque facultatem concedere celebrandi sacrosanctum Missae sacrificium catholico romano ritu super altaribus in templis haereticorum seu schismaticorum in Aethiopia, ita ut eadem altaria non inserviant nisi pro nudis tabulis, et more catholicorum disponantur cum sacrato lapide, mappis, SSmi Crucifixi imagine, candelabris, et aliis necessariis supellectilibus ad usum SSmi Missae sacrificii, ritu praedicto; numquam tamen generaliter, sed in casibus particularibus, in quibus alia loca commodiora non suppetant, et urgens sit necessitas ad facilius dictam conversionem promovendam, et insuper ad catholicorum consolationem, aliisque iustis et urgentissimis de causis indicandis ab iisdem P. Praefecto seu Vice-Praefecto missionariorum, super quibus eorum conscientiam oneravit.

S. C. S. Officii 24 Febr. 1752. — Quoad communicationem in divinis cum haereticis.

In Congreg. Generali... coram SSmo D. N. Benedicto div. prov. PP. XIV. ac Emis *etc.* proposita fuerunt, loco casus, nonnulla dubia a S. C. de Propaganda Fide ad S. Officium remissa, et exposita per R. P. D. Archiep. Antibarensem circa quamdam processionem, quae in eius dioecesi fieri solet in die solemnitatis Corporis Christi a catholicis unitim cum graecis schismaticis, et defensam in scriptis pro licita a

quodam parocho Nicolao Giorga, cuius opinionem ipse Archiepiscopus reprobavit ; nec non votum P. Bianchi Ordinis Min. Observ. Consultoris •S. Officii super discussione eorumdem dubiorum efformatum. SSmus D. N. PP. praedictus, antequam DD. Consultores ab aula discederent, cum assueta sua amplissima eruditione ac profunda doctrina, in casu proposito docuit, Romanam Sedem, statutis a se legibus atque consuetudinibus ita inhaerere, ut ab illis numquam abduci patiatur, nec a contraria quidem aliquorum doctorum opinione. Quamobrem, etiamsi theologorum plerique tueantur matrimonium ratum non consummatum esse de iure divino indissolubile, quia tamen canonicae leges et ecclesiastica consuetudo stant in oppositum, propterea Rom. Pontifex in quibusdam casibus ita devenire potest ad matrimonii rati non consummati dissolutionem, ut si quis theologorum assereret, non convenire Romano Pontifici hanc potestatem, redargui utique de audacia mereretur.

Ad negocium deinde communicationis in divinis cum excommunicatis descendens, docuit Romanam Sedem hunc perpetuo morem servasse, ut nimirum, praeter publicos clericorum percussores, non alios iudicaret vitandos, quam quos tales, idest excommunicatos, post legitimum iudicium sententia publica declarasset. Hinc SSmus sermonem instituit de celebri interdicto Siciliae, quo vigente non deerant in Urbe qui contenderent et instarent, ut nonnulli violatores interdicti declararentur excommunicati. Pro hac declaratione instabant quidam, et urgebat etiam pro eadem re R. P. D. Tedeschi. Verum Romana ista Sedes tunc solum ad id devenit, quando ex actis legitime super hoc negotio confectis, vere constitit quinam fuissent interdicti violatores....

Addidit praeterea communicationem in divinis cum haereticis non posse, nec debere tam facile ac tam generaliter pronunciari in omni penitus circumstantia de iure vetitam : idque constare docuit in matrimoniis catholicum inter ac haereticum initis; idipsum demonstrari potuisse per pontificias illas Constitutiones, per quas haeretici ad Tridentinum Concilium, data incolumitatis fideiussione, invitati fuere. Ac demum animadversione dignum esse, quod sacerdotibus catholicis mandatur, ut a divinis non cessent si haeretici etiam notorii ad ecclesias se conferant ; ex quibus passiva in divinis communicatio permissa dignoscitur contra sententiam Tagnani, qui in hoc erravit.

Quod pertinet ad Const. Martini V. ***Ad evitanda*** dixit non obstare quod in actis Concilii Constantientis non reperiatur : neque enim negare possumus Martinum V. rogatum fuisse, ut saltem ad quinquennium eam conderet: et quod ipse Pontifex eam promulgare voluit absque ulla prorsus limitatione temporis. Addidit praefatam Constitu-

tionem inter decretales modo recenseri : nec mirari quisquam debet, suppositam quandoque legem adoptari, tum maxime, cum reperta fuerit proficua, rationi consona, et ecclesiasticae disciplinae conformis; monuit propterea omnes, ad quos Suffragium, seu votum facere pertinet, ut in scribendo moderatae criticae leges non praetergrediantur.

Descendit postremo SSmus ad sermonem super graecis, ac mirabili eloquentia docuit, quod ubi Galli atque Yeneti Gonstantinopolim parta victoria occuparunt, Innocentius III non sapientia minus quam sagacitate et dexteritate clarus, statim de Patriarcha latino voluit providere, inaugurato Morosino. Ex tunc graeci omnes Episcopis latinis parebant, et res erant non modo paratiores, sed etiam puritati religionis propinquiores. Excrescentibus interim supra latinos graecis, postularunt isti peculiarem suae gentis habere Pastorem, sive Episcopum. Pius II, ac Leo X graecorum votis annuerunt; et ex tunc, sublato iugo erectaque cervice, schisma fovere audacter coeperunt ; et divini cultus puritas maculari coepit ac foedari. Adesse voluit, ac mederi hisce malis Pius IV, graecos ad tramites ab Innocentio III praefixos revocando: sed graeci Pii II, ac Leonis X constitutionibus freti, Pium IV detrectarunt audire. Ubi ergo proprios Episcopos licuit graecis habere, ex tunc factum est, ut in locis dominio praesertim Veneto subditis, et Episcopus latinus, et Episcopus graecus schismaticus reperiantur. Inter ipsos non modo civilis, sed etiam in divinis conversatio, sive communicatio inducta est. Qua de re memoravit celebrem processionem Gorcyri fieri solitam in solemnitate Corporis Christi, in qua graeci ac latini bini incedunt, dexteram istis, laevam illis manum tenentibus, ac postremo hinc ad dexteram Archiepiscopus latinus, inde ad laevam Episcopus graecus incedit. Solemnis iste ac permixtus incessus displicuit R. P. D. Quirino, quo tempore Corcyrensi praeerat Ecclesiae, utque rem sub oculos Romani Pontificis poneret, in tabula publicam mox descriptam supplicationem depictam Romam misit, quae diu in Quirinali Palatio servata est, nunc in Arce Castri Gandulphi aptiorem locum occupat. Hinc petiit, ut Romana Sedes solemnem hanc supplicationem inhiberet. Veram responsum illi fuit, quod si ex hac prohibitione damna, turbationes, et alia mala prudenter timeri potuissent, tolerari potius, quam inhiberi posse. Hinc SSmus iterum deduxit, hanc cum schismaticis communicationem non posse omnino, et in omni eventu conclamari prorsus illicitam. Exinde vero dimissis consultoribus, et auditis votis Emorum decrevit scribendum ad Archiepiscopum Antibarensem cum laude omnium a se gestorum pro impedienda communicatione schismaticorum cum catholicis in solemni processione SSmi Corpori Christi, cum talis commu-

nicatio sit in divinis, et proinde de genere prohibitorum; quod idcirco inhibeat parocho Nicolao Giorga etiam sub poena privationis parochiae in casu inobedientiae, ne audeat schismaticus admittere in relata processione. Quatenus vero ab huiusmodi provisionibus rite capiendis oriri possent"gravissima scandala, et eiusdemmet Archiepiscopi perturbationes, ac persecutiones in eius persona, et forsan etiam, quod absit, expulsio, pro sui arbitrio et prudentia se gerat, ac dissimulet, ad peiora mala vitanda.

S. C. S. Officii IO Maii 1753. — Miss. Teños in Peloponneso. Dubia quoad communicationem in divinis inter catholicos schismaticos et haereticos.

1. An liceat catholicis latinis concedere vel permittere, ut in eorum ecclesiis Missam celebrent presbyteri graeci ritus schismatici et haeretici, atque hos admittere in funeribus catholicorum defunctorum.

2. An liceat catholicis graeci ritus non habentibus catholicam ecclesiam eiusdem ritus communicare in divinis cum graecis schismaticis et haereticis.

3. An liceat confessariis vel sacerdotibus latinis administrare Sacramentum Poenitentiae graecis catholicis communicantibus in divinis cum graecis schismaticis.

R. Ad 1. Ad primam partem dubii : Non licere; maxime cum Patriarchae. Constantinopolitani commemorationem faciant, et festum celebrent infamis Palamas. Id enim perinde est ac consentire eorum haereticis ritibus, et communicare cum eis in eorum sacris, schismatico et haeretico furfure pollutis ; aut saltem occasionem praebere catholicis, ad latinas intervenientibus ecclesias, communicandi cum haereticis in divinis rebus, aut ad minus scandalum concipiendi. Quo vero ad secundam partem eiusdem dubii, quatenus schismatici comitantes funera catholicorum ***meram praesentiam materialem*** exhibeant, causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus ac ritibus catholicis, quibus mos est ad funera efferre, et defunctos ad sepulchrum deducere: tolerari posse; quatenus vero in illa functione ***proprios ritus adhibeant,*** vel nostris se immisceant : non licere, nec esse permittendum.

Ad 2. Non licere, quia in casu proposito confugere possunt ad ecclesiam, catholicam latinorum, et in defectu sacerdotis catholici ritus graeci, a sacerdotibus latinis Sacramenta suscipere.

Ad 3. Non licere extra casum extremae necessitatis.

Pro maiori vero instructione eiusdem missionarii, aliorumque missionariorum transcribi mandavit (S. G.) id quod SSmus ad materiam docuit in eius Tractatu de Synodo Dioecesana ***lib.*** *5.* (1) ***cap.*** *5,* ***ibi:*** « Et nihilominus ea est misera nostrorum temporum conditio, ut multis in provinciis, in quibus haereses aut dominantur aut grassantur impune, duram catholici subeant necessitatem cum haereticis conversandi et familiariter agendi (2). Verum quamvis iuxta praesentem disciplinam inductam a Martino V in celebri Extravagant. ***Ad evitanda,*** de qua nonnulla inferius, liceat catholicis cum haereticis, modo non sint expresse et nominatim denunciati, libere conversari, et cum iisdem communicare in rebus mere profanis et civilibus; non idcirco tamen arbitrari debent catholici, fas quoque sibi esse cum iisdem haereticis consortium habere etiam in rebus sacris et divinis. Siquidem Paulus V, post maturam rei discussionem, neutiquam licere definivit catholicis Regni Angliae haereticorum templa adire ritibusque interesse, quos inibi exercent, uti legere est in duobus decretis ab eodem Pontifice editis, uno scilicet anni 1606., altero anni 1607., quae referuntur a Cardinali Lauraea ***in*** *3.* ***Sententiar. part.*** *2.* ***tom.*** *3.* ***disput.*** *11.* ***art.*** *9. §. 4.* ***num.*** *292.* Haud equidem ignoramus, non deesse theologos ab omni culpa absolventes catholicos, qui cum haereticis et schismaticis nominatim non denunciatis, communicant in divinis, atque etiam Sacramenta ab iisdem recipiunt, dummodo hae simul concurrant rerum circumstantiae : primo scilicet, ut ad praedictam communicationem catholicos adigat gravissima et urgentissima causa ; secundo, ut haeretici, aut schismatici, a quibus Sacramenta exposcunt, sint valide ordinati, et sacra administrent ritu catholico absque ulla admixtione ritus damnati ; tertio, ut communicatio cum iisdem in divinis non sit externa protestatio falsi dogmatis, qualis erat ingressus in protestantium ecclesias, cum catholicis Angliae illum inhibuit Paulus V., ideo quippe regis edicta omnes adire iusserant haereticorum templa, ut tali pacto se cum protestantibus sentire falerentur; quarto demum, ut catholicorum

(1) Lib. 6 in altera editione, in qua nonnulla ipse Pontifex auctor variavit.

(2) Quae immediate sequuntur nonnihil immutata in praedicta nova editione prostant; ibi: «Quamvis autem per Canonem Concilii Gonstamiensis a Martino V approbatum, qui incipit *Ad evitanda,* quique in suo semper vigore permansit, non obstantibus contrariis subsequentibus constitutionibus Conciliorum Basilaeensis et Lateranensis, nonnihil relaxata fuerit disciplina in eo quod pertinet ad conversandum, atque etiam in divinis communicandum cum haereticis, qui tolerantur et expresse denuntiati non sunt tamquam vitandi, ut fuse Gabassut. in *Theoria ei Praxi Iuris Canon.* lib. S, c. 11, n. 3 et seq., non idcirco tamen arbitrati debent catholici etc. ».

cum haereticis communicatio in divinis nulli scandalum ingerat. Verum in primis praedicta theologorum sententia suos habet adversarios, neque ab omnibus admittitur tamquam in praxi secura: deinde, ea etiam admissa, cum omnes enumeratae circumstantiae simul et coniunctim adesse debeant, ut catholicorum cum heterodoxis in rebus sacris societas omni vacet culpa, quemadmodum docent Silvius ***in part.*** *3.* ***Sancti Thomae tom.*** *4.* ***quaest.*** *64.* ***art.*** *6:* ***quaesit.*** *3.* ***conci.*** *3.* Cardinalis de Lugo ***De Fide, disput**** *22.* ***sect.*** *1.* ***num.*** *11.* Thomas a Iesu ***Tractatu de omnium gentium salute procuranda, lib.*** *8.* ***part.*** *2. §. 4.* ***vers.*** « Sed maior est difficultas » ***pag.*** *556.* Cardinalis Albilius ***De inconstantia in Fide cap.*** *18.* ***num.*** *30* ***et seqq.*** Cardinalis Gottus ***in*** *2. 2.* ***Sancti Thomae quaest.*** *4.* ***dub.*** *6. §. 3.* ***num.*** *2.*, ***et quaest.*** *3.* ***De infidelibus comparatae ad fideles, dub.*** *3, §. 2.* Idcirco fere impossibile est usuvenire, ut a flagitio excusari valeant catholici sese in rebus sacris cum haereticis et schismaticis admiscentes. Quamobrem Sacrae Urbis Congregationes, Sancti Officii videlicet, et de Propaganda Fide, illicitam semper reputarunt communionem, de qua est sermo, doctamque concinnarmi! Instructionem, Nobis in minoribus tunc degentibus, qualemcumque nostram operam navantibus, ad missionarios, cum opus fuerit, transmittendam, ubi rationes expenduntur, propter quas, vix unquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum haereticis communicatio in divinis ».

S. C. S. Officii I Decembris 1757. — Archiep. Antibaren. De missa celebranda a presbyteris catholicis in Ecclesiis usurpatis a schismaticis.

An toleranda sit praxis quam habent parochi catholici castri Lastruae S. Missae sacrificium celebrandi in ecclesiis catholicis, a graecis schismaticis usurpatis atque ab iisdem officialis, seu etiam in illis quae pure ad ipsos schismaticus pertinent.

R. Haberi pro regula universe accepta et servata, non licere catholicis communicare in divinis cum haereticis et schismaticis; verum in quibusdam casibus particularibus regula haec aliquas patitur exceptiones, nempe si in eadem ecclesia habeantur cappellae et altaria separata, quorum aliqua tantum catholicis, alia schismaticis inserviant; si eiusdem ecclesiae partes sint separatae, et in una celebrent solum catholici, in altera tantum schismatici : tum promiscuus ecclesiae usus tolerari poterit. Quatenus vero haec deficiant, R. P. D. Archiepiscopus mandare poterit suae dioecesis parochis ut altaribus portalilibus utantur iuxta facultates illis in Formula impertitas, quasque Sanctitas Sua rursus dare et renovare intendit.

S. C. S. Officii 22 Sept. 1763. — An Graeci schismatici adire valeant Ecclesias catholicorum.

An graeci schismatici adire possint catholicorum ecclesias, ibique materialiter tantum assistere eorum sacris et divinis.

R. Accessum graecorum non unitorum ad ecclesias catholicorum posse permitti dummodo iis non administrentur Sacramenta, nec quoquo modo communicent in divinis, nec ad huiusmodi adventum fuerint invitati.

S. C. S. Officii IO Maii Î770. — Vic. Ap. Smyrn. Catholicus quoad baptismum et conciones protestantium.

An liceat catholicis, baptismis protestantium et eorum concionibus interesse, nec non matrimoniis et baptismis graecorum, in quibus per se, vel per alios aliquando etiam officio patrini funguntur.

R. Catholicis regulariter non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus baptismis et matrimoniis interesse. Absolute autem non licere, nec per se nec per alios fungi officio patrini in baptismis, qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur.

S. C. S. Officii 29 Ian. 1817. — Saxoniae. De benedictione nuptiali a ministro acatholico petenda.

An licitum sit catholico petere vel accipere benedictionem nuptialem a ministro acatholico, licet pars acatholica illud exigat.

R. Negative.

S. C. S. Officii 13 Ianuarii 1818. — Kentuky. De interessentia funeribus haereticorum.

1. An liceat interesse haereticorum funeralibus et sepulturae.

2. An liceat catholicis adire templa haereticorum.

R. ad 1. Licere quotiescumque agatur de assistentia materiali praestita civilis officii causa a qua eximi nequeant catholici sine gravi damno vel periculo, dummodo nullo modo communicent in eorum ritibus et sacris caeremoniis quibuscumque.

Ne autem in praxi temere permittatur periculosa consuetudo adsistendi haereticorum umeralibus et sepulturae, inspiciat Episcopus serioque perpendat num facile ea tolli possit, quin exinde oriantur odia et inimicitiae haereticos inter et catholicos, unde aliquod grave damnum catholicis sit pertimescendum. Quod si pacifice ea tolli nequeat, sedulo instruendi sunt catholici quibus conditionibus quibuscumque in circumstantiis permittatur. Nimirum permittitur ut dictum est: **i.** Sola praesentia materialis praestita civilis officii causa; ea igitur conditione ut catholici nullum se actum religionis ac religiosi cultus et ritus praestare intendant. — Permittitur 2. in casu, quo ab ea eximi nequeant sine gravi damno vel periculo ; quae circumstantia non adest ubi quis nullum sibi damnum vel periculum alias imminere sciens, proprio lubitu et electione interesset, nullo adstrictus civilis officii debito. — 3. Permittitur denique ea conditione, ut nullo modo communicent in sacris cum haereticis ; igitur nec simul orare, neque se in eorum ritibus immiscere debent, nec luminaria deferre, neque pro defuncti anima suffragia persolvere.

Ad 2. Licere, si adeant merae curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris, in qua talis aditus communiter habeatur pro actu protestativo falsae religionis ; quandoquidem sicuti profana aedificia, sic et templa haereticorum adire, est actus per se indifferens; qui non nisi a pravo fine, vel ex circumstantiis efficitur malus. Malus nimirum efficitur : — 1. Si quis ea adeat animo adsistendi sacris haereticorum functionibus; — 2. Vel etiam absque tali animo, si ingressus ipse in haereticorum ecclesias aliquam inferat vel inferre videatur cum eisdem haereticis in divinis communicationem, hinc et scandali occasionem praebeat; — 3. Aut si talis aditus indictus sit ab haeretico gubernio, tamquam protestatio eiusdem fidei ac religionis catholicos inter et acatholicos; — 4. Vel utrumque communiter habeatur veluti tessera unius eiusdemque communionis catholicorum et acatholicorum. — In his igitur casibus nunquam licet catholicis adire haereticorum templa, quia numquam licet haereticorum sacris participare, nec propriam simulare fidem. Ubi vero haec omnia absint, et sola curiositate templa visendi moveantur, incúlpate ea adire possunt.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PANORMITANA

NULLITATIS MATRIMONII

Die 1 Septembris 1894.

Sess. 24 cap. 6 de ref. Matr.

COMPENDIUM FACTI. Nympha Spina Panormi nata, puella venustate prae fulgens et sexdecim annos nata, anno 1864, e parentum domo aut vi rapta, aut ex condicto fugiens, cum avúnculo suo, Evaristo Branciforte, ipso quoque cive Panormitano, in rustica aede venit, ibique incesti crimen patratum fuit. Post triduum anxii parentes, concursu etiam publicae auctoritatis, filia reperta, eam in reclusorio, Candelorae nuncupato, collocaverunt.

Nymphae pater ac frater mortem raptori minabantur, sed amici operam interponen tes, patri suadere visi sunt matrimonium Nympham inter et Evaristum, cum nil aptius praedicarent ad ulciscendam iniuriam familiae illatam inveniri .

Cum vero a puella consensus requireretur, acriter quibusvis instantiis restitit, (ipsa ait), declarans se nunquam ad Ecclesiam, vel ad civilem magistratum perrecturam esse ad invisum illud matrimonium contrahendum.

Exinde parentes, si fides adiungenda est depositionibus ab actrice et testibus dictis in iudicio Panormi agitato, nomine sponsorum, sed inscia Nympha, a S. Sede dispensationem ab impedimento dirimente consanguinitatis, sed tacito in petitione raptu mulieris, petierunt ; quae cum Ordinario panormitano "pro executione commissa esset, novae preces Beatissimo Patri, quo sospite laetamur, porrectae fuerunt, ut dictae dispensationis executio Emo Cardinali Urbis Vicario demandaretur ; quod pariter benigne concessum est.

Hisce obtentis, Nymphae pater reclusorium adiit, ac filiae procurationis actum domino Bersani Cagiati eiusque uxori dandae, ut eius vices gererent pro matrimonio contrahendo, ostendit ab ea obsignandum, falso dicens de rebus familiae agi. Nympha signum apposuit, vi cuius matrimonium celebratum fuit Romae die 16 Octobris 1864 in Ecclesia S. Mariae in Via.

Quidquid sit, Nympha marito se iunxit et per octo circiter annos sponsi, aliqua cum interruptione, simul habitaverunt, huc illuc peragrantes, usquedum Evaristus obrutus aere alieno et in iudicio postulatus, ad poenam vitandam ad exteras regiones emigravit, et alteram feminam civiliter duxit, a quo et prolem suscepit, et a quamplurimis annis nihil de eo sciri potuit.

Nympha autem, mortuo patre, anno 1881 die vero 25 mensis Aprilis, Archiepiscopum Panormitanum adiit, ut per iudicium, a canonica lege praescriptum, sui matrimonii nullitas ob impedimentum raptus et deficientiam liberi consensus declararetur.

Archiepiscopalis Curia mulieris preces excepit, cumque ubi versaretur vir omnino lateret, prae primis curavit in ius vocationem illi per publicum proclama significare, at hic nec indicta die, nec deinceps unquam ad vadimonium venit.

Curia Panormitana itaque, Iunio mense 1881, iudicialem inquisitionem incepit. Actricem in primis excussit, quae iureiurando interposito, coram iudice delegato, matrimonii defensore ac actuario enarravit quae superius exposita sunt. Haec deinde sex testes de more proposuit. Postea instante defensore matrimonii, testis ex latere viri auditus fuit ; mater vero ac Evaristi soror, etsi citatae comparere noluerunt, et contumaces se exhibuerunt. Demum die 8 Iulii 1882 sententia pro matrimonii validitate dicta est.

Actrix appellationem ad S. C. C. interposuit, confidens tribus ex capitibus infirmandam sententiam esse. I° Quia dispensatio Apostolica super impedimentum consanguineitatis

in primo et secundo gradu— nulla erat : petitio enim nullam de raptu mentionem continebat, quod necessarium erat; de concordi fuga loquebatur, quod falsum erat. 2° Quia nullum consensum praebuit ad matrimonium contrahendum cum avúnculo suo per procuratorem. . . 3° Quia Evaristus moraliter certum est quod occubuerit, ut eruitur tum ex infelici exitu omnium hucusque inceptarum inquisitionum, tum ex ipsius Evaristi intentione, pluries manifestata, seipsum occidendi.

Tunc Archiepiscopo scriptum fuit, *ut per promotorem fiscalem citari curaret virum ope insertionis citationis in duobus catholicis ephemeridibus, quae latius per orbem diffunduntur*. Quod factum est per ephemerides « L' Osservatore Romano, T Univers, la Sicilia Cattolica, e le Letture Domenicali » ; ast, uti prima in ius vocatio, etiam haec in irritum cessit.

Interea mulier instabat, ut acta processus absolverentur ; videtur enim et ipsa cum quodam Palmieri unione civili alligari, hinc de consilio Defensoris Vinculi a S. C. C. res tota ad S. O. transmissa fuit; sed Advocatus fiscalis eiusdem S. O. rescripsit: deesse extrema, quibus Tribunal innixum inquisitiones peragit quoad obitum alicuius partis, hinc actus processus iterum remissi fuerunt ad S. C. C.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Raptus, ait hic, ut omnes canonistae docent, est violenta abductio mulieris de loco tuto ad alium locum, ubi ipsa est sub potestate raptoris, matrimonii ineundi causa. Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6.* huiusmodi raptus inter impedimenta dirimentia matrimonium recensuit decernens : « Inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem, habeat ».

Rapi non dicitur si mutuus consensus praeierit, sed fuga a duobus amantibus capta, mutua conventione. In casu, Nympha non fuit rapta, sed fugit cum Evaristo. In processu de huiusmodi raptu nullum testimonium habetur de visu, sed solummodo de auditu adsunt tres testes, quibus totus processus constat. Iuxta depositiones tam Nymphae, quam suae matris, raptus ante meridiem fuit perpetratus, et sola domestica familiae audivit raptam clamantem ; et cum a matre raptae mandatam habuerit accurrendi, non vidit amplius puellam. Possibile? Mater non audivit filiam, etiamsi domestica audivisset eam? Possibile? Ante meridiem clamanti puellae non accurrebat populus? Possibile? Mater quae aegrotabat, et non poterat egredi de domo sua ad alloquendum cum raptore, postea vix accipit raptum filiae suae surgens de lecto ubi iacebat (ut ipsa mater deposuit), vestibus suis induta, et scindens suam comam e fenestra respicit, clamat, oculisque inquirit quo fugit filia sua? Sunt huiusmodi quaestiones non tam solvi faciles, quae tamen ad suspicionem inducunt. Utrum pro falso habendae sint depositiones tam matris, quam filiae? Responderem affirmative. Authentica attestatio habetur in litteris Episcopi per cancellarium datis die 4 Octobris 1864 : quibus edicitur, Nympham raptam non fuisse ; sed communi consensu fugam arripuisse iuvenes consanguineos. Falsum igitur est fuisse Nympham ab avúnculo raptam ; sed clausam fuisse in recessu puellarum a matre, ut facilius matrimonium celebraretur post consummationem incestus, ut opinor.

Verum etiamsi fuisset consummatus raptus, non tamen impedimentum dirimens matrimonium censendus erat. Nam ut docent Sánchez *Lib. 7. I). 13. n. 4.,* Concina *p. 339 p. 2.**J,*** Salmaticenses *cap. 12 n. 131* aliique, non est impedimentum dirimens matrimonium raptus, nisi fiat causa matrimonii. In casu autem non agebatur de matrimonio ineundo, sed ut deponunt mater, filia et testes, ad ultionem capiendam contra puellae patrem.

Illi quatuor testes, unde processus est confectus nullam

mentionem faciunt de matrimonio ineundo inter Evaristum et Nympham, excepto Iosepho Chianchiano, qui suspicionem suam manifestavit nesciens tamen utrum fundamento quamvis levissimo inniteretur. Erat simplex suspicio deducta forsitan ex nimia familiaritate Evaristi cum Nympha; huiusmodi familiari tas facile inclinando ad libidinem corda eorum, facilius ad fugam eos determinavit capiendam. Hinc potius deducendum opinor quod non ad ineundum matrimonium familiaritas Evaristi cum Nympha videbatur inclinata, sed ad libidinem. Raptus, qui libidinis causa peragitur, nequaquam impedimentum dirimens matrimonium constituit. Considerata igitur quaestione e quocumque aspectu, censeo non praesentari criterio impedimentum raptus, iuxta mentem Concilii Tridentini. Denique ipsa Nympha nullam speciem coactionis ad extorquendam copulam assignat ab Evaristo adhibitam, nec mater testata est audivisse a filia, Evaristum coacte copulam postulasse. Probabilissimum igitur videtur fugam fuisse arreptam mutuo consensu causa libidinis.

Non dolose, non ignoranter Nympha, nec coacter matrimonium inivit cum Evaristo.

Dolus probari debet. Non sufficit illud asseri. Non adsunt testes, nec documentum aliquod extat in processu ad probationem doli in themate. Posset tantum deduci ex circumstantiis, scilicet ex asserta repugnantia mulieris, et ex parentum studio propter dedecus ortum a fuga et defloratione eiusdem mulieris Nymphae. Et quidem mulier asserit, patrem suum dolum patrasse quando ei porrexit subscribendam procuratoriam scripturam, simulans continere negotia familiae. Possibile ! Non intelligebat Nympha se esse adhuc sub potestate patris, nec sibi licere sub poena nullitatis scripturam quamcumque obsignare. Sed priusquam de mendacio arguam petulantem mulierem, aliqua consideranda censeo. Nympha erat iam defiorata et per sex menses nemo ipsam ad matrimonium ineundum invitavit. E contra Nympha odio habe-

bat puellarum recessum ubi degebat. Recognoscebat suam pessimam conditionem, et moralem impossibilitatem cum alio viro nubendi. Si omnino stulta non erat, concludendum est consilio patris sui adhaesisse ut matrimonium contraheret cum Evaristo. Verum cui bonum erat ista deceptio? Non patri Nymphae recurrentis, quia nil utilitatis poterat recipere ab homine, cui interdixit ingressum domus suae, et cui erat maxime invisus. Non Evaristo bonum veniebat quia magnam dotem a Nympha recepturus non erat, et nullam passurus poenam pro crimine deflorationis patrato. Bonum potius pro ipsa muliere necessario censendum. Suadere ergo non potest, ipsam respuisse virum cum quo copulam habuit voluntariam, quae solet semper vestigium concupiscentiae in muliere relinquere, et inclinationem vehementem erga virum cum quo copulata fuit. Nec recurrendum testimonio mulieris cum qua Nympha con vivebat in puellarum recessu, quia testis, quae ab ipsa astutissima Nympha acceperat enarravit. Nam Nympha quae iuravit non perpetrasse incestum ad facilius obtinendam dispensationem, egit poenitentiam impositam pro dispensatione ad matrimonium. Verum ad mendacium arguendum stat authenticum documentum. Falsum enim omnino est Iosephum suae filiae simulatami porrexisse scripturam, sed ipse notarius coram Nympha et testibus actum procuratorium legit, et Nympha cum testibus scripturam obsignavit.

Ubi igitur deceptio?" Ex dictis patet etiam non ignoranter Nympham matrimonium contraxisse. Poterat forsitan ignorare tempus celebrationis matrimonii ? Sed simplex huiusmodi ignorantia non irritat matrimonium. Verum potest obiici : Nympha credebat matrimonium contrahendum esse coram civili auctoritate et coram proprio parocho, et quoad sacramentum coram parocho celebrandum rectissime credebat, nescivit potuisse celebrari obtenta dispensatione S. Sedis vel delegatione Ordinarii, vel proprii parochi, in alio loco. Tunc, ut ipsa deposuit, alterutri auctoritati significaret repugnantiam suam, quando tempus huiusmodi celebrationis advenisset. Sed huiusmodi ignorantiam coram Ordinario Panormitano dum

processus conficiebatur non poterat affectare. Edocta enim fuit a lectione actus procuratorii quod matrimonium fieret per procuratores in Urbe. Nympha ergo didicebat posse matrimonium obtenta permissione S. Sedis alibi celebrari, intelligebat matrimonium celebrandum fore Romae, liberum assensum dabat procuratrici suae ut vices suas gereret in contrahendo matrimonio, et assensus proinde suus esset expressus per verba, quae nomine et vice sua pronuntiaret procuratrix sua.

Non fuit denique coacta ad celebrandum matrimonium Nympha. In sua depositione non adducit aliquam vim ei illatam vel metus speciem ei incussam. Opinabatur fore perpetuo permansuram in recessu puellarum. Non erat huiusmodi recessus profecto careet, nec ibi mansura erat ultra annum, quo a patria potestate esset eximenda. Sed in huiusmodi animi sui conditione poterat considerari in momento electionis Nympha, sicut omnis homo constitutus est in libertate electionis quando ad legem Domini adimplendam invitatur. Eligere debet vel gaudium aeternum vel aeternam poenam consummando actionem bonam, vel male operando. Forsan a timore poenae libertas tunc destruitur, vel eius arbitrium minuitur? Nequaquam. Minas a patre suo Nympha non accepit, nec exprobrationes, nec verbera passa est. Unde ergo coactio? Tota igitur querela aliud argumentum non habet nisi repugnantiam suam affectatam et manifestatam post tot annos, cuius rationem sufficientem non revelavit. Quare renuebat virum, quocum conversata est per tot annos, a quo deflorata fuerat? Haec omnia manent in arcano reposita.

Quaerit autem Consultor (Urara suspicio aliqua de retrodato consensu ante executionem procuratoriae scripturae admitti queat.

Ecclesia, ait ille, de actibus externis iudicat non de internis. Verum profecto est nullum matrimonium ubi deest consensus. Sed Nympha per procuratorem assensum dedit.

Sed si vir, quod dicitur de viro a pari dicendum de muliere, flete contrahit, valetne contractus matrimonii? Respondent canonistae, theologique de Lugo, *De liest. D. 12, n. 78,* Croix *Lib. 6, part. 3, n. 258,* Sánchez *Lib.* i, *Dub. 11,* teneri ducere mulierem in uxorem. In eligendo procuratricem Nympha et in delegando eam, ut suas vices gerat in contrahendo matrimonium non fíete assensum praebuit, alioquin in suo recursu ad Curiam panormitanam fictionem suam adaperuerit, ut esset argumentum hoc validum, sed non illud praebuit; verum etiamsi ficte debebat tamen ducere in maritum Bvaristum, quia non praesumitur huiusmodi fictio, praesertim quia nec vi, nec metu coacta fuit ad matrimonium contrahendum cum Evaristo ; sed neque post subscriptionem et antequam contractum fuerit matrimonium mutuo consensu per procuratores dato. Cum enim retractatio fuerit interna, quando non manifestatur verbis, vel confessione ante iudicem, vel revelatione ante testes, vel facta quando sponsalia cum altero individuo celebrantur, nulla suspicio oriri potest re tractationis, quia actus humanus secundum suam naturam et veritatem praesumitur factus : ac proinde praesumitur consensus eiusque perseverantia. In casu Nympha numquam sui retractationem consensus in quaestionem posuit, suspicio igitur quonam fundamento subsistit? Verum nihil fit sine aliqua ratione sufficienti. Quaenam fuit ratio determinans Nympham procuratoriam scripturam suo nomine obsignare? Non fuit metus, non fuit vis; sed fuit inclinatio eius expressa a continua familiaritate, qua usa est per annos, de qua amicus familiae supra relatus animadvertit fratrem Nymphae. Omnia antecedentia iustificationes fuerunt, omnia quae in contentionem producta sunt, videntur esse consequentia acta indignationis muliebris contra virum qui in Anglia ad aliam feminam se convertit a qua filios habuit, quos a Nympha sterili non recepit. Nympha igitur non solum numquam in dubio posuit assensum datum, sed etiam perseveravit in assensu. Ipsa enim ratio, qua assensum praebuit perseverabat ; ac proinde de huiusmodi retractatione ne

quidem ullum verbum protulit. Nesciebat tempus, in quo contrahendum erat matrimonium, assensus hinc habitualiter perseverabat. Verum si Nympha repugnantiam habebat contrahendi cum Evaristo, et a matre eam visitante nimiis obsecrationibus erat coacta ; si respuebat Evaristum qui a suo patre ob infamiam delendam proponebatur, poterat facillime cor suum aperire sacerdotibus, qui recessum illum frequentabant, qui causam suam patrocinarent ; saltem protestationes suas accepissent et tempore opportuno eas revelarent ecclesiasticae auctoritati.

Nec valet adducere fictionem relate ad Evaristum quippe qui, ut ipsa Nympha et testes in parvissimo numero apparentes in processu deposuerunt, sub pressura Iosephi patris Nymphae minantis ei mortem, et sub tot amicorum familiae Spina redarguitiones consensum dedit. Nam ipse nunquam quaestus est de pressuris imo uxorem in sua domo semper tenuit, nec eam expulit a suo tecto. Ipse prius a sua uxore fuit derelictus, et postea contumax fuit dum de nullitate matrimonii ageretur. Si Nympha eum deserit et in paterna domo hospitium recepit, ferque ad eum rediit, et maritus eam accepit. Si flete subscriptionem procuratoriae scripturae dedisset ; quando Nympha eum relinquebat, tunc poterat eum in iudicio convenire. Sed hoc nunquam egit. Quando denique ipsa Nympha non solum dereliquit Evaristum, sed etiam contra eum iudicium instituit ; non contumacem se fecisset Evaristus. Hinc nequit suspicari aliquis de vero consensu procuratori dato, nec de aliqua retractatione consensus. Si igitur perseveravit verus consensus utriusque, oportet concludatur non extitisse alterum dirimens matrimonium a reclamante Nympha Spina in sua appellatione adductum, ut definiatur matrimonium ab ea contractum cum Evaristo Branciforte nullum et irritum. Nos e contra opinamur fuisse validum. Sed aliud argumentum superest ad confirmationem voti nostri et ad arguendam Nympham mendacio, quod in sequenti capite referemus.

Nam cohabitatio et maritalis unio Nymphae cum Evaristo quamcumque rie consensu difficultatem tollunt.

Si per hypothesi ,n admittamus raptum fuisse verum, et quamvis Nympha fuerit in loco tuto et libero, non dedisse tamen consensum in matrimonio ineundo cum Evaristo ; nequidem irritandum censeo matrimonium in themate. Hic oportet doctrinam praemittere canonistarum, quam profitentur Bonacina *Quaest. II, Punct. N, Disput. VI,* Navarra *cap. 22, n. 51,* Sánchez *L. 2, dec. 32, n. 9,* Henriquez *L. 14, cap. 12, n. 2,* aliique plurimi. Si defectus consensus interni adfuit in contractu matrimonii ex parte unius sponsi, vel ante celebrationem matrimonii mentaliter retractatus fuit consensus, qui in actu celebrationis matrimonii a procuratore fuit expressus vice et nomine contrahentis, sufficit ut iterum consensus detur etiam mentaliter. Si vero invalidum fuit matrimonium ex defectu consensus utriusque celebrantis matrimonium propter metum aut vim, tunc signo aliquo externo manifestari debet mutuus consensus. Sed quodnam erit huiusmodi signum? Iuxta plures canonistas Sánchez *Lib. 2, disp. 37, n. 9,* Rodríguez *1 p. cap. 22, n. 2,* aliosque, sufficit copula habita affectu maritali. Nam nemo cognoscit coniugum de internis alterius. Opinatur quisque eorum alterum assensum dedisse ac proinde proprium coniugem esse, et cum proprio coniuge copulari. Hoc sufficit ut suppleatur consensu novo saltem indirecte. Per octo annos commorati sunt simul in eodem tecto Nympha et Evaristus et innumerabilibus vicibus matrimonium consummarunt. Possibile ! Non fuit aliqua nox, in qua maritaliter non copularunt? Sed pro suo viro Nympha habebat Evaristum eumque amabat, et Evaristus pro sua legitima coniuge habebat Nympham quam amore prosequebatur. Hoc testatur Illnius Rmus P. Salvator Lanza Trabia testis receptus, qui tacto pectore, more sacerdotali, iuramentum emisit. En status cordium Nymphae et Evaristi. Credendum profecto sacerdoti ex officio interrogato potius quam ipsi appellanti, eiusque paucissimis testibus.

Si ergo ad invicem amore coniugali prosequebantur dicendum verum matrimonium contraxisse, aut saltem, copulis maritali affectu habitis, consensum tacito rénovasse, si, quod non accidisse censeo, matrimonio vel Nympha, vel Evaristus, vel ambo consensum non praestiterint.

Opinor igitur matrimouium esse undecumque validum, et confirmandam esse sententiam Ordinarii Panormitano « Tolerabilius est enim *Beer. L. 2. tit. 20, de test. cap. 47,* aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare.

VOTUM CANONISTAE. Quoad raptum, ait Consultor, contentio vix stabiliri potest, attentis curiae panormitanae processu, et actis pro dispensatione ab impedimentis obtinenda. Si enim ita solliciti fuerint parentes oratricis pro matrimonio, ut iniusta et iniqua non exhorruere in obtinendo scopo, vix credi potest, ipsos matrimonium tam exoptatum nullitati certae exponere, tacendo circumstantiam raptus, si raptus non fuga simplex revera extiterit. Ipsa oratrix in suo libello negat raptum, cum id fini suo videatur inservire, nempe in processu panormitano inficiando ; dicit enim parumper, sin nullimode res agitata est circa *consensum* quod fieri debuisset, sed tantum circa impedimentum *raptus, quod revera non extabat;* dum e contra *raptum* allegat, cum contendit dispensationem a S. Sede obtentam fuisse invalidam, quia obreptitiam et subreptitiam.

Verum quae de *raptu* in casu proferuntur, aut proferri possunt non parvam ingerunt difficultatem ob diversas canonistarum in hac re opiniones, ita ut examen serium mereantur. Et enarratis breviter factis, quae raptum vel fugam in casu comitata fuerunt, Consultor ad praedictum transit examen.

Difficultas cui iam innui, oritur ex quaestione inter canonistas : « Utrum raptus, volente puella, sed invitis parentibus, patratus, matrimonium dirimat ? » Aliqui DD. distinguunt inter parentes *inscios* et *invitos,* illos inscios sed non invitos existimantes, quando fugae praecessere tractatus de

matrimonio, et quaesito dant responsionem affirmativam, quotiescumque huiusmodi tractatus abfuere.

Contrariam sententiam amplectitur Sánchez, L. VII, disp. 13, n. 13 « quia decretum Tridentini *libertati* matrimonii favere intendit, cavereque ne femina renitens cogatur illud inire. At ad eam libertatem nil confert parentum voluntas, sed sola feminae, quae in hoc eventu reperitur abductioni connivens ». Verum non qualiscumque consensus puellae sufficit, sed unice consensus in raptum ad matrimonium, sive intuitu matrimonii, factum. Et hoc modo conciliantur decisiones nonnullae Sac. Cong. vi quarum, doctores aliqui in sententiam contrariam inducti sunt, ut illa v. g. 24 Ianuarii 1668, Reuben. 3 Martii 1741; 01-mucen. Nullit, matr. 29 Iul. 26 Aug. 1769, 14 Martii 1772; Herbipol. Matrimonii, 24 April. 1858 et 18 Iunii et 27 Augusti 1859 ; Parisien. 25 Iunii 27 Aug. 1864. Explicari haec omnia possunt per qualitatem consensus a femina praestiti, eiusque probationis necessitatem. Etenim ut censeatur femina non rapi violenter sed consentiens, requiritur eius consensus et in raptum et in matrimonium. Qui consensus plene probari debet, et quamdiu non probatur, femina censetur rapta absque huiusmodi consensu. Sic, fatentibus omnibus, non adest impedimentum, quando sponsalia praecessere raptum, cui consenserat puella. Tunc enim adest probatio consensus intentu matrimonii in raptum praestiti. In casibus omnibus citatis movebatur, inter alia, quaestio de consensu mulieris. In Olmucens. secretarius haec notat : « Ceterum dissimulari non debet, quod ad excludendum raptum non sufficit, ut puella in illum consentiat, nisi simul probetur quod consenserit in matrimonium cum raptore. Fieri enim potest, ut puella consentiat in raptum et in matrimonium dissentiat ; neque enim ex consensu in raptum inferri necessario debet consensus in matrimonium. In Herbipolen. probata fuit violenta abductio, et constabat, mulierem non fuisse in loco tuto et libero quando celebratum fuit matrimonium, neque dum per quinquennium cohabitavit. Idem fere

accidit in Parisien, nisi quod dolo vocata fuerit puella et in potestate viri toto tempore usque ad momentum quo aufugit, post quod ad virum non rediit. Ita ut certum videtur non dissensum parentum vel tutoris, sed consensum mulieris esse unice in his quaestionibus considerandum. Huiusmodi autem consensus probatur absque dubio per sponsalia praecedentia, et quidem plene. Sed quod ab aliquibus auctoribus asseritur, scilicet, non probatis sponsalibus, in foro externo semper censetur adesse raptus violentiae, vid. Feyi. De imped. p. 115, edit. I, hoc exorbitans mihi videtur, quia non necessario contentum intra finem legislatoris, qui alius et maior non est quam *libertatem* in matrimoniis tutelare. Sane consensus in matrimonium probari interdum potest absque sponsalibus, nisi sponsalia vocemus colloquia inter partes habita, in quibus, ut solet, matrimonium innuitur aut praesupponitur faciendum. Et posita fuga voluntaria, si sint nationes ubi laxitas sensus moralis admitteret hypothesim libidinis vel liberi amoris ex parte mulieris, sunt aliae quarum moralis sensus et consuetudines eandem penitus excluderent, in quibus proinde consensus in fugam praesumptionem violentam includeret consensus in matrimonium.

Cum in casu praesenti mulier, longe ante celebrationem matrimonii e potestate viri erepta, in loco constituta fuerit libero, quod ad virum attinet, cessasse impedimentum, in omni casu, procul dubio dicendum est, sed cum aliud existeret impedimentum inter partes, super quo obtenta fuit dispensatio, *tacito raptu,* sequitur, summi momenti esse quaestionem utrum revera rapta fuerit Nympha vel potius e domo paterna simul cum Evaristo effugerit ; etenim si prius, matrimonium pronuntiandum erit invalidum propter impedimentum consanguinitatis non dispensatum, si posterius, ex hac parte saltem stabit.

Depositio iuridica actricis dramaticam plane historiam exhibet. Innocens et ab omni affectione erga avunculum prorsus abhorrens, pacificam in domo 'parentum vitam age-

bat. Domum frequentabat Evaristus, matris frater, iuvenis aspectu pulcherrimus 23 annorum, donec exortis inter ipsum, et patrem dissidiis, prohibetur amplius domum ingredi. Ex quo atrox consilium, sibi in patre ulciscendi per abductionem et deflorationem neptis, quod quidem consilium opere complevit. Praeter Nympham ipsam, testes producuntur mater eius et Paulus Selvaggio, qui audivit Nympham exclamantem *mamma, mamma.* Ceteri tres testes rem audierunt a matre, et quidem ipso eodem die, cum casu aut vocati domum Spinae adiissent. Verum, curia panormi tana suspicari videtur narrationem totam hanc ; nec iniuria, nam praeterquamquod raptus hic violentus puellae invitae effectus fuerit circa meridiem in via publica civitatis magnae, quin ad id. ad verteret vel unus ex centum qui, praesertim in civitatibus meridionalibus, per vias perpetuo vagantur, Defensor Vinculi testem omni exceptione maiorem profert qui rem diversimode omnino narrat. Testis hic est Rmus P. Lanza Trabia, qui iuratus multa re tulit quae valde differunt ab alligatis a filia et matre, et indicant potius *fugam ex condicto* quam raptum. Alia addit testis, quae vim quoque habent : dixit enim quod mulier et vir post plures annos a matrimonio, dum subsidium propriis necessitatibus quaererent, loquuti sunt de affectu et amore, quo ad invicem afficiebantur adhuc.

Nec desunt alia motiva suspicionis malae fidei ex parte actricis. Imprimis, in utroque libello altum tenet silentium super unione civili illicita, quam contraxerat cum D. Palmieri, quae unio, quantum licet sapere, hucusque perdurat. Fortuito, veluti ex testimonio certi cuiusdam Trislo, testis productus in suppletorio *de morte viri,* hoc factum apparet. Praeterea mater Evaristi Branciforte, bis a Defensore Vinculi citata et expectata, comparere noluit. Quare ? Ex actis apparet, illam semper filium dilexisse, nonne igitur cogitandum ipsam testimonium proferre libenter velle, si ea quae dicere potuit filio, iam illicito vinculo illaqueato, inservire potuissent ? Alium motivum suspicionis est expectatio mor-

iis patris Nymphae. Impossibile fuit, ipso vivente, querelam contra matrimonium movere, ait oratrix. Quare, iterum rogo? Iam a marito facinoroso derelicta est filia, forsitan, etiam altero, civiliter unita ; habemus datam mortis patris, non vero unionis cum Palmieri. Nonne maximi utriusque interesset, si fieri id potuerit, contrahere coram ecclesia? Nonne agebatur hic de honore familiae Spinae, cui consulendo, pater, ut asseritur, primum matrimonium, per fas et nefas, procuravi! ? Nonne potius dicendum expectasse mortem patris, quia ipse paratus praesumebatur respuere historiunculam concoctam ab ipsa de raptu et consensu, dolo erepto *i*

Si admittetur *fuga,* circumstantiae omnes antecedentes, concomitantes et subsequentes optime cohaerent; in hypothesi raptus contradictoriae sunt. Sic v. g. reclusio in *ritiro,* repetita confessio sacramentalis tum Evaristi, tum Nymphae, decretum separationis, poenitentia imposita utrique, petitio et dispensatio impedimenti consanguinitatis, tacito omnino raptu praetenso, necnon et cohabitatio pacifica et affectuosa per plures annos post matrimonium ; quid indicant? Delictum sane mutuum. Non iniuriam uni ab altero illatam. Amorem mutuum in matrimonium perseverantem.

In hypothesi raptus, non tantum raptor et parentes, sed etiam confessor et auctoritates ecclesiasticae panormitanae saevissent in miser ulam hanc puellam, non ream alicuius delicti, sed victimam delicti alterius. Iam vero quis hoc diceret unquam?

In actis leguntur copiae authenticae plurium instrumentorum publicorum, a coniugibus signatorum, quae fugam ostendunt. Contendit oratrix, ut videbimus, subscriptionem nominis sui ad instrumentum procurationis fuisse dolo extortam a patre; quaeri ab ipsa potest : Num istae subscriptiones, eodem fine factae, cum iam immineret matrimonium sint etiam dolosae?

Ex his omnibus unica sequi videtur conclusio, scilicet impedimentum raptus nullatenus probari in casu, immo non

esse etiam probabile, et proinde, pro hac parte, non esse a sententia curiae panormitanae recedendum, quae affirmat validitatem matrimonii inter partes contracti.

Nec inverosimile videtur Nympham vel eius patronum in casu, hanc suspicatum fuisse conclusionem, nam ex alio capite matrimonium impugnat, nempe ex defectu consensus. Affirmat etenim se verum consensum numquam dedisse, fuisse a patre deceptam, et instrumentum aliquod nutu eius subscripsisse, quia putabat illud ad rem aliquam familiarem referri. Reni tentiam eius testantur mater et Catharina Mazzola, quae Nympham in reclusorio cognoscebat et insuper Hieronymus Bellavista, qui patrem comitabatur die, qua instrumentum procurationis subsignatum fuerit, ait, ab ipsa.

Missa facere possumus colloquia habita cum Catharina, quia nullatenus probatur, Nympham esse mendacii incapacem, et eius conditio talis fuit, inclusa in specie quadam ergastulo ut naturaliter induceret puellam, historiam concoquere, qua famae propriae et characteri consuleret.

Missas praeterea facimus suasiones ex parte parentum et minas, si illae vel ambae fuerint. Circumstantiae illis favent, et admitti possunt, quin debeamus inferre metum et violentiam, qui ceteroquin non praetenditur, et contradicitur a subsequentibus matrimonium., ex testimonio D. Trabia. Sed vera difficultas oritur ex ipso instrumento procurationis. Ex hoc enim videtur sequi subscriptionem fuisse ab omnibus peractam in parlatorio Candelorae manumque apposuisse Nympham in praesentia testimoniorum et parentum, prout rite fieri debuerit.

Sed ipsa rem diversimode omnino narrat. Non coram testibus hic subscriptis, sed a patre solo inducta, documentum signavit, circa sensum et significationem decepta. Praesens fuit testis Bellavista, qui tamen inter testes subscriptos non comparet, cui pater dum domo redirent, « *velit nolitqyie, res facta est nunc* ». EJt insuper nunc prae oculis habemus declarationem D. Secretarii Vicariatus romani, quae omnimodam fidem meretur, qui de instrumento procurationis

in archivio conservato loquens dicit : nomina subsignatorum scripta fuisse variis et diversis atramentis.

Fateor me nodum huius difficultatis non posse solvere; non quod hypotheses non sint excogitabiles, quae rem aliquomodo explicarent ; duae etenim atramenti species, non raro in eodem scriptorio reperiuntur ; sed hypotheses huiusmodi intellectum non contentant, praesertim in rebus gravioris momenti.

Dicendum potius videtur, narrationem actricis pro hac parte confirmari ; utrum vero praevalere id debeat contra sententiam curiae panormitanae iudicio sapientissimo EE. PP. relinquitur. Mihi videtur sententiam curiae adhuc sustinendam non obstante difficultate ex subscriptione orta: potissimum quia etiamsi subreptitio obtenta, subscriptio non plene probat nullum fuisse datum mandatum procurationis. Ponamus etenim instrumentum hoc legale concoctum a patre, dum filia adhuc connubio huic adversaretur, si revera adversa sit unquam; quod prohibet quominus, postea, argumentis et suasionibus parentum inducta consensum in matrimonium et proinde in procurationem daret? Cap. ult. De proc. in 6 habetur : << Sane si procurator, antequam contraxerit a Domino fuerit revocatus, contractum postea matrimonium ab eodem, licet tam ipse, quam ea cum qua contraxerit revocationem huiusmodi penitus ignoraverint, nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit » ; eadem doctrina habetur in Clement. XI De renuntiatione, ex qua videtur sequi, quod cum mutatio consilii in mandante invalidet mandatum rite factum procuratori, id quoque accidere debeat in contrario, ita ut mandatum defectivum ab initio per subsequentem consensum fiat verum et efficax.

Consideratis his omnibus, patet petitionem oratricis non satis ex ullo capite sustineri. Allegata in ipso, ubi contradictoria non sunt, *plenissime* nullatenus probantur. Unicus qui producitur testis *omni exceptione maior* (Trabia) est contrarius in rebus summi momenti; praeterquamquod va-

dilatio quae in confessione actricis cernitur vehementem ingerit suspicionem *malae fidei.* Quae asseruntur ab ipsa plena indigerent confirmatione, et haec plena confirmatio non habetur.

Quapropter, conclusit consultor, censeo confirmandam esse sententiam curiae Panormitanae, et quaesito respondendum : *Non constare de nullitate.*

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Matrimonium a Nympha Spina die 16 Octobris 1864 cum Evaristo Branciforti contractum adeo firmum est, ut desperatissimi, quibus Nympha illud infirmare a compluribus annis pervicaciter pertentat, conatus, omnino indignationem concitent.

Enimvero ecquis aequo animo eam audire potest, dum dispensationem ab Apostolica Sede super primo et secundo consanguinitatis in linea collaterali gradu elargitam, irritam ob raptum proclamat ? cum liqueat Nympham non solum raptam haud esse INTUITU MATRIMONII, quae conditio necessario requiritur ad irritandas huiusmodi dispensationes ; sed compertissimum praeterea sit raptum omnino exulare, et Nympham in fugae incestusque crimine non magis quam Evaristum esse culpa expertem.

Speciminis ergo : die 1 Octobris 1864 Nympha non minus quam Evaristus, iurata, suis ipsa manibus subscripsit non habuisse carnale commercium ad faciliorem reddendam dispensationem ad matrimonium ineundum. Aliquibus vero post diebus eadem Nympha una cum Evaristo subscripsit supplicem libellum, in quo continetur petitio gravis poenitentiae ob incestum admissum.

Neque meliori omine Nympha obiicit se mandatum ad celebrandum matrimonium subsignasse, fraude doloque ad id adductam : quasi pater sibi suaserit non de matrimonio, sed de negotio agi domesticae rei : et ut dolum intercessisse ostendat, differentiam atramenti a mandatum subscribentibus adhibiti in medium affert. Nemo enim sanus facile credit, tabellionem publicum adeo fuisse officii sui suaeque sortis immemorem, ut in gratiam patris Nymphae unam rem seri-

pserit et longe aliam legerit in conspectu interesse habentis ac septem testium. Neque negotium facessit differentia atramenti. Plures namque, saltem duae, ibi erant calamariae thecae, quia Nympha intra claustrum degebat. Idem autem calamus si primum in una, in alia dein theca intingatur, non ex improviso, sed gradatim primum atramentum dimittit. Ex quo consequitur asserta in subscriptionibus differentia coloris.

Sed audiendus omnino est Salvator Lanza Trabia, sacerdos religione et pietate conspicuus, qui iuratus testatur quod variis transactis annis a matrimonio inito, Nympha et Evaristus loquebantur de mutuo affectu quo, adhuc quisque aliam partem prosequebatur.

Quo ex testimonio nedum meridianam in lucem erumpit FABELLA coacti matrimonii, verum etiam matrimonii ratihabitio, si per hypothesim omnium absurdissimam in actu celebrationis verus et liber consensus ex alterutra parte desiderans esset. Res enim est de matrimonio, cuius valor publice et iuridice scatet. Ideoque, si quod irrepserit vitium, per praestationem consensus quantumvis occultam, sublatum est.

Postremo in actis prostat eloquentissimum factum Ioannae Branciforti, matris Evaristi, et Lambertae Branciforti, Evaristi sororis, quae ad iuris amussim in iudicium vocatae, vadimonio mordicus restiterunt. Si quidquam eorum, quae adversus matrimonium Nympha occentat, in rerum natura existeret, nemo esset crudelior mulieribus illis, quae, dum possunt temporali et aeternae Evaristi, cum alia femina civili vinculo devincti, saluti prospicere, testimonium dicere recusant.

Iam nimia prorsus in causa evidentissima. Quapropter ad inscriptam rogationis formulam « *An sententia curiae panormitanae diei 8 hdii 1882 sit confirmanda vel infirmanda in casu* » rescribi submisse postulo : « SENTENTIAM ESSE CONFIRMANDAM ET AMPLIUS ».

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Panormitanae diei 8 Iulii 1882 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 1 Septembris 1894, censuit respondere: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. Raptum esse violentam mulieris abductionem de loco tuto ad locum, ubi ponatur in potestate raptoris, matrimonii ineundi causa.

II. Qua de re ex raptu, etiam consummato, impedimentum dirimens non exurgere, si fiat ad explendam libidinem minime vero ad matrimonium ineundum.

III. Rite firmatam fuisse in casu Curiae sententiam, quae validum habuit matrimonium, tum quia raptus non fuit probatus, tum quia si adfuit non ad matrimonium ineundum, sed ad iniuriam patri mulieris inferendam directus fuit.

NOLANA

ANNUAE PRAESTATIONIS

Die 1 Septembris 1894.

Sess. 25, cap. 3 De ref.

COMPENDIUM FACTI. In Dioecesi Nolana mos est ut, die 25 Aprilis, Divi Marci festo, universus clerus obedientiae significationem suo Episcopo praebeat, coram eo sistens in Ecclesia Cathedrali. In Synodis Dioecesis remotiorum et proximorum temporum huiusmodi mos firmatur, permissione per consuetudinem introducta, commutandi hoc onus in *due tari*, respondentes 85 centesimis partibus nostrae pecuniae, sub comminatione censurarum contra legis transgressores. Usque ad annum 1892 clerus *Turris Annuntiatae* hoc pacto suae obligationi satisfecit, at anno insequenti die 25 Aprilis

statuit, obedientiae actum potius praebere per procuratorem. Episcopus rei novitate commotus, timens iuribus episcopalibus ita derogatum iri, monuit clerum, se pro sua conscientia pati non posse, ut vetus consuetudo pessumdaretur et interim nihil esse innovandum, donec, consulta S. O. C. responsum prodiret circa ius constituendi vel minus, procuratorem in praestando obedientiae actu. Quia in Dioecesi Nolana Episcopus et Clerus exemplari ter ambulant cum consensu in domo Dei, unanimi consilio et pacifico proposito res ad S. C. Congregationem detulerunt pro dubii iuridica solutione. Ad melius determinandos terminos quaestionis, ab Episcopo exquisitum fuit de natura huius praestationis , praesertim an Cathedratici referret naturam ; Ordinarius respondit : hac in Dioecesi cathedraticum non rependi ; cuius locum forsan tenere posset parva s. Marci oblatio.

Disceptatio Synoptica

Dum Episcopus omnino se remittit prudentiae et iudicio S. C. C, Clerus Turrae Annuntiatae aequo animo comparatus, ad melius explicandam quaestionem has animadversiones obtulit. Notant hi Sacerdotes, praeterito tempore, semper potiusquam adire Ecclesiam Cathedralem, a suo oppido admodum dissitam, solvisse : « *due tari* ». Modo post annum 1875 ob commodas apertas vias facilis ad civitatem Nolanam est accessus, ita ut si unus vel duo mittantur procuratores, itineris expensae in Sacerdotes viritim divisae, non exaequant « *due tari* ». Hac de causa quod numquam actitatum fuit, nunc in actum deductum est.

Praeterea notant quoad dispositiones synodales, in litera circulari relatas, consuetudinem temperasse earumdem vigorem statuendo alternativam obligationem, adeundi Cathedralem aut solvendi « due tari » et ita etiam emolliisse poenam censurarum. Insuper advertunt in obligatione adeundi Ecclesiam Cathedralem implicite contineri facultatem *per se* aut *per alium* hoc peragendi iuxta iuridicum enatum legis *72* in 6.° *Qui facit per alium perinde est ac si faciat per seipsum;*

quae facultas non intelligitur ablata nisi expresse derogetur. Imo in casu necessaria videtur haec substitutio secus in die solemni Divi Marci in quo processiones haberi debent in Ecclesiis parochialibus, Clerus Turate Annuntiatae huic legi rituali iuris communis satisfacere non valeret. Eo magis quod nunc veluti irrisoria evaderet alternativa, quando quis adeundo impendere debet 5 libellas ; et aliunde domi commorans satisfacit oneri solvendo 85 centesimas partes unius libellae.

Demum aliam partem alternativae obligationis notant Sacerdotes Turrae Annuntiatae, difficultate non vacare, quia huiusmodi praestatio « *di due tari* » repraesentat cathedraticum , quod non beneficiati solvere non tenentur ; quocirca dubium exoritur, an non beneficiati teneatur correspectivum ponere actum obedientiae, adeundi nimirum Ecclesiam Cathedralem, vel solvere « *due tari* ».

Ex officio autem animadversum fuit huiusmodi praestationem esse vestigium iuris cathedratici, uti aperte docet ipsa natura Cathedratici, iuxta Reiffenstuel in *Tit. De Censibus, Exactionibus etc.* num. 10, ubi ad quaestionem: « Quid sit Cathedraticum... » respondet: «Cathedraticum de iure esse duos solidos singulis annis solvendos Episcopo de Ecclesia in signum subiectionis, nec non in recognitionem et honorem Ecclesiae Cathedralis ». Barbosa *De Officio et potestate Episc, allegat. 86 num. 40.* Fagnanus in c. Conquerente *16 De Officio Ordinis* ubi dicitur: *Cathedratici nomine duos solidos venire,* et can. *Placuit can. 10 q. 3* ibi « *Placuit ut nullus Episcoporum* praeter honorem *Cathedrae suae,* id est, duos solidos, aliud aliquid per Ecclesias tollat » etc. Quomodo vero relative pro more regionum attinenda sit haec mensura duorum solidorum erudite explicat BenedictusXIV in Oper. *De Synodo dioec. lib. 6 c. 5.* Quia pluribus in locis solutio Cathedratici fiscalem exactionem redolere coepit, passim, vel factum est, ut in desuetudinem abiret vel alias in significationes reverentiae commutaretur. Praesertim quia instituto pro clericorum ordi natione patrimonio sacro per Concilium Tridentinum, eveniebat

quod clerici hoc patrimonio ordinati, cum beneficiati non essent, non tenerentur ad solvendum Cathedraticum, praestandum suapte natura ex bonis ecclesiasticis. Quocirca: ne clerici in clerum nuper cooptati viderentur soluti a sua obedientia et reverentia significanda in Ecclesiam Cathedralem, obligati fuerunt ad alios obedientiae actus, qui demum opportuniores in universum visi sunt ad obsequium praebendum, quam nummorum solutiones, tunc temporis praecipue seu sub saeculo 15 et 16 quando Ecclesiae divitiis aifluebant. Proinde huc redacta quaestione, nihil videtur obstare quominus universus clerus per procuratorem seu delegatam personam stato die suam obedientiam et subiectionem protestetur Episcopo, uti communiter docent Doctores in Tit. *De Maioritate et Obedientia*, advertentes Praesulibus solemniter et extrinsece obedientiam et obsequium significanda esse; sed quonam modo hoc peragendum sit in singulis casibus a iure communi determinatum non esse.

Quia in huius legis Synodalis transgressores latae sunt censurae, clerus *Turris Annuntiatae* petit etiam an sustineantur huiusmodi poenae, quippe quae graviores videantur. Qua de re advertatur onus Cathedratici solvendi esse de re grave ob significationem ei adnexam; hinc Benedictus XIV in Op. *De Synod, dioec. lib. o c. 4 n. 5* laudat D. Carolum Borromaeum, qui in secunda Synodo legem Cathedratici renovavit, nec non Praesules Concilii Bituricensis iubentes *Tit. 33 can. 7* « Iura Synodalia, catheclratica, episcopalia et quaevis alia integre persolvantur, *sub poena excommunications* ». Verum ipse Bened. XIV in op. cit. *lib. 10 c. 1* pluribus auctoritatibus illustrat gravissima *Trid.* verba in *Sess. 25 c. 3 de Urform.,* iubentia sobrium censurarum usum; en verba: « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat; si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius quam salutem ». Et postea idem sapien-

tissimus Pontifex advertit praesertim censuras latae sententiae, admodum parce inferri deberi ; cum minus graviter percellant censurae ferendae sententiae, quas semper antecedat oportet monitio eiusdem censurae comminatoria. Quo in themate, vestrum est EE. PP. deliberare an in casu onus Cathedratici vel alterius adsimilis praestationis, eam referat gravitatem necessariam ad censuram, saltem latae sententiae decernendam.

Hisce praeiactis, remissum fuit EE. Patribus deliberare quanam responsione dimittenda essent sequentia

Dubia

I. *An omnes et singuli etiam clerici non beneficiati teneantur ad adeundum Ecclesiam Cathedralem, vel solvendam certam praestationem in casu.*

II. *An actus adeundi Cathedralem praestari possit per procuratorem in casu.*

III. *An contra, transgressores sustineantur poenae latae in Synodis, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 1 Septembris 1894 censuit respondere : Ad I. *affirmative;* ad II. *negative;* ad III. *affirmative.*

S. GALLI

POSTULATUM CIRCA ACCEPTATIONEM OXNERUM MISSARUM

Die 1 Septembris 1894.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. In Relatione Ecclesiae S. Galli exhibita S. C. Concilii die 15 Martii 1893 sequens habetur postulatum :

« In pluribus ecclesiis anniversarium numerus tantus est, ut ex his multa, in ecclesia cui assignata sunt, persolvi nequeant. Aliquando uni sacerdoti 350,400 et amplius incumbunt.

« Quam ob causam ve tui pro talibus ecclesiis et beneficiis novas fundationes perpetuas accipere, sed sub certis conditionibus temporales tantum ex. gr. pro 25 annis permisi. Sed executio huius decreti difficultate non caret. Multi enim precibus insistunt, ut sine impedimento nova anniversaria accipere possint, et vetera in aliis ecclesiis persolvenda curare, quod tamen non permisi nisi, forte cum alicui ecclesiae pauperi duplicata fundationis summa oblata fuerit.

« Porro ob importunitatem petentium quaero, utrum circa nova anniversaria standum sit regulae super expositae, an potius nova anniversaria excipi liceat ubi anniversaria fundata numerum convenientem notabiliter excedunt *i*

« Talibus fundationibus consulitur nempe paupertati multarum ecclesiarum, et permulti fideles defunctis cognatis istam pietatem exhibere vehementer desiderant ».

Disceptatio Synoptica

ONERA NOVA EXCIPI NEQUEUNT. Videtur Episcopi quaestio nullum facessere negotium , quippe suam habet solutionem in appositis sapientissimis Decretis Urbani VIII et Innocentii XII *de celebratione missarum* promulgatis per organum S. C. C. Legitur enim in § VIII: « Ad haec S. C. quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, nec non omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum tam saecularium quam regularium superioribus vel aliis ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum : saeculares quidem sine Episcopi vel eius Generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda, alioquin saecularis qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiae interdictus sit eo ipso etc. » § IX « Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint si oneribus antea impositis ita satisfecerint , ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum reci-

piendis, capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa *Eleemosyna pro Missis* vel alia simili sub iisdem poenis, ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur ».
§ X « Episcopus vero seu eius Vicarius aut Generalis vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiae, monasterio aut loco pio incumbentibus ; nec antea assensum huiusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis iam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut reditus qui ecclesiis et locis piis relinquuntur omnino respondeant oneribus, secundum morem cuiusque civitatis vel provinciae : infelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint,.in novissimo die se huius praetermissi muneris rationem esse redituros. » Exinde ex positivo iure ea responsio videtur Episcopo reddenda, nempe ut sedulo curet exscripta decreta servare nullimode permittentia, in certa Ecclesia acceptari onera Missarum quae in eodem congruo tempore adimpletioni, iuxta fidelium voluntatem, demandari non valeant, quacumque transactione in re tam gravi posthabita.

ONERA NOVA EXCIPI POSSUNT. Verum ex adverso nulli est parcendum industriae, ut salvo iure communi et tantae obligationis decore et sanctitate, eae assumantur provisiones, quibus ecclesiarum necessitatibus satisfiat et fidelium piae voluntati. In ea enim incidimus tempora quae, nimis Ecclesiae Christi inimica, difficulter sinunt, aliquam Ecclesiam adhuc abundare fidelium oblationibus et eleemosynis et timere iubent ne quam citius Ecclesiae divites ad extremam redigantur paupertatem. Proinde eo spectare debet, hisce in locis Ordinariorum sollicitudo, ut fidelium piis voluntatibus acceptis sive actu inter vivos, sive mortis causa expressis, tutiore oua fieri possit ratione, huiusmodi pia legata executioni demandentur, distribuendo, non sine oblatorum assensu tacito aut expresso, suscepta Missarum onera inter eas Ecclesias

quae commode valent eadem adimplere. Quomodo vero Episcopus congrue consulere possit certae obligationum satisfa**ctum** videtur edoceri ex capite septimo *Instructionis* S. C. C. de *Visitatione SS. Liminum,* quo Episcopis praecipitur inquirere « *An in Sacristiis omnium et singularum ecclesiarum exposita sit tabella onerum Missarum et anniversarium ad tramites decretorum s. m. Urbani VIII et an eis punctualiter satisfactum siti* » Circa hanc tabellam onerum Missarum et alios libros in Sacristiis asservandos pro fide facienda de secuta oneris adimpletione Benedictus XIV *in opere de syn. Dioeces. Lib. 13, cap. ult. n. 4* ita disserit « Hic vero satis erit innuere, in praememorata Const. Innocentii XII, incipiente - *Nuper a Congregatione* - sanciri ut in singulis Ecclesiis saecularibus ac Regularibus adsit catalogus sive tabella onerum quae ad perpetuum vel ad certum definitumque tempus imposita ipsis, ac respective acceptata fuerunt, utque itidem in sacrario duo asserventur libri, in quorum altero perpetua huiusmodi sive temporalia onera ; in altero vero missae manuales et adventitiae inscribantur, una cum fideli ac distincta adnotatione subsecuti utrorumque implementi. » Postea, idem auctor, memoratis cautionibus in huiusmodi libris conficiendis et invigilandis, adhibitis a S. Carolo Borromaeo et Clemente XI, concludit « Itaque haec est huiusmodi cautionum summa ut conficiatur index sive tabella distinctim adnotata , praeferens perpetua et temporaria Missarum onera una cum indicatione testamenti aut alterius legalis actus a pio testatore exarati et designatione loci, Ecclesiae nimirum in qua peragenda sint sacra, sicuti etiam numeri Missarum ac temporis quo eas celebrari oporteat. Huius enim tantummodo indicis sive tabellae praesidio, si recto ordine et cum exacta monumentorum indicatione confecta fuerint, facile ac tuto deprehendere licebit an onera fuerint ex fide adimpleta ; id quod ex solis libris certo constare non potest, utpote quibus demonstrari quidem poterit subsecuta celebratio iuxta *Decis. 372.* Riccii *part. III,* vel etiam oblati sacrificii applicatio, si qui illud obtulit sacerdos, adnotavit, se etiam illud appii-

casse, iuxta instructionem V impressam penes Monacellum tom. III, pag- 217, n. 14, sed ex his non evincitur, celebrata fuisse et applicata ea omnia sacrificia quae celebranda sunt et applicanda ut piorum fundatorum dispositionibus integre satisfiat. Praeter libros ergo opus est etiam tabella quae cum illis conferatur; tabella autem nullam fidem obtinere potest, nisi concordet cum publico documento in quo pius fundator suam voluntatem expresserit ». Quae saluberrimae dispositiones recolendae videbantur ut conclusio fluat, Ordinarium posse onera sive perpetua sive temporanea Missarum, ipsasque Missas adventitias ita moderari et distribuere, salva piorum fundatorum et offerentium voluntate, ut acceptentur singula huiusmodi onera, prudenti iudicio distributa referantur in apposita tabella pro unaquaque Ecclesia, eorumque implementum diligenter invigiletur et exigatur, per fidem faciendam secutae executionis in proprio indice seu libro ad hoc sedulo cum alia onerum tabella, in sacristiis asservando. Hisce praenotatis, quaesitum fuit quid esset postulato respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re ponderata sub die 1 Septembris 1894 censuit respondere: *Prq facultate excipiendi nova legata ad decennium; et quatenus tum vetera, tum recentiora .adimpleri nequeant in Ecclesia, cui oblata sunt, eadem transferendi ad alias Ecclesias, intra tamen Dioecesim; excepto casu, in quo oblator expresse designaret Ecclesiam vel Altare ob specialem Ecclesiae cultum, vel ex speciali sua devotione.*

GALLIPOLITANA

IUBILATIONIS

Die 11 Augusti 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Aloysius Calori e civitate Gallipolitana, a die 30 Decembris anni 1850 choro Ecclesiae cathedralis eiusdem civitatis inserviens, ratus se quadragenarium

servitium explevisse, anno 1891 imploravit a S. C. C. iubilationis indultum; causatus etiam gravem sexaginta sex annorum aetatem, et adversissimam, qua laborat valetudinem, plurium medicorum testimoniis comprobatam.

Episcopus de more super precibus interrogatus retulit: Capitulum haud libenter consensum praebere ad gratiam iubilationis concedendam, tum quia salus postulantis haud esset deterior, tum quia discrimen ex hac concessione choro obveniret. Post hoc oratoris preces dimissae fuerunt die 13 Iunii 1891 cum rescripto: *Exhibita iurata medici fide, pro gratia, pro diebus et horis, quibus orator ob infirmam valetudinem choro interesse nequeat, onerata eius conscientia: amissis distributionibus inter praesentes, tantum ad biennium, arbitrio et conscientia Episcopi.*

Haud libenter primicerius Aloisius Calori excepit Sacri Ordinis responsum, suasque eumdem in finem iteravit preces, et quamvis studuisset nonnullis animadversionibus reponere ad ea, quae capitulum et Episcopus pluries auditi perseveranter deduxerant, iterum rescriptum prodiit anno elapso die vero 14 Septembris *non expedire, sed pro gratia prorogationis praecedentis indulti, ad aliud biennium, eadem forma.*

Orator vero ratus capitulum cum ipso iniuste et dure egisse, rursus petiit, ut iubilationis indulto donetur, animadvertens : eiusmodi iubilationis indultum haud obesse chori servitio, quia capitulum adhuc numerat 19 praebendatos ultra 12 cappellanos. Sapere autem partialitatem votum Capituli, ait Orator, quia oppositionem non fecit petitioni duorum capitularium qui postea petierunt et obtinuerunt indultum iubilationis.

Opportunum exinde iudicatum est scribere Episcopo, ut *explicaret quid obstaret quominus canonico Aloysio Calori iubilationis indultum concederetur, cum duo alii chorales post ipsum hoc indultum petierint et obtinuerint cum capipituli consensu, quin praetensum cultus detrimentum allegar etur.* Cui quidem mandato obsecutus Grallipolitanus Epi-

scopus capitularem resolutionem ad S. C. C. transmisit; qua Capitulares satagunt cohonestare operam suam referendo quod alter ex duobus iubilatis annos habet 80, alter ita laborat nervis, ut nec loqui amplius expedite non valeat ; dum ex adverso praebendatus Calori longe abest ab incommodis praedictorum canonicorum.

Verum orator in sua petitione perstitit aiens : indultum exemptionis sibi concessum a s. Sede, frustraneum reddi zelo et duritie Capituli erga seipsum. Cum Capitulum resciret quod quaestio proponenda esset plenis Comitiis, aliquantisper a priori sententia recessit declarando : sese exceptorum quidquid disponeret in hac quaestione Apostolica Sedes.

Disceptatio Synoptica

IUBILATIO INDULGENZA VIDETUR. Nova non est in Ecclesia disciplina, qua Canonici aliique sacris ministeriis addicti, vacatione donentur nihil de suorum beneficiorum fructibus amittentes, si per annos 40 continuos et laudabiliter inservisse probatum legitime fuerit. Idque cautum fuisse patet tum ne Christi milites deterioris fierent conditionis militum saecularis Principis, quibus emerito post servitio requiem concessam fuisse traditur *leg. 9 Cod. quoad Provinc., et leg. 6 de vocat, et excusad. ;* tum ut Ecclesiastici in sacris obeundis muneribus alacriores, ac magis solertes fierent. Fagnan. in *cap. Licet de praeb. n. 116.*

De laudabili servitio a Canonico Calori praestito nullatenus dubitari posse videtur, post ea quae Ordinarius, licet iubilationis indulto infensus, S. C. C. scripsit: verum est, canonicum implevisse quadragenarium servitium chori, laudabiliter et absque interruptione; nec contra oratorem nimis attendendum videretur oppositioni Capituli, cuius votum Sacra Congregatio non exquirit, ut consensum capitularium obtineat ad gratiam concedendam, sed eo solo fine eos audiri mandat, ut de laudabili continuo servitio per annos 40 certo constet, et causae detegantur, si forte adsunt, quae porrectis precibus obstent. Neminem siquidem latet etiam

contra Capituli votum, si de ipsius iniusto dissensu constiterit, S. C. C- iubilationem concessisse, licet plures etiam essent beneficiati qui eamdem gratiam expostulare valerent, ceu apparet in *Civitatis Plebis, labil. 23 Novembris 1782 ; Civitatis Ca stellai i ae, labii. 15 Iulii 1820 ;* et in *Sutrina 21 Febr. 1824,* inter supplices libellos relata, in qua S. C. iubilationem concessit, non obstante dissensu, tum Episcopi, tum Capituli, eo quod tres tantum reliqui essent canonici choro inservientes.

Nec eius petitioni, orator censet, officere obiectum detrimentum servitio chorali inde obventurum, cum in praefata Ecclesia alii numerosi Canonici, puto 19, ut ex votorum numero deduci potest, et 12 cappellani adsint, ac Episcopus possit in casu urgentis necessitatis revocare etiam iubilatos ceu respondit S. C. in *Civitatis Castelkmae, lubil. 15 Iulii 1820.*

IUBILATIO DENEGANDA VIDETUR. Ex altera vero parte perpendendum est S. Congregationem die 17 Aprilis 1666 iubilationem denegavisse cuidam Canonico Cathedralis Ecclesiae Civitatis Castelli, qui per annos 40 inservierat, quia a Capitulo opponebatur, quod vigore Constitutionum Capitularium nullus nisi infirmus, vel iusta de causa absens a servitio chori eximi poterat, et quia divinus cultus imminuebatur, etsi in praefata Ecclesia adessent Praepositus, duodecim Canonici et duo Beneficiati, qui sacris peragendis functionibus pares non censebantur *lib. decret. 25 pag. 107.* Tota igitur quaestio ex hoc pendere videtur, utrum, concessa iubilatione canonico oratori, qui supersunt canonici sufficiant ad sacras functiones debito cum decore et absque divini cultus detrimento peragendas. Omnes vero sciunt quanti momenti sit Episcopi iudicium, utpote qui optime noscere praesumitur Ecclesiae sibi concreditae statum et necessitates.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C C. re disceptata sub die 11 Augusti 1894, censuit respondere : *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

AURELIANEN. Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Ioannae de Arco.

Synopsis vitae.

A Iacobo de Arc et Isabella Rome ortum duxit Ancilla Dei Ioanna de Arc die 6 Februarii anno 1412 in pago *Domremy* in Lotheringia. Baptismum suscepit in ecclesia S. Remigii huius pagi, uti plures testes in Apostolico Processu, anno 1455 iussu Summi Pontificis Callisti III in eo etiam pago confecto, fidem perhibuerunt. Ex hoc Processu parentum quidem S.D. pietas apparet, cum dictum sit : « erant boni et fideles catholici, bonique laboratores et bonae famae ». Propriam ipsi filiolam catholicae religioni optime instituerunt , eiusque mater peculiari cura eam bonis moribus imbuit. Hinc de sua prima iuventute oculati testes declararunt: « erat bona et simplex filia, Deum timens, in fide sufficienter instructa, bonae, simplicis ac dulcis conversationis ». In paterna domo cum moraretur suppetias ferebat agricolis parentibus ope manuum suarum : « in domo patris nebat canapum, lanam, et aliquoties cum patre ad aratrum ibat, et ad turnum animalia custodiebat ».

Non solum vero erga parentes officia exactissime Puella adimplebat, sed et religionis ac pietatis. Adeo enim cor eius devotione flagrabat, ut omnium admirationem sibi conciliaverit ; atque ipse Parochus pagi aiebat : « quod nunquam meliorem ipsa viderat, nec in sua parochia habebat ». Divina Sacramenta saepissime suscipiebat ; praescripta ieiunia servabat; ecclesiam continue frequentabat; Sacro quotidie aderat, et ante Crucifixi ac Beatissimae Virginis imagines ferventissimas fundebat preces. Diebus festis dum aliae puellae animum relaxabant atque choreis indulgebant, ipsa ibat ad ecclesiam ferebatque candelas, quas SSmae Virgini offerebat; die autem sabathi, propter devotionem erga Eam, ad solitarium locum, nempe ad ecclesiam B. M. V. *de Bermont,* peregrinabatur. Tanto insuper amore erga Deum ac cultum Ei debitum efferebatur, ut sub vespero, etiam cum in agris esset, statim ac ecclesiae campanam audiebat, flexis genibus

mentem suam ad Deum extolleret. Et oculatus testis cum fuisset ecclesiae addictus, enarravit « saepe vidisse dictam Ioannam venire ad ecclesiam in Missis ac Compie torus, et dum ipse testis non pulsabat Completorias, Ioanna eumdem testem causabat et vituperabat dicendo quod non erat bene factum et ipsa Ioanna tunc promiserat eidem testi dare lanas ad finem ut diligentiam haberet pulsandi Completorias ». Alii praeterea testes de eius etiam in proximum charitate fidem perhibuere. Aegros enim solabatur et « dabat libenter eleemosynas, faciebat hospitare pauperes, et volebat iacere in focario et quod pauperes cubarent in suo lecto ».

Huiusmodi virtutes in puella aetate duodecim circiter annorum, adeo mirandae sunt, ut extraordinariam certe divinam gratiam portendant. Et iam Deus consilia sua, nonnullis supernis visionibus-ac revelationibus, Ioannae detegere incoeperat; quemadmodum infinita sua sapientia cum aliis Sanctis Virginibus egisse novimus. Enim vero tredecim annorum cum esset, in horto patris sui vocem audivit e latere ecclesiae, viditque magnum splendorem. Tunc metu perculsa est, sed cum alias iterum eam audivisset, cognovit esse Angeli vocem, uti ipsa candide fassa est: « Confessa fuit quod dum esset aetatis 13 annorum ipsa habuit vocem a Deo pro se iuvando ad gubernandum. . . . Prima vice ipsa erat iuvenis et habuit timorem; postquam audivit ter illam vocem, cognovit quod erat vox Angeli ». Hisce primis apparitionibus Angelus nondum divinam missionem Ioannae significaverat, sed « tantum docuit eam se bene regere, frequentare ecclesiam ». Et ipsa virginitatem suam Deo vovit. In posterum Archangelus Michael se ei patefecit eidemque praecepit ut e paterna domo discederet et apud Regem se conferret, quo eum adiuvaret ; ne timeret, quia S. Catharina et S. Margarita opem ei tulissent. Humilis vero Puella aiebat : « quod erat una pauper filia quae nesciret equitare et ducere guerram ».

At tanta fuit eius fides et obedientia, ut, patria ac parentibus relictis, se contulerit in pagum *Burey-le-petit* apud patruum suum Durandum Laxarcl. Ioanna al) eo petebat ut duceretur in Vallis-Colorem *(Vaucouleurs)* apud ducem Robertum de Baudricourt « tunc Capitaneum dictae villae de Vallis-Colore, quod volebat ire ad Franciam versus Dei-

phinum ad faciendum eumdem incoronare ». Miratur patruus, sed ipsa aiebat : « Nonne alias dictum fuit quod Francia per mulierem desolaretur, et postea per virginem restaurari debebat? » Annuit patruus, et die 13 Maii anno 1428 eam duxit in Vallis-Oolorem, ut loqueretur cum Duce de Baudricourt. Hic vero puellae dictis non credidit, imo dixit eius patruo : « quod reduceret eam ad locum sui patris et daret ei alapas ». Puella tamen non despondit animum, et in paternam domum cum redivisset, iterum ad suos labores incubuit, firma tamen fiducia quamprimum ad Regem se collaturam. Revera non multo post, ita Deo disponente, praefatus eius patruus in pagum *Domremy* se contulit et a Ioannae parentibus ipsam obtinuit, praetextu nempe ut uxorem suam adiuvaret. Deinde patruus iterum Vallis-Colorem petiit et Puellam piae familiae Le Royer concredidit. Catharina Le Royer in Processu examinata deposuit: « quod dum ipsa Ioanna fuit adducta ad domum suam per Durandum Laxart. . . . vidit ipsam quae erat bona, simplex, dulcis filia ac bene conditionata ; *ibat libenter ad ecchsiam et libenter confitebatur, et vidit eam confiteri Domino Iohanni Furnerii t ¿me dictae villae de Vallis-Colore Curato ».* Ioanna interea missionem suam aperte manifestabat, aiens « oportere quod iret versus nobilem Delphinum, quia Dominus suus Rex Coeli hoc volebat, et quod si deberet ire supra genua sua, iret ». Quidam eques Ioannes de Novelompont, amicitia coniunctus cum familia Le Royer, ita Puellam percontatus est, uti ipsemet deposuit: « Amica mea quid hic facitis? Oportetne quod Rex expellatur a regno et quod simus Anglici ? » Cui puella respondit : « Ego veni huc ad cameram Regis locutum Roberto de Baudricuria, ut me velit ducere aut duci facere ad Regem; qui non curat de me neque de verbis meis; *attamen antequam sit media quadragesima, oportet quod ego sim versus Hegern, si ego deberent perdere pedes usque ad genua. Nullus enim in ¡nttudo, nec Reges, nec Duces, nec filia Regis Scotiae, aut alii possi'.nt recuperare regnum Franciae, nec est ei succisus nisi de meinet, quamvis ego maUem manere iuxta ineam pauperem matrem., quia non est status meus; sed oportet ut ego vadam, et hoc faciam, quia Dominiis meus vult ut ita faciam ».*

Dux Robertus de Baudricourt ut Ioannae spiritum probaret, eam adiurare -fecit a Parocho « dicendo quod si esset mala res quod recederei ab eis, et si bona veniret iuxta ipsos. - Ioanna se traxit iuxta ipsum Sacerdotem et erga sua genua ». De qua adiuratione , postea iuste conquerebatur Ioanna cum sua amica Catharina Le Royer « quia Parochus suam audiverat confessionem ». Robertus de Baudricourt fortasse adhuc dubitabat, sed civium ardori cedere debuit. Ioanna autem veniam a suis parentibus imploraverat, iis significans se divinae voluntati obedire debuisse: « *Dieu le commandait, et quand f'aurais eu cent pères et cent mères et que f eusse été fille de Roi, je serais partie ».* Hinc prima dominica quadragesimae, die scilicet 13 Februarii anni 1429, virilibus ipsa sumptis vestibus et in equum conscensa, una cum nonnullis equitibus, quibus Dux de Baudricourt Ioannam concredidit, et ex salvo conducto Ducis Lotharingiae, iter versus Regem aggreditur.

Difficillimum hoc iter, quod undecim dies perduravit, metu Anglicorum et Burgundiorum, prodigiosum certe fuit. Operae pretium est referre quod deposuit unus ex comitibus itineris, -praefatus Ioannes de Novelompont, eo vel quia Ioannae fiducia in Deum eiusque pietas apparet. « Ipse testis et Bertrandus de Poulengeyo, cum duobus suis servitoribus, et Coleto de Vienna nuntio Regis, et quodam Ricardo sagittario ipsam Puellam duxerunt erga Regem in Chinonno stantem. . . . .et recedendo a dicta villa de Vallis-Colore, propter timorem Anglicorum et Burgundorum circumcisa iter existentium, eundo versus Regem ibant aliquando de nocte, et manserunt per viam per spatium undecim dierum, equitando usque ad dictam villam de Chinon ; et itinerando per iter cum ea, idem testis petebat ab eadem si ipsa faceret ea quae dicebat; *et dicta Puella semper eis dicebat quod non timerent, et quod ipsa habebat in mandatis hoc facere,* quia sui fratres de paradiso et Dominus suus, videlicet Deus, dixerant sibi quod oportebat quod iret ad guerram pro regno Franciae recuperando... *Etiam itinerando ipsa libenter Missas, ut dicebat, audisset,* quia dicebat eis: *si possemus audire Missam bene faceremus,* sed propter agnitionem eius, Missas in itinere non audierunt *nisi bis.* Dixit insuper idem testis quod dictis ipsius

Puellae multum credebat, *et ipsis dictis et eiusdem amore divino,* ut credit, inflammatus erat. *Et-credit quod ipsa erat ex Deo missa.* .. Dixit iterum quod, tamdiu quamdiu in eius comitiva fuit, *ipsam bonam, simplicem, devotam, bonam christianam, bene conditionatam et Deum timentem reperiit* ». Quod et alii itineris socii plene confirmarunt.

In Cainonis civitatem *(Chinon)* apud Regem perventa Ancilla Dei, alia obstacula pati debuit. Aliqui enim ex consiliariis Regis dicebant nullam ei adhibendam esse fidem. Transactis vero paucis diebus, cum Rex certior factus fuisset a Roberto de Baudricuria Ioannam, prodigiose inter hostes, multa flumina ad vadum transivisse, ut ad eum perduceretur, data fuit ipsi audientia. Rex (uti oculati testes deposuerunt) « se traxit ad partem extra alios, *ipsa tamen Ioanna bene cognovit eum, et ei reverentiam exhibuit* ». Postea ita Regi loquuta est: « Gentil Daulphin, j'ai nom Iohanna la Pueelle, et vous mande le Roy des cieulx per me, quod vos eritis sacratus et coronatus in villa Remensi, et eritis locum tenens Regis coelorum qui est Rex Franciae ». Post multas interrogationes, quas Rex ei fecit, ita respondit Ioanna: « *Ego tibi dico ex parte de Messire, que tu es vray héritier de France et filz du Boy; et me mittit ad te pro te ducendo Remis, ut ibi recipias coronationem et consecrationem tuam, si volueris* ». His auditis, Rex dixit adstantibus Ioannam aliqua *secreta* sibi etiam revelasse « *quae nemo sciebat aut scire poterat nisi Deus; quare multum confidebat de ea* ». Attamen Rex nolens adhuc aliquid facere nisi ab ecclesiasticis viris consilium haberet, Ioannam misit Pictavium ut a Doctoribus Universitatis examinaretur. Transactis tribus hebdomadis, Doctores Regi retulerunt nihil inventum esse in Ioanna fidei catholicae contrarium: « En elle on ne trouve point de mal, fors que *bien, humilité, virginité, devoción, honéstete, simplesse* ». Unus ex Doctoribus, Fr. Seguinus Seguini, sacrae theologiae professor, ab ea aliquod signum requirebat, cui Puella respondit: « Je ne suis pas venue à Poitiers pour faire signes, sed ducatis me Aurelianis, ego ostendam vobis signa ad ea quae ego sum missa ». Omnes hinc Doctores concluserunt : « quod attenta necessitate eminenti et periculo in quo erat villa Aurelianensis,

Rex poterat de ea iuvare et eam mitt5re Aurelianis ». Libenter huiusmodi consilium Rex sequutus est.

Voluit autem idem Rex ut Puella homines sibi addictos haberet, atque eleemosy narium, qui fuit Fr. Ioannes Pasquerel Ord. Fr. Haeremitarum S. Augustini, quique ipsam semper sequutus est. Equus et arma tradita ei sunt ; sed ipsa vetustum gladium maluit quinque crucibus ornatum, quem inveniri indicavit in ecclesia S. Catharinae *de Fierbois,* uti reapse repertum fuit; voluitque vexillum cum Redemptoris imagine, quod secum continue ferebat. Interrogata enim quare vexillum ferebat, respondit: « quod nolebat uti ense suo, nec volebat quemquam interficere ». Circa finem mensis Aprilis praefati anni 1429 in Blesensem civitatem se contulit, ubi exercitus duodecim fere millia militum collectus fuerat, quique commeatus comparaverat pro Aurelianensi urbe ab Anglis obsessa. Prima eius cura fuit bonos mores in exercitu curare ; hinc et malae vitae foeminas expellere fecit, et blasphematores severe redarguit. Voluit insuper alterum vexillum cum Christi imagine pro congregandos presbyteris, quod eius eleemosynarius Rev. Fr. Pasquerel confecit, cuius depositionem audire praestat : « Huiusmodi vexillo facto, ipsa Ioanna omni die bina vice, mane videlicet et sero, faciebat per ipsum loquentem congregare omnes presbyteros ; *quibus congregatis cantabant antiphonas et hymnos de Beata Maria, et cum eis erat ipsa Ioanna;* nec inter illos presbyteros permittere volebat aliquos armatos, *nisi fuissent confessi illa die, monendo omnes armatos quatenus confiterentur, ut venirent ad huiusmodi congregationem* ; nam in ipsa congregatione omnes presbyteri erant parati ad confitendum quoscumque qui eisdem confiteri volebant. Et dum ipsa Ioanna exivit villam Blesensem ad cundum Aurelianis, *ipsa fecit congregare omnes presbyteros cum illo cernilo, et antecedei)ant ipsi presbyteri armatos ».*

Sed antequam bellum inciperetur, voluit Puella missionem suam pacis signo affirmare; propterea supremo anglici exercitus Duci Talbot misit « unam litteram continentem in substantia quod ipsi Anglici recedere vellent de obsidione et irent ad regnum Angliae, alias ipsa daret eis ita magnum insultum quod cogerentur recedere ». Angli vero iniuriis Puellae responderunt, quas ipsa invicto animo pertulit. At

eius praedictionem omnino comprobavit eventus. Enarrat enim Comes de Dunois supremus Gallorum exercitus Dux : « dum inchoaretur insultus contra adversarios existentes infra bollevardum Pontis. .. duravitque insultus ab hora matutina usque ad octavam de vespere, sic quod non erat spes quasi de victoria illo die ; propter quod dictus deponens satagebat et volebat quod exercitus retraheretur ad civitatem. Et tunc dicta Ioanna venit ad eum et requisivit quod adhuc paulisper expectaret, ipsaque ex illa hora ascendit equum et sola recessit in unam vineam satis longe a turba hominum, in qua vinea *fuit in oratione* quasi per spatium dimidii quarti horae ; ipsa autem régressa ab illo loco, statim coepit suum vexillum in manibus suis, posuitque se supra bordum fossati, *et instanti,* ipsa existente, *Anglici fremuerunt et effecti sunt pavidi;* armati vero Regis resumpserunt animum, et coeperunt ascendere, dando insultum contra bollevardum, non reperientes quamcumque resistentiam; *et ex tunc dictum bollevardum fuit captum, et Anglici existentes in illo conversi sunt in fugam;* omnes autem mortui. Et inter caetera dicit dictus deponens quod Classidas et alii principales Capitanei Anglicorum dictae bastillae, credentes se retrahere in turri Pontis Aurelianensis, *ceciderunt in fluvium et submersi sunt.* Ipse autem Classidas fuerat ille qui plus iniuriose et cum maiori ignominia seu vilipensione loquebatur de dicta Puella. Capta vero ipsa bastilla, reversi sunt dictus deponens et ipsa Puella, cum aliis gallicis, infra civitatem Aurelianensem, in qua recepti sunt cum ingenti gaudio et pietate... In crastino vero, summo mane, Anglici exierunt de suis tentoriis et se ordinaverunt in exercitu pro pugnando. Quo viso dicta-Puella, surrexit de lecto et armavit se solum suo habitu, non tamen voluit tunc quod aliquis invaderet dictos Anglicos, nec aliquid peteretur ab eis, sed quod permitterentur abire ; sicut et de facto abierunt, nemine eos tunc persequente. Ex qua hora dicta villa fuit ab hostibus liberata ». De hac prodigiosa Aureliae liberatione post paucos dies, quam coaevi omnes *miraculo* tribuerunt Puellae ope divinitus patrato, sat erit referre quod oculatus testis Guillelmus Girauld, Tabellio Aurelianensis, tunc scripsit in suis regestis adhuc servatis : « Le VII jour du dict mois de May, par la grâce de Notre Seigneur, et aussi comme *par miracle*

le plus evident, qui ad ce a esté apparu puis la Passion de Notre Seigneur, *fut levé le siège cV'Orléans,* ad ce présente *la dicte Pucelle qui conduit la besoigne ».*

Omnes quidem putabant Puellam a Deo missam esse, quae signa missionis suae ostendit; aiebantque Aurelianenses cives « quod si non venisset *ex parte Dei* ad adiutorium eorum, ipsi de propinquo fuissent omnes habitantes et civitas sub ditione et potestate adversariorum obsidentium redacti »; et ipse Comes de Dunois firmiter credebat « ipsam Ioannam esse *missam a Deo* ». Cum autem Aureliam ingressa est « recepta fuit cum tanto gaudio et applausu ab omnibus utriusque sexus parvis et magnis, *ac si fuisset Angelus Dei ».* Ipsa vero « ante omnia voluit ire ad maiorem ecclesiam, *ad exhibendam reverentiam Deo Creatori suo* » et « exhortabatur omnes ut sperarent in Domino ».

Peculiaria Puellae gesta Aureliae patrata, itemque alia gloriosa eius gesta quae sequuta sunt contra Anglos in castris ac in civitatibus *Meliun, Baugency, Jargeau, Patay,* brevitatis amore reticebimus, non solum cum notoria sint, sed quia in Summarii tabulis ab oculatis testibus enarrentur, ac praecipue a supremo Gallorum exercitus Duce Comite de Dunois, qui sincere declaravit: « *Ioannae facta in exercitu bellico potius erant a Deo quam cd) homine* »; addiditque: *« erat res quasi divinal* ». Idem confirmavit Regis Consiliarius D'Aulon, aiens Puellae gesta fuisse « *fais divins et miraculeux* »; idque pariter comprobavit Dux d'Alençon, aliique oculati testes in Apostolico Processu examinati. Caeterum, civitates omnes apud Ligerim Puellae ope paullo post ad Regis obedientiam redactae sunt. Postea *Trecensis* urbs pariter Regi reddita est, itemque *C ata' ann en sis et Rhemensis,* qua in civitate, uti Ioanna praedixerat, Rex coronatus et consecratus fuit. Operae pretium est referre quod hac de re praefatus exercitus Dux Comes de Dunois deposuit: « Post praedictas victorias, Domini de sanguine Regis et Capitanei volebant quod Rex iret ad Normanniam et non Remis, sed dicta Puella semper fuit opinionis quod oportebat ire Remis, ad consecrandum Regem, addebafque rationem suae opinionis dicens quod dum Rex esset coronatus et sacratus, potentia adversariorum diminueretur semper, nec possent finaliter nocere sibi neque regno. Cuius opinioni omnes consen-

serunt. Et primo loco in quo Rex stetit et fixit gradum suum cum suo exercitu fuit ante civitatem Trecensem; quo ibidem existente et tenente consilium cum Dominis de suo sanguine caeterisque Oapitaneis guerrae, pro advisando si staret ante dictam civitatem et poneret obsidionem ad capiendam eam, vel si esset expediens transire ultra, eundo de directo Remis et dimittendo ipsam civitatem Trecensem; dicto vero consilio Regis in diversas opiniones diviso, et dubitantibus quodnam esset utilius, dicta Puella venit et intravit in consilium, dicens talia verba : - *Nobile Delphine, iubeatis venire gentem vestram et obsidere villam Trecensem, nec protrahitis amplius longiora consilia, quia,* in nomine Dei, *ante tres dies ego vos introducam infra civitatem Trecensem amore vel potentia seu fortitudine, et erit falsa Burgundia -multum stape f acta.* - Et tunc dicta Puella statim cum exercitu Regis transivit et fixit tentoria sua iuxta fossata, fecitque mirabiles diligentias, quas etiam non fecissent duo vel tres usitati et magis famati homines armorum; et taliter laboravit in nocte illa, quod in crastino Episcopus et cives illius civitatis dederunt obedientiam Regi, frementes et trementes, ita quod postea repertum est quod, a tempore illo quo dedit consilium Regi de non recedendo a civitate, ipsi cives perdiderunt animum, nec quaerebant nisi refugium et fugere ad ecclesias. Illa autem civitate ad obedientiam Regis reducta, Rex ivit Remis, ubi reperiit totam obedientiam, fuitque ibi sacratus et coronatus ».

Cum Puella consecratum Regem videret, coram eo genua fiexit et cum lacrymis ei dixit: « *Gentil Roy, or est exécuté le plaisir de Dieu, qui voulait que levasse le siège d'Orléans, et que vous amenasse en cette cité de Reims recevoir vostre saint sacre, en monstrant que vous estes vray Roy et celuy auquel le royaume de France doit appartenir ».* Fortasse ex hisce verbis cogitari posset divinam Ioannae missionem post Regis consecrationem impletam omnino fuisse. Attamen distinguenda sunt ea quae Ioanna sciebat se exequuturam, ab iis quae, vi suae missionis, pariter ventura esse sciebat, sed post eius mortem. Ipsa enim suarum aerumnarum praescia, proximam finem praevidebat, cum dixerit « quod ipsa duraret per annum et non multum plus, et quod cogitarent illo anno de bene operando ». Verum ipsa-

met iam Anglis declaraverat: « Je suis cy venue de par Dieu *pour vous bouter de toute France* ». Et refert Dux d'Alençon dixisse Joannam « se habere quatuor onera, videlicet *fugare Anglicos;* de faciendo Regem coronari et consecrari Remis; de liberando Ducem Aurelianensem a manibus Anglicorum; et de levando obsidionem positam per Anglicos ante villam Aurelianensem ». Quod omnino confirmavit Fr. Seguinus in Processu, addiditque: « *quae omnia ipse loquens vidit compleri* ». Quare, etsi aliqua quae Ioanna praedixerat post eius mortem evenerint, nihilominus vi suae missionis impleta fuerunt, quemadmodum et ipsa postea declaravit: « Certifia que s'il luy convenait mourir avant que ce pour quoy Dieu l'avoit envoyée fust accomply, *que après sa mort* elle nuyroit plus aux-dits Angloys qu'elle n'auroit fait en sa vie, *et que non obstant sa mort, tout ce pour quoy elle estait venue se accornpliroit* ». Quod oculatus testis confirmat: « *Ainsi que a été fait par grâce de Dieu* ». Enim vero quinque post annos a puellae morte, Angli Parisiensem urbem perdiderant ac paullo post e tota Gallia expulsi sunt!

Caeterum, post Regis consecrationem, licet Puellae consilia, quae felicem certe exitum habuissent, haud a Rege et ab eius Aulicis sequuta fuerint, alia tamen gloriosa gesta ab ipsa patrata sunt, praesertim in civitate Sancti Petri Monasterii *(Saint Pierre le Moustier)* ac in Latiniaca urbe *(Lagny)*. Cum vero ipsa Meloduni esset aprili mense (anni 1430) superna revelatione intellexit se capturam ante festum S. Ioannis Baptistae. Puella diem et horam ignorabat, suae tamen missioni fidelis ac Regi obsequentissima, Compendii urbem, a Burgundiae Duce et ab Anglis obsidione cinctam, strenue defendit. Hac in urbe olim postquam in ecclesia S. Iacobi Missam audivisset et Eucharisticum Sacramentum suscepisset, adstantibus dixit: « Mes enfants et chers amis je vous signifie que l'on m'a trahie et que brief je serai livrée à la mort. Si ainsi, vous supplie que vous priez Dieu pour moi, car jamais n'aurai plus de puissance de faire service au Roi ». Revera die 24 maii cum ab urbe egressa esset, ut hostes exploraret, et ab iis reiecta in eam iterum ingredi vellet, Guillelmus Flavy, illius gubernator, quin Puellam suo praesidio succurreret et in urbem reciperet, portas

e contra clausit; atque ita a Burgundiorum exercitu circumdata, cum paucis capta est.

Ioannae captivitas maximam in Anglorum animis laetitiam infudit, ipsi tamen vehementer cupiebant eam a Burgundiorum manibus auferre et in propriam potestatem habere. Hinc quo facilius id ipsis prospere cederet, in primis ex parte Vicarii Generalis Inquisitionis ac Universitatis Parisiensis adprecatus est Burgundiae Dux, ut Puellam, tamquam haereticam, ecclesiasticae iustitiae remitieret. Cum vero ille nullum dedisset responsum, Anglus Regens Dux de Bedfort ad Petrum Cauchon Episcopum Bellovacensem recurrit, qui Anglorum partibus studiosissime favebat. Hic die decima quarta mensis Iulii se contulit apud Burgundiae Ducem, aiens Puellam captam fuisse in territorio suae dioecesis, proptereaque cum de fidei materia ageretur, ipse legitimus iudex erat. Ingentem autem pecuniae vim ei offerebat, decem nempe mille francos aureos! Annuit Burgundiae Dux, et Puella Anglis vendita est, qui die 24 Octobris praefati anni 1430, hoc pretium solverunt cum tributis Normandiae civibus impositis.

Puella interea divinae providentiae confidens, viva spe erigebatur fore ut eius captivitas haud impediret quominus Dei opera complerentur. Tranquillo hinc animo antequam Anglis venderete, commorata est quatuor circiter menses in castro *de Beauliea;* postea vero missa fuit in castrum *de Beaurecoir*. Sciebat tunc ipsa se Anglis venditam esse, et cum audivisset Compendii urbem quamprimum eversuram, e custodia effugere perieli tata est, sed perperam. Consolatur tamen cum supernae voces sibi praedixerint Compendii liberationem ante festum S. Martini ; quod eventus omnino comprobavit. Ducta postmodum est in castrum *de Crotoy*, ubi novembri mense a Burgundiae Duce tradita Anglis fuit. De eius religione ac pietate dum in praefatis castris commorabatur, oculati etiam testes in Processu fidem perhibuerunt. Denique Decembri mense ab Anglis translata fuit in. castrum Rothomagense, ubi Processus contra eam incoeptus est.

Angli, uti testes in Processu deposuere : « Iohannam capitali odio persequebantur ac illius mortem omnibus modis sitiebant, quia fuerat in auxilio Christianissimi Regis Fran-

oiae, eamque plus timebant quam centum armatos, propter victorias per eam obtentas », et cum scivissent in Gallia putatam esse Puellam tamquam a Deo missam, propterea nisi sunt eam *tamquam sagum* igni tradere. Iam paullo ante ipsi Parisiis pauperem foeminam igni damnarunt, quia tantum dixerat Puellam bonam esse et Dei mandato egisse. Processus autem, uti testes ipsi declararunt : « tendebat etiam *ad infamiam Regis Franciae* ». Hinc Angli omnem navarunt operam ut etiam Puella *infamia* notaretur et tamquam haeretica condemnaretur. Et iam Puellae mors ab iis statuta fuerat. Anglorum enim Rex Henricus VI, die 3 Ianuarii anni 1431, scripsit iudicibus quod si forte ex Processu damnata non fuisset Ioanna tamquam haeretica ac saga, ipse sibi ius reservabat eam retinendi : « *C est notre entencion de ravoir et reprendre par devers nous icelle lohanne,* se ainsi estoit qu'elle ne fust convaincue ou actainte de eas dessusditz ». Iudices vero, pro sua tutela, defensionis litteras petierunt a Rege : « Episcopus et alii qui de huiusmodi Processu se intromittebant, *voluerunt habere litteram garantizationis a Rege Angliae, et eam habuerunt* ». In iis ita Rex scripsit: « Promettons en parole de Roy— que nous aiderons et détiendrons tous les dits juges, docteurs, magistres etc. à nos propres coustz et despentz et à leur cause en ceste partie, nous adjoindrons au procès qu'en vouldront intenter contre eulx quelconques personnes ». Quisque intelliget quomodo Processus contra Puellam confectus fuit! Omnes coaevi testes examinati candide deposuerunt Processum constructum esse « *per motum et impressionem Anglicorum,* qui semper lohannam detinuerunt sub eorum custodia et detentione, nec permiserunt eam detineri in carceribus ecclesiasticis ». Coaevus fere historicus scripsit, ab hoc Processu Puellae passionem incoepisse : « Les luges ne se monstrerent pas moins affectés à faire mourir la dite Pucelle, que Oaiphe et Anne et les scribes et pharisées se monstrèrent affectés à faire mourir Notre Seigneur ». Oculati testes retulerunt ipsam fuisse in carcere « in compedibus ferreis, et alligata una longa catena afflxa cuidam trabi, eratque etiam gabea ferrea, in qua dicebatur eam fore recludi ». In hac gabea inclusa certe fuit « ligata collo, manibus et pedibus a tempore quo adducta fuerat ad villam Rothomagensem usque ad initium

processus ». Eius carceris custodes nequissimi erant homines, impudici atque omni vitiorum labe coinquinati : « in carcere habebat quinque Anglos miserrimi status, gallice *houcepail-UerSj* qui eam custodiebant et multum desiderabant ipsius mortem, et de eadem saepissime deridebant ».

De iniquitate Processus, qui quatuor menses perduravit, audi quaeso testes aliquot : « Omnia Episcopus Belvacensis faciebat ad instigationem Regis Angliae et sui Consilii, tunc existentis Rothomagi. Non faciebat zelo iustitiae motus, sed ad ipsorum Anglicorum voluntatem, qui erant tunc in magno numero in villa Rothomagensi, in qua erat tunc Rex Angliae »• « Omnes qui intererant huiusmodi Processui non erant in plena libertate, quia *nullus audebat aliquid dicere ne esset notatus* ». Nonnulli consiliarii querebantur de modo procedendi contra Puellam, inter quos Magister Nicolaus de Houppeville, et dicebant ipsam esse debere in manibus Ecclesiae, sed Episcopus Cauchon effecit ut omnes illi in exilium mitterentur. Audi, inter alios, Rev. Dom. Ioannem Massieu Tribunalis ianitorem : « Magister Nicolaus de Houppeville, qui viso huiusmodi modo, noluit interesse in consiliis, *fuit bannitus cum pluribus aliis* ». Magister Ioannes de Fonte e Consilio expulsus est « *quia, aliqua dixerat quae in dicto processu non sibi videbantur facienda* ». Magister Ioannes Magistri « pluries recusavit interesse huiusmodi Processui, et fecit suam posse ne adesset, sed per aliquos sibi notos fuit ei dictum quod nisi interesset, *ipse esset in periculo mortis;* et hoc fuit compulsus per Anglicos, ut pluries audivit a dicto Magistri, quod sibi dicebat: *video quod nisi procedatur in huiusmodi materia ad voluntatem Anglicorum, quod imminet mors* ». Cum aliquis dixerit de Ioanna quod non placuit Domino de Stauffort « hic eum insequutus fuit usque ad quemdam locum immunitatis *cum ense evaginato* ». Puella.autem nullum unquam habere potuit defensorem vel patronum : « Non habuit defensores aut consiliarios *quamvis petierit* » ; imo perversus homo, quidam Nicolaus Loyseleur, callide in eius carcerem a Iudicibus mittebatur, ut ipsam deciperet : « advisaverant quod Nicolaus Loyseleur, *fingens se esse de partibus Lotharingiae, de quibus ipsa Ioanna erat et de obedientia Regis Franciae,* intraret in carcere in habitu brevi, et quod custodes recederent ». « *Aliquando intra-*

bat carcerem ipsius lohannae ei dicens quod non crederet illis gentibus ecclesiae. Episcopus Bel vacensis bene illa sciebat, quia alias ipse Loyseleur talia non ausus fuisset facere ». Et Ioannae datum permissum tunc fuit huic homini se confiteri : « Non permittebatur confiteri nisi Magistro Nicolao Loyseleur ! »

Denique, de Processus nullitate, sat erit referre nonnullos Notarios absconditos fuisse ut diverso modo scriberent Puellae responsiones : « Erant aliqui Notarii (inquit, inter alios, Guillelmus Manchon Notarius Curiae Episcopalis) et credit quod Nicolaus Loyseleur erat cum iisdem absconditus, qui adspiciebat ea quae scribebant ipsi Notarii, *et scribebant ea quae volebant, omissis excusationibus ipsius lohannae ».* Nonnullae autem iudiciales inquisitiones quae peractae fuerunt, et Puellae favebant, desunt omnino in Processu! Certum enim est ex. gr. iudicialem inquisitionem factam fuisse in loco originis Ioannae, quae in Processu non invenitur ; pariterque certum est alteram factam esse inquisitionem de virginitate Puellae, uti testis Ioannes Massieu, inter alios, fidem perhibuit : « Fuit visitata an esset virgo vel non, per matronas seu obstetrices, ex ordinatione Ducissae Bedfordiae, et signanter per Annam Bavon et aliam matronam. Et post visitationem *retulerunt quod erat virgo et integra,* et ea audivit referri per eamdem Annam ». Processus igitur mancus etiam est !

Admirabilis vero fuit Puellae agendi ratio tempore Processus. Ipsa enim, quae nondum vigesimum suae aetatis annum attigerat, adeo tranquilla mente consistebat et iudicum interrogationibus tanta prudentia respondebat, ut omnes eam mirabundi suspicerent. Notarius Episcopalis Curiae Rothomagensis examinatus in Apostolico Processu : « credit quod in tam difficili Causa non erat ex se sufficiens ad defendendum contra tantos Doctores *nisi fuisset inspirata* ». Et testis alter-: « audivit ab ore tunc Abbatis Fiscarnpuensi, quod unus magnus Clericus bene defecisset respondere interrogationibus difficilibus sibi factis ». Et licet « interrogatores non cessabant aliquando eam interrogare per tres horas de mane et totidem post prandium, et aliquando interrumpe"bant interrogatoria, transeundo de uno ad aliud, ad expetendum an ipsa mutaret propositum » tamen ita respondebat

« ut sapientior homo mundi cum difficultate respondisset ». De eius autem religione ac pietate hoc tempore, testes deposuerunt ipsam instanter exorasse, ut *Missam* audire posset, praesertim festivis diebus, ac *Sanctissimam Eucharistiam* recipere « *et multum conquerebatur quod sibi denegabatur* », Rev. Sacerdos Ioannes Massieu deposuit se onus habuisse « ducendi et reducendi Iohannam coram iudicibus, et videre suo *erat bona, simplex et devota filia,* et dum eam duceret coram iudicibus, ipsa requisivit loquentem si eratne in itinere suo aliqua Cappella in qua esset Corpus Christi, ut posset ibidem salutare Deum et orare ; quod libenter fecit ipse loquens, dimisitque eamdem Iohannam ante Cappellani genibus flexis orare, quae ibidem *flexis genibus multum devote fecit orationem suam.* De quo Episcopus Belvacensis-fuit male contentus, et eidem loquenti inhibuit ne de caetero eamdem permitteret sic orare! »

Durante Processu cum Puella aegrotaverit, Angli maximo perculsi sunt timore quod ipsa naturali morte occumbere potuisset. Hinc plures medici ad eam missi sunt, quorum unus ita in Apostolico Processu deposuit : « Miserunt eumdem loquentem cum Guillelmo Desjardins magistro in medicina et aliis medicis... Comes de Warwic dixit eisdem quod eos mandaverat, ut de ea cogitarent, *quia pro nullo Rex volebat quod sua morte naturali mereretur.* Rex enim eam care emerat, nec volebat quod obiret nisi cum iustitia *et quod esset combusta* ». Sanitati restituta Puella, sed non adhuc valetudine confirmata, sine mora prosequutus est Processus. Ioanna in suis responsionibus iterum iterumque declarabat se velle Catholicae Ecclesiae omnino submitti. Ast iudices ei insinuabañt ut deberet se submittere ipsis tamquam Ecclesiae repraesentantibus ! Testes qui in Apostolico Processu examinati sunt, audiverunt in Iudicio « quod cum ipsa Iohanna interrogaretur an vellet se submittere Episcopo Belvacensi et aliquibus de adstantibus, ipsa Iohanna respondebat quod non *quodque se submittebat Papae et Ecclesiae Catholicae* ». « Interrogata an vellet se submittere Domino Nostro Papae, respondit *quod sic.* Sed nolebat se submittere illis praesentibus, cum essent inimici eius capitales ». Hanc responsionem, quam ipsi iudices praeviderant, tamquam fundamentum fuit accusationis, cum *calumnióse* significaverint

Ioannam nolle Ecclesiae se submittere. Aliud autem accusationis caput iudicibus praebuerunt visiones eius ac revelationes, quas a maligno spiritu ductas asserebant, ac praecipue viriles vestes, quas Ioanna divino praecepto adhibuisse dixerat. Huiusmodi accusationes in duodecim mendacibus articulis redactae fuerunt. Nonnulli, praesertim Parisiensis Universitatis, maxime Puellae infensi, ac Processus etiam ignari, contra Puellam opinionem suam emiserunt; sed non deerant alii in Gallia, qui eam strenue defendebant ; imo orationes pro liberatione Puellae hoc tempore elucubratae sunt. Caeterum, adeo perspecta erat huius Processus nullitas atque malitia, ut cum in Rothomagensem urbem venerit e Normandia Sacerdos celeberrimus Ioannes Lohier, Decanus Rotae Auditorum Romae, hic (uti deposuit in Apostolico Processu Notarius Rothomagensis Curiae) « fuit sollicitatus de dando opinionem suam super dicto Processu, qui, *praesente Episcopo, dixit dictum Processum nullum esse pluribus de causis;* et quia vidit sua dicta non placere Episcopo Belvacensi et aliis Dominis de parte Anglorum, noluit amplius expectare et in diem crastinum recessit ». Angli enim in Sequanam flumen eum ejicere decreverint! In posterum et alii doctissimi viri, ecclesiastica etiam dignitate praestantes, Processus iniustitiam atque nullitatem, suis scriptis, dilucide ostenderunt, quemadmodum Card. Elias de Bourdeille Episcopus Petrocoricensis, Ioannes Gerson, Theodorus de Lßliis Sac. Romanae Rotae Auditor, Pontanus Sac. Concistorii Advocatus, aliique gravissimi Iurisconsulti.

Puella usque ad finem Processus, et etiam coram tortore; nunquam revocare voluit suas visiones ac revelationes, quamvis iudices omni arte usi fuissent, ut ipsa tamquam falsas illas reiiceret. Revera magni intererat Anglorum ut, priusquam condemnaretur, ipsamet visiones suas ac revelationes falsas mendacesque declararet. Recepta enim in populi animo opinio de Puella a Deo missa semper remansisset, si ipsa in suis aifirmationibus perstitisset. Quare Iudices, ut exoptatum finem consequerentur, extremum contra Puellam remedium experti sunt, aspectum nempe populi atque carnificis. Hinc die 24 Maii (1431) ducta fuit ipsa in plateam sepulchreti Sancti Audoeni *(de Saint-Ouen),* ubi in spectaculo quod erectum fuerat adstabat Episcopus una cum

Cardinali'de Winchester, iudicibus, doctoribus plurimisque aliis. Ioanna erat in quodam pulpito coram omnibus, videns quoque carnificem « qui cum quadriga erat in vico expectans quod daretur ad comburendum ». Sed antea Nicolaus Loyseleur, qui, uti vidimus, Puellam callide prodibat, ei dixerat: « Iohanna credatis mihi quia si vos velitis, eritis salvata, faciatis omnia quae vobis ordinabuntur, alioquin estis in periculo mortis ; et si vos faciatis ea quae vobis dico, vos eritis salvata et habebitis multum bonum et non habebitis malum, sed eritis tradita Ecclesiae ». Magister Guillelmus Erard concionem habuit, et inter alia, in odium Regis Galliae haec protulit : « O Regnum Franciae ! olim reputatum es et vocatum christianissimum, Regesque et Principes sui christianissimi ; nunc vero per te, o Iohanna ! et Rex tuus qui se dicit Regem Franciae, tibi adhaerendo et dictis tuis credendo, *effectus est haereticus et schismaticus !* » Puella, pro sua humilitate, nihil de se dixit, sed Regem suum defendere voluit, aiens : « *Ne parle point de mon Roy, il est bon chrefien* »• Magister Guillelmus Erard silentium Ioannae imposuit, et concionem suam absolvit. Ast Ioanna, uti Apostolici processus testes oculati deposuerunt, dixit : « quod nihil mali fecerat et quod credebat in duodecim articulis fidei et in decem praeceptis decalogi, dicendo ulterius quod se referebat Curiae Romanae et volebat credere in omnibus in quibus sancta Ecclesia credebat ».

Episcopus tamen Ioannae significavit Ordinarios esse in sua dioecesi iudices, proindeque ipsam debere iis se submittere. Interea magister Erard abiurationis schedulam Puellae ostendit ut eam signaret. Ipsa vero declaravit : « videatur ipsa schedula per Clericos et Ecclesiam in quorum manibus debeo poni, et si mihi consilium dederint quod habeam eam signare et agere quae mihi dicuntur, ego libenter faciam», ged Magister Erard ei respondit: « *Facias nunc, alioquin tu per ifine^ finies dies tuos hodie* ». Eodem tempore incoepit lectio sententiae condemnationis. Puella viribus delassa, minis deterrita, stupefacta ex tantis consiliis et exhortationibus, cedere debuit « se referens conscientiis iudicantium ». Tunc lecta ei est parva abiurationis schedula, qua ei iniungebatur ne virilem sumeret habitum-, ne arma ferret et alia huius generis. Parva erat schedula, proindeque

paullum continere poterat. Enim vero si e contra in ea schedula multa scripta fuissent, praesertim de puellae visionibus ac revelationibus, iudices certe timebant ne eius conscientia a proposito descisceret. Et scimus ex ipso teste Ioanne Massieu, qui abiurationis schedulam tunc *ei legit* « quod schedula illa continebat circiter *octo lineas et non amplius,* et scit firmiter *quod non erat illa* de qua in processu fit mentio, *quia aliam ab illa* quae est inserta in processu *legit ipse loquens,* et signavit ipsa Iohanna! » Quod et alii testes, ibi praesentes, plene confirmarunt. Igitur in processu alia et longa abiurationis schedula inserta fuit ! ! Caeterum puella, cum scribere nesciret, traditae ei schedulae « *per modum derisionis* fecit quoddam rotundum ». Postea ipsa requisivit a promotore an poneretur in manibus Ecclesiae, uti sibi promissum fuerat, sed e contra damnata est ad carceres perpetuos in ipso castro Rothomagensi sub eadem custodia Anglorum ! Multitudo eorum spectatrix huiusmodi repraesentationis, tumultuari incoepit : « fuit magnus tumultus populorum adstantium et fuerunt proiecti multi lapides ». Et ipse Comes de Warwick conquerebatur, sed unus ex iudicibus ei dixit: « *Domine, non curetis, bene rehabebimus eam* ».

Revera in eumdem carcerem cum redivisset puella post meridiem diei Iovis 24 maii, muliebri habitu induta, multa ab Anglis pati debuit. Nam: « iterum posita in carceribus castri, *f uerant factae sibi tot vexationes de eam opprimendo,* quod habuit dicere quod mallei potius mori, quam amplius stare cum ipsis Anglicis ». Isti adeo irati erant, etiam cum iudicibus, ut post tres dies cum nonnulli ex iis in castrum accessissent ad invisendam Ioannam, violenter ab illis reiecti fuerint: « *levaverunt gladios ad eos pereutiendos, dicentes quod Rex male expenderat pecunias suas erga eos* ». Hoc tempore puella iterum virilem sumpsit habitum, quoniam, uti testis ab ipsa audivit : « de mane Iohanna iacente in lecto, custodes ipsius abstulerunt habitum muliebrem a lecto suo, et reposuerunt supra lectum hniusmodi habitum virilem; *quodque licet requisivisse a, dictis custodibus dictum habitum muliebrem sibi restitui,* ut surgeret a lecto et purgaret ventrem, denegaverant sibi tradere, dicendo sibi *quod alium a dicto virili non haberet;* et cum ipsa eis diceret quod ipsi bene sciebant quod per iudices eidem Ioannae fue-

rat prohibitum ne resumeret habitum virilem, *nihilominus denegaverunt eidem Iohannae ipsum habitum muliebrem tradere;* et tandem compulsa necessitate, ceperat ipsum habitum virilem ; et postquam fuisset visa in illa resumptione habitus'per dictam totam diem, in crastinum fuerat sibi restitutus habitus muliebris ». Sed tunc ipsa noluit eum resumere, quo melius virginitati suae consuleret. Optime sane id egit, cum non solum a custodibus, verum etiam « *fuit per unum magnae auctoritatis tentata de violentia!* » Idque etiam confirmavit Fr. Martinus Ladvenu, qui ex ore eiusdem Iohannae audivit quod quidam magnus Dominus Anglicus introivit in carcerem dictae Ioannae *et tentavit eam vi opprimere,* et haec erat *causa,* uti dicebat, quare resumpserat habitum virilem ». Revera ipse Notarius Rothomagensis Curiae Guillelmus Manchon deposuit, *se praesente,* interrogatam esse Iohannam a iudicibus « qua de *causa* resumpserat huiusmodi habitum virilem, quae respondit *quod hoc fecerat ad suae pudicitiae defensionem,* quia non erat tuta in habitu muliebri cum suis custodibus, qui voluerant attentare suae pudicitiae, et de quo pluries conquesta fuerat eisdem Episcopo et Corniti ; quodque ipsi iudices sibi promiserant quod esset in manibus et carceribus Ecclesiae, et quod secum haberet unam mulierem ; dicendo ulterius quod si placeret eisdem Dominis " iudicibus *ponere eam in loco tuto in quo non timeret, quod erat parata recipere habitum mulieris,* prout dicebat contineri in processu ». Episcopus Cauchon, quin tanta puellae heroici tate percelleretur, quae pro custodienda sua virginitate certae morti occurrebat, callide quaestionem mutavit, eamque percontatus est an visiones alias habuisset ; cui puella candide respondit se a supernis vocibus reprehensam esse propter abiurationem, quam tamen vi et metu fecisse declaravit, quin eam intellexisset, uti praefatus notarius, huic sermoni praesens, deposuit: « Dicebat se nihil de contentis in eadem abiuratione intellexisse, nec aliquid retractare voluisse, nec velle ». Denique interrogata an muliebrem habitum reciperet, respondit se paratam esse, dummodo tuto in loco poneretur. Discessit Episcopus una cum iudicibus ; nonnulli vero ex iis, uti testis retulit : « faciebant magnum applausum et gaudium *ex eo quod resumpserat habitum virilem* ». Et testis alter fassus est « quod vi-

dit et audivit dictum Episcopum cum. Anglicis *exaltantem* et dicentem Domino de Warwick et aliis Anglicis : *Capta est! »*

Die postero martis 29 Maii Episcopus congregavit iudices, et decreta fuit puellae mors uti *relapsae.* Sequenti die trigesima, summo mane duo Sacerdotes missi sunt ab Episcopo in carcerem Ioannae ut eam ad mortem pararent. Audiens misera puella se esse comburendam, flere incoepit propter hominum malitiam, qui eius incorruptum corpus igni tradebant , doluitque de Episcopo « quod sibi promiserat eam ponere in manibus Ecclesiae, et eam dimiserat in manibus suorum inimicorum capitalium ». Fractum tamen moerore animum statim erexit. In Deum enim omnino confidens, cum interrogaretur: « nonne habebitis vos bonam spem in Domino? Respondit quod sic, *et quod Deo favente esset in Paradiso ».* Sanctissimam autem Eucharistiam, postquam a Fr. Martino Lad venu poenitentiae sacramentum suscepit, ipsamet erflagitavit. Hac de re requisitus fuit Episcopus, nam Fr. Martinus ad eum misit Rev. Ioannem Massieu ut ipsi significaret « qualiter fuerit audita in confessione, et quod petebat sibi tradi sacramentum Eucharistiae. Qui Episcopus aliquos super hoc congregavit, ex quorum deliberatione, ipse dixit quod sibi traderet Ecclesiae Sacramentum ». Hinc Fr. Martinus, quemadmodum ipsemet deposuit : « *ministravit sibi corpus Christi, quod devotissime et cum maximis lacrymis,* tantum quod narrare nesciret, *humiliter suscepit.* Et ab illa hora eam non reliquit usque ad evasionem spiritus ». Ducta deinde fuit puella in plateam veteris mercatus, octingentis circiter anglis militibus circumdata. Super eius caput in quadam charta scriptum fuerat : *haeretica, saya, apostata, relapsa.* In suo itinere, inquit praefatus tribunalis ianitor Massieu : «• *tam pjias lamentationes faciebat,* ut ipse loquens et Frater Martinus a lacrymis continere non poterant, *recommendabat enim animam suam tam devote Deo et Sanctis,* quod audientes ad lacrymas provocabat ». Ipse perfidus Loyseleur cum vidisset puellam « fuit compunctus corde, et ascendit quadrigam volens eidem Iohannae clamare veniam, sed ex hoc fuerunt indignati multi Anglici existentes ibidem, ita quod nisi fuisset Comes de Warwick, ipse Loyseleur fuisset interfectus ». In platea

erant tria spectacula, duo pro iudicibus et praelatis, alterum « ubi erant ligna parata ad comburendum Iohannam ». Cum pervenisset ipsa in plateam, longa subucula induta, uti petierat, coram magna populi multitudine sermonem audivit Magistri Nicolai Midi. Quo absoluto, ille dixit puellae: « vade in pace, Ecclesia te dimittit in manu saeculari ». Nonnulli ex Assessoribus iuste petebant ut iterum abiurationis formula ei per legere tur ; ast perperam, cum e contra condemnationis sententia illico lata est, absque ulla sententia iudicis saecularis. Nam « fuit per Anglicos armatos capta et ducta ad supplicium *cum magna furia* ». Puella flexis genibus preces suas ad Deum iterabat: « *fecit suas orationes ad Deum multum devotissima^* ». Veniam ab omnibus petiit : « *petendo veniam* a iudicibus et ab Anglicis, I^egeque Franciae, et omnibus Principibus eiusdem regni ». Sacerdotes insuper rogavit « *ut unusquisque eorum daret sibi unam Missam* ». Eiflagitavit autem Rev. Massieu, uti ipse deposuit : « quatenus haberet crucem ; et tunc quidam anglicus ibi existens fecit quamdam parvam crucem ex quodam baculo, *quam deosculata est et eam pjosuit in sino suo, cum maxima devotione.* Adhuc tamen habere voluit crucem ecclesiae, et eam habuit ». Deinde salutans adstantes « ducta fuit per tortorem in loco in quo ligna erant parata ad eam comburendum, quae erant in ambone, et per inferius ipse tortor posuit ignem ».

Suprema hac hora bene intellexit puella praedictionem suae liberationis, quam a supernis vocibus audiverat : « Tu seras délivrée, ne te chaille de ton martyre; tu t'en viendras au royaume du Paradis ». Tunc propriam mortem ad suam attinere missionem dilucide perspexit. Hinc non solum Deo et Bmae Virgini, sed et « *Beato Michaeli, Beatae Catharinae,* et omnibus Sanctis se commendavit » ; aiebatque se omnia ex praecepto Dei egisse, uti eius etiam Confessarius Martinus Ladvenu deposuit: « *Usque ad finem vitae manutettuit et asseruit quod voces (quas habuerat erant a Deo, et quidquid fecerat, ex praecepto Dei fecerat,* nec credebat per easdem voces fuisse deceptam, et quod revelationes quas habuerat ex Deo erant ». Eumdem autem confessarium exoravit « *ut levaret crucem Domini alte, ut eam videre posset,* quod et fecit, *et eam amplexandi ac lacry-*

mando deosculabatur ». Denique inter flammas, Iesu nomen continue proferens, extremum emisit spiritum : « *quousque fuit in eccita clamavit Ihesusl »*

Puellae sancta mors adeo omnium admirationem concitavit, ut inimici etiam eius valde deterriti fuerint. Ioannes Tressart secretarius Regis Angliae « rediens de loco supplicii Iohannae, moestus et gemens lamentabiliter plangebat ea quae viderat, dicens: - *Nos sumus omnes perditi, quia bona sancta persona fuit combusta,* et quod credebat animam eius *esse in manu Dei*». Ipse carnifex fassus est: quod tyrannice passa fuerat mortem, et valde timebat quin esset damnatus, *quia combusserat unam sanctam mulierem* ». Magister Ioannes Ad-Ensem Canonicus Rothomagensis, mirabiliter lacrymando aiebat: « *Utinam anima mea esset in loco quod aredo animam esse istius mul'ieris! ».* Idque pariter cupiebat ipse Fr. Martinus Lad venu Ioannae Confessarius. Iudices autem atque hi qui puellae supplicio interfuerant, ceu testes fidem perhibuere: « magnam notam a popularibus incurrerunt, nam postquam ipsa Iohanna fuit igne cremata, *populares ostendebant illos qui inte) fuerant et abhorrebant* ». Prodigia insuper evenere. «A multis enim visum fuit *nomen Iesu* inscriptum in flamma ignis in quo fuit combusta ». Quidam Anglus infensissimus puellae, qui dixerat se velle ponere torrim in eius rogo, dum illius mortem aspiciebat, stupefactus ac immobilis permansit, declaravitque postea se *vidisse columbam* inter flammas evolare. Puellae cor « *remansit illaesum et sanguine plenum* » quod et ipse carnifex confirmavit. Angli vero voluerunt ut cum puellae cineribus eius cor in Sequanum flumen proiiceretur, ne populus ipsius reliquias näheret. Poenae denique tyrannis a Deo inflictae sunt, nam « omnes qui de morte eius fuerunt culpabiles *morte turpissima obierunt* ». Episcopus Cauchon « mortuus est faciendo neri barbam suam ; Nicolaus Midi lepra post paucos dies percussus est ». Promotor Guillelmus Estivet « fuit inventus mortuus in columbario existente extra portam Rothomagensem ». Loyseleur subitanea morte Basileae obiit ; et ipse Dux de Bedfort quatuor post annos in eodem castro moritur, ubi puellam incluserat ! Paullo post, *uti ipsa praedixerat,* Angli e Parisiensi urbe depulsi sunt, deinde a Normandia, ab Aquitania ac a tota Gallia!

Sedatis in Gallia perturbationibus, cum Carolus VII in Rothomagensem urbem ingressus esset, inquisitionem de processu puellae decrevit, sed postea ipsa familia eius, mater nempe ac duo fratres, supplicem hac de re libellum Sanctae Sedi porrigere voluerunt, quem Cardinalis Legatus Guillelmus d'Estouteville Summo Pontifici Callisto III obtulit, ac benignum ab Eo obtinuit rescriptum die undecima Iunii anni 1455, quo tres Apostolicos Iudices instituit, Rhemensem nempe Archiepiscopum Iuvenalem de Ursiniis, Guillelmum Chartier Parisiensem Episcopum ac Riccardum de Longueil Episcopum Constantiensem. Iudiciales inquisitiones factae fuere in patria puellae, pariterque Aureliae, Parisiis ac in Rofhomagensi civitate. Centum ac viginti tres testes cuiusvis aetatis ac conditionis sub religionis iuramento examini subiecti sunt. Denique die 7 Iulii anno 1456 rehabilitationis sententiam iudices ediderant, qua puellae *innocentia* atque *nullitas* Processus condemnationis « tamquam dolosus et malitiosus » declarata est, quemadmodum et abiuratio « falsa, subdola ac nulla ».

TOLOSANA Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servae Dei Ioannae a Tolosa moniali Carmelitarum antiquae observantiae beatae nuncupatae.

Ioanna Tolosana ineunte saeculo XIII nobili genere nata, a pueritia pietate, obedientia, honestate ac suavitate morum, optima de se portendebat. Adulescentulae nihil satius erat quam christifideles et praesertim religiosos eo tempore praeclara virtute illustres, sibi in exemplum proponere; ac terrenis divitiis mundique illecebris abiectis, se totam Deo, uti humilem ancillam, dicare. Hinc quum fratres a Monte Carmelo a Palaestina circa annum 1240 Tolosam advenissent, ibique sedem posuissent; quumque B. Simon Stock Carmelitarum Generalis, Burdigalam petens, per eam civitatem anno circiter 1265 transiisset, Ioanna, occasione statim arrepta, habitum Ordinis Carmelitani postulavit recepitque ab ipso Generali, apud quem etiam votum castitatis emisit. Paterna in domo manens quotidie eiusdem Ordinis Ecclesiam vicinam adibat, ut Missae Sacrificio interesset; ibique divinis Sacramentis frequenter reficiebatur, et omnia devotionis officia libentissime peragebat. Integrae S. Alberti regulae observantissima, prima tertiana Carmelitici Ordinis ac sedula institutrix habita fuit. Poenitentiae et caritatis amantissima utram-

que sociabat, dum in suo corpore mortificationem Christi exhibens quod vitae commoditati iucunditatique subripiebat, in miseros inopia vel aegritudine laborantes sublevandos erogabat Neque tantum corporum, sed animarum praecipue sollicita erga pauperes ac peccatores spiritualia misericordiae opera impense exercebat. Iesus cruci suffixi imaginem uti librum perlegere ac meditari, eamque manu gerere, saepe osculari, lacrymisque irrorare in deliciis habuit. Tandem virtutum et meritorum decore cumulata pie obiit in Domino die 31 Martii 1286, eiusque corpus in Ecclesia Carmelitarum Tolosae inhumatum est. Ad Ioannae supulcrum fama sanctitatis perducti statim convenerunt concives et peregrini, ut ipsius opem apud Deum implorarent, et religioso cultu sacras exuvias venerarentur. Quum vero cultum immemorabilem, publicum et ecclesiasticum permulta documenta tum ante tum intra Urbaniani saeculi ambitum exarata, ac nuperrime in medium prolata apprime comprobent, iudex a cl. me. Card. Iuliano Floriano Felice Desprez, Archiepiscopo Tolosano specialiter deputatus de huiusmodi cultu ab immemorabili tempore praestito, id est ante annum 1534, numquam interrupto et ad hunc diem iugiter continuato, Famulae Dei Ioannae a Tolosa sententiam affirmativam pronunciavit. Quapropter, instante eodem cl. me. Cardinali una cum Rmo P. Aloisio Galli Priore Generali Ordinis, Communitatibus Carmeliticis ac pluribus Galliae Episcopis, Emus et Rmus Dnus Card. Vincentius Vannutelli, Causae Ponens , in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum : « *An sententia lata iudicis delegati a ei. me. Cardinali Archiepiscopo Tolosano super cultu ab immemorabili tempore praestito praefatae Dei Famulae, seu super casu excepto a Decretis s. in. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?»* Emi et Rini Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 29 Ianuarii'1895.

Facta postmodum de his per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 11 Februarii eodem anno.

C. CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secret.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM. De lege ieiunii et abstinentiae anticipanda vel dispensanda ab Episcopis.

Feria IV die 5 Decembris 1894.

Cum recenter ad hanc Supremam Congregationem S. R. et U. Inquisitionis a compluribus Episcopis pervenerint petitiones, quarum omnium una mens erat, abstinentiae legem, de qua valde solliciti sunt, magnis in populorum concursibus aegre admodum ac difficulter variis de causis posse servari et damno potius animarum quam saluti praebere occasionem, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini S. E. R. Cardinales contra haereticam pravitatem in universa christiana republica Generales Inquisitores, in plenario comitio dictae feriae IV die 5 Decembris 1894, re integre proposita ac mature perpensa, decreverunt ut infra, scilicet:

Supplicandum Sanctissimo ut Episcopis aliisque locorum Ordinariis concedere dignetur facultatem anticipandi die sibi benevisa atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Patroni Principalis aut Titularis, vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum et vigiliis per annum ieiunio consecratis; atque ut eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur.

Habita autem per R. P. D. Assessorem S. O. relatione sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, idem Sanctissimus Dominus praesens decretum ratum habuit et confirmavit ac omnibus et singulis locorum Ordinariis facultatem, de qua agitur, perpetuis futuris temporibus concessit ac attribuit, facta tamen in singulis casibus mentione apostolicae dispensationis.

Ios. MANCINI, *S. R. et U. I: Notarius.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 18 Martii 1895.

SSmus Pater Leo XIII habuit hac die in Palatio Apostolico Vaticano Consistorium secretum, in quo pronuntiavit sequentem allocutionem :

ALLOCUTIO Sanctissimi Domini Nostri Leonis Divina Providentia Papae XIII habita in Consistorio die 18 martii 1895 ad S. R. E. Cardinales in aedibus Vaticanis.

Venerabiles Fratres

In litteris Nostris ad Venerabiles Fratres Hungariae Episcopos semel atque iterum missis, cum prospiceret animus quid illic temporum cursus afferre catholico nomini videretur, non obscure significavimus futurorum incommodorum sollicitam expectationem. Revera coepere, quae metuebamus, opinione citius erumpere. — Facile coniicitis quorsum Nostra pertineat oratio : ad ea nimirum, quae haud ita pridem placuit de coniugiis in Hungaria decernere. Ratum lege matrimonium, quod *civile* vocant: permissa divortiorum facultas: iussum, nuptias inire more catholico licere, sed civili ritu antea perfunctis.

Omnia profecto, ut debuerant, experti ac periclitati Episcopi sunt ut ab Ecclesia, a civitate tantum mali defenderent: elaboravit eodem proposito cum Episcopis Clerus : sedulam dedere operam quotquot ex utroque legumlatorum ordine salvam volunt acceptam ab avis et maioribus fidem. Quibus tamen omnibus frustra insumptus est pro caussa iustissima sanctissimaque labor : plus ii valuere, qui cívicos profanare mores, remque Hungaricam in anfractus compellere rerum novarum iamdiu connituntur. Atqui vereri religionem oportebat, cui maxime firmitudinem imperii gloriamque nominis Hungaria debet: pro qua toties adversus immanes hostium impetus memorabili virtute dimicavit: quam ipsam, per summa saepe discrimina inviolate servatam, hodieque multo maxima pars studiose et constanter, ut praestantissimum bonorum, tuetur.

Haudquaquam in animo est, nec ceteroqui necessarium, plura eloqui quo appareat cuiusmodi eae leges sint, quas modo memoravimus, quasque variis temporibus easdem romani Pontifices decessores Nostri, ut veritas postulabat, praeiudicavere,

praesertim quia Nosmetipsi istud de matrimonio christiano argumentum, ex perpetua atque incommutabili Ecclesiae doctrina, alio loco pertractavimus. Nihilominus rem omnino tacitam relinquere, salvo officio, non possumus. Videant, qui maxime debent, illud quam sit calamitosum iustitiâque alienum, formam ineundi matrimonii catholicae genti praescribere, centies Ecclesiae iudicio damnatam. Quas res coniugia pariunt in genere civili, de iis rectum est cognoscere ac decernere, qui praesunt reipublicae: contra de ipso statuere maritali vinculo, muneris Ecclesiae est : propterea quod Christus Dominus eam Ecclesiae suae contulit potestatem, cum nuptias ex officio naturae naturalique contractu in Sacramenta transtulisset. Vix autem attinet christianum dogma recordari de ipsius unitate et perpetuitate coniugii: quibus sublatis, fundamentum illud praecipuum tollitur, in quo familiam civitatemque christianam restitutor ac perfector utriusque Iesus Christus iussit consistere. Cui quidem voluntati divinae, nulli hominum licet impune repugnare.

Ad istiusmodi caussas molestiae atque aegritudinis adlatas foris, illae accedunt quae circumsident domi. Ne persequamur hoc loco singulas, unum illud cogitate quale fuerit, destinatos per Italiam episcopos magno numero sedibus suis prohibitos, dilata in diem ex die litterarum apostolicarum, ut loquuntur, executione. Quod huc plane recidit, intercipere cursum apostolicae auctoritatis, impedire ius proprium ac nativum romani Pontificis, cuius profecto est Antistites sacrorum non modo sublegere, sed in assignata statione, nulla re impediente, collocare. Eo vel magis quod Sedes Apostolica in delectu episcoporum exq insitissima adhibita diligentia, neminem evehere ad id dignitatis consuevit, quin sibi fuerit integritate vitae et laude doctrinae, simulque rerum experientia et quadam velut maturitate consilii probatus; a quibus certe nihil habet respublica, quod metuat: plurimum, quod expectet. Postremo quidem tempore iniuria facti ab iis ipsis videtur intellecta, qui fecerant : nam quae antea obstabant, remota vidimus. Qua re haud sane diffitemur magna Nos sollicitudine curaque liberatus. Quoniamque semel est aequitatis et iuris admissa vox, libet confidere, nulla huius generis impedimenta posthac futura. — Quamquam si fuerit Apostolicae Sedi hac ex parte satis factum, non idcirco tamen mutata admodum censenda conditio Nostra praesens, Romano Pontifici iniuriosa, nec italico fortunata generi; cui Nos conditioni acquiescere

volentes, non sanctitas iuris, non officii conscientia ullo modo patitur. Legitimam apostolici muneris libertatem, Sedisque Apostolicae iura omnia vindicamus, eodemque tenore constantiae nullo non tempore vindicabimus.

Ceterum auctoritatem muneris Nostri primum omnium postulat hodierna die Ecclesia Chaldaica, videlicet suo orbata Patriarcha ob interitum venerabilis Fratris Petri Eliae Obolonian, quem Nosmetipsi Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum rite olim in Consistorio conflrmavimus. Is pie cessit e vita anno proximo superiore, die XXVII mensis Iunii, integritate, religione, beneficentia commendatus. Cui viro haec quoque tribuenda laus, quod, nominatim postea quam decreta ac iussa omnia Constitutionis Pianae *Cum ecclesiastica disciplina* demississime accepisset, reliquo tempore in obsequio Apostolicae Sedis permansit libens et constans. — Eo igitur demortuo, Episcopi Chaldaici ritus in templum Beatae Mariae Virginis prope pagum Alkosch ad synodum congregati, cunctis suffragiis dixere Patriarcham venerabilem Fratrem Georgium Ebed-Iesum Khayyath, Archiepiscopum Amidensem seu Diarbekirensem Chaldaeorum. Litteras hac de re Nobis misere Episcopi suffiragatores: itemque misit Patriarcha electus, adiecta fidei catholicae, ut assolet, suique erga romanam apostolicam Ecclesiam obsequii professione: quibus eisdem litteris cum is, tum illi postulant ut electionem confirmare sacrique Pallii honorem electo tribuere auctoritate apostolica velimus. Perspectis quidem ornamentis animi et ingenii, quae venerabilem Fratrem Georgium Ebed-Iesum Khayyath commendant, explorata spes est, futurum ut communem expectationem digne expleat, collatamque dignitatem magna cum salute Ecclesiae Chaldaicae gerat. Tota hac caussa sacro Consilio Nostro fidei christianae propagandae negotiis Ecclesiarum Orientalium ad cognoscendum permissa, de ipsius sacri Concilii sententia venerabilem Fratrem supra dictum in Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum confirmandum, eique Pallium, de Beati Petri corpore sumptum, hodie concedendum censuimus.

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venerabilibus Fratribus Episcopis Chaldaici ritus factam de persona Venerabilis Fratris Georgii Ebed-Iesu Khayyath, eum praeficientes in Patriarcham et Pastorem Ecclesiae Babylonensis Chaldaeorum, prout in decreto

et schedula Consistorialibus exprimetur: contrariis quibuscumque non obstantibus. In Nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Quod reliquum est, transgredimur ad cooptationem Episcoporum.

Qua expleta allocutione, SSmus proposuit sequentes Ecclesias :

Patriarchalem Ecclesiam Babylonen. Chaldaeorum vacan, per obitum bo. me. Petri Eliae Abolionan, ultimi illius Patriarchae, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Georgii Ebed-Jesu Khayyath Archiepiscopi Amidensis seu Diarbekiriensis Chaldaeorum, unanimiter a RR. PP. DD. Episcopis Catholicis eiusdem Ritus in Ecclesia monasterii Bmae Virginis Mariae prope Alkosc rite congregatis electi seu postulati, ex benignitate Sanctitatis Suae. R. P. D. Georgius Ebéd-Jesus Khayyath sexagesimum octavum aetatis suae annum agens, qui primum mense Octobri anni 1860 a suo Patriarcha Iosepho Audo f. r. Amadiensi Ecclesiae praefectus, ab Apostolica Sede mense Martio 1879 ad Sedem Amidensem Chaldaeorum seu Diarbekiriensem promotus fuit. Is sive dum priori, sive dum alteri ex memoratis praefuit Ecclesiis, non solum inibi resedit, pontificalia solemniter celebravit, sacras peregit ordinationes, sed etiam commissas sibi oves in catholica fide et unitate roboravit.

Archiepiscopalem Ecclesiam Catanien. vacan, per obitum cl. mem. Iosephi Mariae Benedicti, dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Dusmet, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Francica Nava e Dynastis _di Bontifè,_ Archiepiscopi Heracleensis.

Metropolitanam Ecclesiam Fogarasien. perpetuo, etiam nominé ac titulo Alba-Iuliensis ornatam, ritus graeci S. R. E. uniti, vacan, per obitum bo. mem. Ioannis Vanesa, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Victoris Mihalyi de Apsia, Antistitis Lugosiensis Rumenorum ad nominationem Francisci Iosephi I Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Scythopolitanam, certo modo vacantem, favore R. P. D. Fr. Mariani Gavasci Episcopi Nursiae.

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem. Sardian. vacan, per promotionem R. P D. Iulii Tonti ad metropolitanam Sedem Portus Principis, favore R. P. D. Ioannis Ponzi Episcopi Metropolis.

Metropolitanam Ecclesiam de Durango vacan, per obitum bo. me. Iosephi Vincentii Salinas, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Iacobi Zubiria et Manzanera, Presbyteri archidioeceseos de Durango. R. D. Iacobus Zubiria et Manzanera ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Durangi progenitus et sexagesimum primum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, curam animarum per quinque lustra administravit, ac de Durango Ecclesiae Metropolitanae Canonicus ad praesens usque et Vicarius Capitularis, illa sede vacante, renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Neocaesarien. vacan, per obitum bo. me. Placidi Ludovici du Chemin, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Aloisii Lazzareschi, Episcopi dimissioriaril Eugubini.

Cathedralem Ecclesiam Eugubini, vacan, per translationem R. P. D. Aloisii Lazzareschi ad Titularem Ecclesiam Episcopalem Neocaesariensem, favore R. P. D. Macara Sorini, Archiepiscopi Titularis Philippopolitani.

Cathedralem Ecclesiam Comen, vacan, per promotionem, ad Sedem Mediolanensem Emi ac Rmi Domini Andreae Titulo S. Anastasiae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ferrari, favore R. P. D. Theodori Ernesti Mariae Valfrè de Bonzo, Episcopi Cuneensis.

Cathedralem Ecclesiam Fulginaten. vacan, per translationem ad titularem Eccle-

siam Episcopalem Zamen. R. P. D. Albini-Angeli Pardini, favore R. P. D. Caroli Bertuzzi, Episcopi Realini.

Cathedralem Eccleâam Catharen. vacan, per obitum bo. me. Tryphonis Radonicich, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Uccellini, Episcopi Bendensis, qui translatus fuit ad dictam Ecclesiam ad nominationem Francisci Iosephi I Austriae Imperatoris, uti Dalmatiae regni etiam Regis, vigore indulti Apostolici.

Cathedralem Ecclesiam Civitatis Plebis vacan, per obitum bo. me. Pauli Gregorii ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Tacci Porcelli, Presbyteri archidioecesis Firmanae. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Mugliano* Firmanae archidioeceseos progenitus et in trigesimo secundo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia ei utroque iure doctoralem lauream assecutus, inter alumnos academiae nobilium ecclesiasticorum de Urbe adscitus est.

Cathedrales Ecclesias Callien. et *Pergulan.* invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per translationem R. P. D. Ioannis Baptistae Scolti ad sibi invicem unitas Sedem Auximanam et Cingulanam, favore R. D. Iosephi Mariae Aldanesi, Presbyteri Corneti-Tarquiniae. R. D. Iosephus Maria Aldanesi ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Corneti Tarquiniae progenitus, et sextum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, philosophiae, sacrae theologiae, ac iuris utriusque doctoralem lauream assequutus, Canonicus Praepositus et hucusque Archidiaconus Cathedralis Suae renunciatus, Pro-Vicarii Generalis convisitatoris et examinatoris prosynodalis perfunctus muneribus, inter Sanctitatis Suae intimos cubicularios supranumerarios cooptatus est.

Cathedrales Ecclesias Fabrianen. et *Mathilicen.* invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per translationem ad sedem Eugubinam R. P. D. Macarii Sorini Archiepiscopi, Philippopolitani, favore R. D. Aristidis Golfieri, Presbyteri Imolensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Luci, dioeceseos Imolensis progenitus et quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, examinatur pro-Synodalis, et Canonicus Praebendati eiusdem Cathedralis hucusque renuntiatus est.

Cathedralem Ecclesiam Reatin. vacan, per' translationem ad Sedem Fulginatensem R. P. D. Caroli Bertuzzi, favore R. D! Bonaventurae Quintarelli, Presbyteri Balneoregiensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Balneoregii progenitus, ac quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, in philosophia, sacra theologia, et in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, Cathedralis Canonicus prius et seminarii Rector constitutus, inibi philosophiae, theologiae moralis, atque dogmaticae tradidit praelectiones.

Cathedralem Ecclesiam Forolivien. vacan, per promotionem ad Sedem Bononiensem Emi. ac Rmi. Domini Dominici titulo S. Onophrii S. R. E. Presbyteri Cardinalis Svampa, favore R. D. Raymundi Iaffei, Presbyteri Firmanae archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus, progenitus et quadragesimum octavum aetatis suae annum supergressus, pluries Examinator Pro-Synodalis, et Canonicus ad honores Collegiatae S. Michaelis Arcangeli adlectus, hucusque Parochus Ss. Cosmae ac Damiani, nec non S. Catharinae Firmana in urbe renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Tiburtin. vacan, per promotionem ad sedem Camerinensem cum ei adnexa perpetua administratione Ecclesiae Treiensis R. P. D. Coelestini del Frate, favore R. P. Fr. Gulielmi Mariae d'Ambrogi Presbyteri romani ac Ordinis Eremitarum S. Augustini. R. P. Fr. Gulielmus, in saeculo Marianus d'Ambrogi, ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitus, et unum super sexagesimum aetatis suae annum supergressus, Lectoris, Pro-Regentis sui Ordinis, Magistri atque Doctoris in sacra theologia, atque in Dei verbo tum Romae, tum alibi praedicando perfunctus muneribus, Parochus et Prior ad Coenobium S. Mariae de Populo ac etiam Romanae provinciae Rector constitutus est. Inter S. Congregationis Indicis Consultores adiunctus et a sui Ordinis Generalis Capitulo Definitur Generalis

adlectus, novissime ad Custodi Sacristi Pontificii adiutricem operam exhibendam assumptus est.

Cathedralem Ecclesiam Nursin. vacan, per promotionem ad Ecclesiam Titularem Archiepiscopalem Scythopolitanam R. P. D. Mariani Gavasci ex Ordine Minorum Capulatorum S. Francisci, favore R. P. Fr. Nicolai Ranieri Ordinis Reformatorum Minorum pariter S. Francisci. R. P. Fr. Nicolaus, in saeculo Dominicus Antonius Ranieri ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Tuderlinae dioecesis progenies et secundum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, humaniorum litterarum, philosophiae, theologiae dogmaticae atque moralis, nec non iuris canonici Lectoris perfunctus munere, tribus vicibus Provincialis, aliorumque Ordinis Provincialium Visitator Generalis constitutus est.

Cathedralem Ecclesiam Marsorum vacan, per promotionem R. P. D. Henrici de Dominicis ad Sedem Amalphytanam, favore R. D. Angeli Mariae Aloisio Presbyteri archidioeceseos Aquilanae. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenies et quinquagesimum nonum aetatis suae annum supergressus, examinatur antea pro-Synodalis ac postmodum Synodalis constitutus, omnibus Aquilae monasteriis spiritualem agit Moderatorem.

Cathedrales Ecclesias Melphicten. Tuvenacen. ac Terlitien. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Paschalis Corrado, ultimi illarum Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Paschalis Picone Presbyteri Aversanae dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Casalucis Aversanae dioecesis progenies, et quinquagesimum nonum aetatis suae annum supergressus, examinatoris pro-Synodalis, atque Cleri aversani Congregationis Moderatoris perfunctus muneribus, ad praesens usque Aversani Capituli Canonicus eiusque dioecesis pro-Vicarius in spiritualibus Generalis renuntiatus est.

Cathedralem Ecclesiam S. Severi vacan, per obitum bo. me. Stanislai de Luca ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Bonaventurae, in saeculo Antonini Gargiulo, ex Ordine Minorum Capulatorum, Presbyteri Surrentinae archidioecesis. R. P. Fr. Bonaventura, antea Antonius Gargiulo, ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenies et in quinquagesimo secundo aetatis suae anno constitutus, Missionibus Apostolicis in Anglia obeundis penes dioecesim Salopiensem, *Shrewsbury,* adlectus pluries hetaeriarcha ac suae monasticae provinciae neapolitanae ac Definitur effectus, ad S. Agnelli Monasterium hucusque Custodis munere perfunctus, et academiae ecclesiasticae Surrentinae humilium S. Thomae Socius Fundator renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Salutiarum vacan, per obitum bo. me. Alphonsi Buglione a Monale, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Mathiae Vicario, Presbyteri archidioecesis Vercellensis. Qui legitimis, catholicis, honestisque parentibus Fontaneti ad Padum progenies, et quintum supra quadragesimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Basilicae Metropolitanae Vercellensis Canonicus Theologus et Cantor Maior adlectus illo in seminario sacrae Scripturae Professor, ipsa in Curia matrimoniorum Advocatus Defensor et pro-Synodalis Examinator constitutus est.

Cathedralem Ecclesiam Mutuari, vacan, per promotionem ad Sedem Patriarchalem Venetiarum Emi ac Rmi Domiui Iosephi Titulo S. Bernardi ad Thermas S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sarto, favore R. D. Pauli, Caroli Francisci Origo, Presbyteri Mediolanensis. Qui ex legitimis, catholicis , honestisque parentibus Mediolani progenies et quinquagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, Congregationi Oblatorum dedit nomen, eiusque Congregationis Praepositus adlectus et S. Caroli domus Superioris munere perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Sibenicen. vacan, per obitum bo. me. Antonii Innocentis, Iosephi Fosco , ultimi illius Antistitis, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Malthei Zannoni, Presbyteri dioecesis Spalatensis ad nominationem Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici. Qui

ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Tragurii, *Trau,* Spalatensis dioeceseos in Dalmaltia progenitus et sexagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia doctorali laurea dudum insignitus, Tragurii Archipresbyter—parochus et Abbas ad praesens usque renunciatus est.

***Cathedralem Ecclesiam Augustan.* vacan, per obitum bo. me. Pancratii Dinkel, ultimi illius Episcopi, extra Romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Petri Hoetzl Ministri Provincialis Fratrum Minorum Reformatorum Provinciae Bavariae, Presbyteri Monacensis in Bavaria, ad nominationem Serenissimi Bavariae Regni Regentis, vigore indulti Apostolici. R. P. Fr. Petrus Hoetzl in saeculo Aloysius ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Monacensi in urbe Bavariae progenitus et quinquagesimum octavum aetatis suae annum supergressus, variis in locis animarum gerens curam, in suo Ordine Deflnitoris, Custodis, ac totius provinciae Bavaricae semel, iterumque ad praesens usque Provincialis Ministri muneribus perfunctus est.**

***Cathedralem Ecclesiam Verae Crucis,* seu *Jalapen.* in ditione Mexicana Americae Septemtrionalis, vacan, per obitum bo. me. Ignatii Suarez Peredo, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioachimi Arcadii Pagaza, Presbyteri Mexicanae archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus, in philosophia ac utroque iure baccalaurei gradu donatus, Parochi munere quatuordecim annis perfunctus, Canonicus ad praesens usque Mexicanae Ecclesiae illius Archipraesulis Secretarius Generalis, atque Seminarii Rector renunciatus est.**

***Titularem Ecclesiam Episcopalem Zeugmaten.* sub Archiepiscopo Hierapolitan. certo modo vacan, favore R. P. D. Raphaelis Rossi, Presbyteri archidioeceseos Beneventanae, in Coadiutorem cum futura successione deputati R. P. D. Nicolai de Simone, Antistitis Bovensis. R. P. D. Raphael Rossi ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus, et quartum supra quadragesimum aetatis suae annum supergressus, in facultatibus philosophicis ac theologicis doctoralem lauream, et in utroque iure licentiae gradum assecutus, a duobus lustris Tarantinae archidioecesis Vicarius in spiritualibus generalis renunciatus est.**

***Titularem Ecclesiam Episcopalem Nilopolitan.* sub Archiepiscopo Oxyrynchio vacan, per successionem ad Sedem Nuscanam R. P. D. Iosephi Consenti e Congregatione SSmi Redemptoris, qui deinceps ad Lucerinam Sedem translatus fuit, favore R. I). Theodosii Mariae Gargiulo, Presbyteri Lyciensis atque in Coadiutorem cum futura successione deputati R. P. D. Thomae Montefusco, Episcopi Uritani. R D. Theodosius Maria Gargiulo ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Lycii progenitus et quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, pro causis Servorum Dei Notarius Ecclesiasticus et Cathedralis Ecclesiae Canonicus hucusque renunciatus est.**

***Episcopalem Ecclesiam titularem Samosaten.* sub Archiepiscopo Hierapolitan. vacan, per obitum bo. me. Isidori Francisci Iosephi Colombert, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Henrici Grazioli, Presbyteri archidioecesis Ferrariensis, in Auxiliarem deputati Emi ac Rmi Domini Aegidii Titulo S. Barholomaei in Insula S. E. R. Presbyteri Cardinalis Mauri Ferrariensis Archiepiscopi. R. D. Henricus Grazioli ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Bononiae genitus, metropolitanae Ferrariensis Canonicus et hucusque Praepositus renunciatus, Sedis ipsius dum vacabat Vicarii Capitularis ac ad praesens Pro-Vicarii Generalis munere perfunctus est.**

***Titularem Ecclesiam Daulien.* sub Archiepiscopo Atheniensi vacan, per promotionem R. P. D. Antonii Buglione ad Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Caesareae Ponti et ad Coadiutoriam Sedium Compsanae et Campaniensis, favore R. D. Americi Cialente, Presbyteri archidioecesis Aquilanae. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus ac sexagesimum primum aetatis suae annum supergressus, in iure canonico dudum doctorali laurea donatus, Pro-Synodalis antea, actutum Synodalis, Cathedralis Aquilanae Vicarius extitit Curio, et ad praesens usque Canonicus Poenitentiarius renunciatus est.**

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Metropolitanam Ecclesiam Portus Principis in ditione Haitiana Americae Centralis vacan, per obitum bo. me. Constantis Mauritii Hilion, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iulii Tonti Archiepiscopi Sardiani, Delegati Apostolici et Extraordinarii Legati apud Respublicas S. Dominici, Haitianam ac de Benezuela.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Caesareae Ponti vacan, per assignationem Tituli SS. Quirici ae Iulittae, factam Emo ac Rmo Domino Iosepho Mariae S. R. E. Presbytero Cardinali Granniello, favore R.P. D. Antonii Buglione, Episcopi Dauliensis, constituti in Coadiutorem, cum futura successione, R. P. D. Salvatoris Nappi, Archiepiscopi Compsani et Administratoris Campaniensis.

Cathedralem Ecclesiam Cracovien, vacan, per obitum clar. me. Albini S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Dunajewski, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Kniaz de Kolzielsko Puzyna, Episcopi titularis Memphitensis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Zamen. sub Archiepiscopo Carthaginensi vacant, per obitum bo. me. Friderici Mascarelti, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Albini-Angeli Pardini ex Ordine Canonicorum Regularium Lateranensium S. Petri ad Vincula ac dimissionarii Episcopi Fulginatensis.

Ecclesiam de Cuemavaca in Mexicana ditione Americae Septemtrionalis per Suas Apostolicas Litteras « *Illud in primis* » datas nono Kalendas Iulii 1891 ab archidioecesi Mexicana seiunctam, ad Cathedralis honorem evectam et ab hac primaeva erectione sua vacantem, favore R. D Fortini Hippolyti Vera, Presbyteri archidioeceseos Mexicanae. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Tequisquiac* Mexicanae archidioecesis progenitus, et in sexagesimo aetatis suae anno constitutus, in Amecameca Parochi munere aliquando perfunctus et Collegiatae de Guadalupe Canonicus ad praesens usque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam SSmae Assumptionis de Paraguay in America Meridionali vacan, per obitum bo. me. Petri Ioannis Aponte, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Symphoriani Bogarin, Presbyteri dioeceseos SSmae Assumptionis de Paraguay. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in dioecesi SSmae Assumptionis de Paraguay progenitus, ac trigesimum secundum aetatis suae annum agens, illius Curiae episcopalis a Secretis adlectus, semel iterumque Matricis Ecclesiae Curatus Rector, et ad praesens usque in Cathedrali de Paraguay Parochi munere perfunctus est.

Ecclesiam titularem Episcopalem Cumen vel *Cymen.* sub Archiep. Ephesino certo modo vacatae, favore R. P. D. Caroli Quaroni Presbyteri. Qui legitimis, catholicis honestisque parentibus Romae progenitus et in sexagesimo secundo aetatis suae anno constitutus, inter Sanctitatis suae Protonotarios Apostolicos ad instar participantium assumptus, novissime Patriarchalis Basilicae Liberianae Canonicus renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Apollonien. sub Archiepiscopo Thessalonicen. vacan, per translationem ad Sedem Xylopolitanâm, *Bois City,* R. P. D. Alphonsi Glorieux, favore R. P. Fr. Francisci a Laureto, Ordinis Minorum Capulatorum S. Francisci. R. P. Fr. Franciscus, ante professionem Aloisius Dominicus Cenci, ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Laureti progenitus, et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, philosophiae, sacraeque theologiae Doctor adlectus, earumdem facultatum Lectoris, Consultoris ac Definiloris Generalis muneribus in suo ordine perfunctus, inter Sacrorum Rituum atque Episcoporum ac Regularium Congregationem Consultores adscitus, et Concionator Apostolicus renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Eudocien. sub Archiepiscopo Pessinuntio, vacan, per obitum bo. me. Aemilii Iosephi Pourbaix, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Petri Antonii Antivari, Presbyteri archidioeceseos Utinensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus et

sexagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, Rectorem agens Utinensis seminarii, illius Capituli Canonicus ornamentarius, inter Consiliarios socios disciplinae pro clero, et Examinatores pro-Synodales adscitus est.

Ecclesiali Tolimen. **Cathedralis titulo honestatam, et a sua nova erectione vacantem, favore R. D. Stephani Rojas, Presbyteri Popayanensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido territorii Tolimensis ac dioecesis Popayanensis progenitus atque sextum supra trigesimum aetatis suae annum supergressus, Alumnis Collegii Pii Latini Americani adiunctus, in nonnullis Tolimensis territorii civitatibus curam animarum gerens, ad praesens usque in oppido** ***Timanà*** **nuncupato Parochus, et Vicarius Foraneus ab Episcopo Popayanensi renunciatus est.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Colonien, **sub Archiepiscopo Sebasteno certo modo vacan, favore R. D. Iacobi Costamagna e Congregatione Salesiana, presbyteri archidioeceseos Taurinensis. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco archidioeceseos Taurinensis progenitus, et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus, Congregationi Salesianae iampridem addictus, licentiae gradu in sacra theologia penes Universitatem Taurinensem donatus, suae Congregationis Ministri Provincialis muneribus perfunctus est. Novissime vero pro regione Méndez et Qualaquiza in Aequatoriali Republica Vicarius Apostolicus renunciatus fuit.**

Deinde SSmus Dnus Noster anuuntiavit sequentes Antistites promotos per suas Litteras in forma Brevis:

Archiepiscopos :

Portus Principis **iulium Tonti.**
Amidensem **Franciscum Sogaro.**
Caesareae Ponti **Antonium Buglione.**
Adelaidensem **Ioannem O'Reilly.**
Sancti Bonifacii **Aloisium Philippum Adelardum Langevin.**

Episcopos :

Trapezopolitamm **Bartholomaeum Woodlock.**
Cracoviensem **Ioannem Kniaz de Kolzielsko Puzyna.**
Sancti Ioannis Terrae Novae **Michaelem Franciscum Howley.**
Zamensem **Albinum Angelum Pardini.**
Cuernavacensem **Fortinum Hippolyten Vera.**
Belemensem de Para **Antonium Emmanuelem Castilho Brandao.**
SSmae Assumptionis de Paraguay **Symphorianum Bogarin.**
Cumensem **Carolum Quaroni.**
Apolloniensem **Franciscum Cenci.**
Eudociensem **Petrum Antonium Antivari.**
Elphinensem **Ioannem Clancy.**
Clazomensem **Aloisium Piazzoli.**
Teium **Henricum Hanlon.**
Zaraitensem **Stephanum Sánchez de las Heras.**
Tabracensem **Antonium Guillermain.**
Arcadiopolitanum **Theophilum Mayer.**
Gazaeum **Henricum Van de Wetering.**
Amastrianum **Antonium Mariam Roveggio.**
Hamathensem **Stephanum Sylvanum Iongla.**
Caesareae Philippi **Georgium Macaire.**

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

GNESNEN, ET POSNANIEN.

MATRIMONII

Die 23 Iulii 1892 et 1 Septembris 1894.

Sess. 24 cap. 9 De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Martinus 28 annos natus matrimonium catholico ritu contraxit die 4 Februarii 1884 cum puella 17 annorum, Marianna, in ecclesia parochiali archidioecesis Gnesnensis ; at infausto prorsus omine, cum Marianna, alii amasio iam antea addicta, nonnisi per metum a proprio patre incussum ad nuptias cum Martino celebrandas coacta videatur. In primis enim Marianna ipsa, in supplici libello Curiae archiepiscopali gnesnensi dato sub die 21 Aprilis 1888, asseverat :

« Ad matrimonium hoc ineundum coacta fui a patre meo, qui minatus est me necaturum, si Martinum in matrimonium non ducam. Imo factum est, ut pater gladio me transfigere voluerit, quum matrimonium hoc respuebam .... uti filia 17 annorum inii quidem matrimonium, sed tamen propter minas et vitae meae securitatem, contra meam voluntatem et cum invincibili abiectione erga Martinum » et hanc coactionis metusque incussi rationem assignat : « Pater meus, qui debebat Annae Wyngriskae in Rubin ducentos taleros, totus in hoc erat, ut adiumento pecuniae, a Martino praestito, subhastationem fundi sui, quae a iudicio civili iam erat decreta, averteret ».

Concinit Mariannae pater, qui iuratus deposuit: « concedo Mariannam filiam meam a me ad matrimonium cum Martino coactam fuisse. Matrimonium hoc opportunum mihi videbatur, quia istius pecuniis venditionem sub hasta domus meae abstuli.... et confiteor, nisi ipsi minitatus fuerim, eam non contracturam fuisse ».

Quatuor insuper testes sub iuramenti fide hoc ipsum plus minusve confirmant.

Expletis nuptiis, perseveravit Marianna in sua animi aversione erga virum suum Martinum. Praetextu emendicato aliquot amplius dies in domo patris commorandi, ad viri domum in vicino pago sitam ire imprimis noluit. Revertenti viro die 11 Februarii causae arcessendae uxoris, haec -ire adhuc noluit, subiungens : « Pater meus proficiscatur, quum ad istud matrimonium me coegerit » ; attamen insequenti die, imperio patris impulsa, cum viro profecta est, quin supradictam animi aversionem dimitteret. Nam vir sub iuramenti fide deposuit : « Ipsa die 12 Febr. officium matrimoniale implere tentavi, sed uxor infirmitate se excusavit. Die 13 Febr. denuo conatus sum, tamen copula non completa fuit, quia ipsa restitit.... Copulam carnalem cum ipsa *per totum cohabitationis nostrae tempus* perfeci ter, iam simul connumerando illos supra dictos duos conatus ».

Quod quidem totum cohabitationis tempus perduravit tantum usque ad diem 3 proxime sequentis Martii, qua Marianna virum suum deseruit, et paternam domum repetiit, *adiurans,* teste Catharina Neuman, « se non posse cum Martino vivere, se ipsum ferre non posse, ipsum foetere, sese «submer suram esse, nec reversuram ». Pater vero, qui speratam pecuniam a Martino iam acceperat, filiam suam, ut rediret, cogere desiit.

Mox plane dissolutae vitae dedita infelix mulier, cum compluribus viris amores contraxit, ac die 23 Decembris anni 1885 filium peperit, quem Martinus ex adulterio conceptum esse constanter asseruit contra Mariannam, ex eo quod iam a die 3 Martii 1884 omnis vitae coniugalis consuetudo dirempta erat.

Res tandem eo devenit, ut Martinus in foro civili propter Mariannae adulterium, non propter vim et metum, nec propter inconsummationem, peteret sui matrimonii dissolutionem. Qua consequuta iuxta civiles leges illius regionis, ad Curiam archiepiscopalem gnesnensem convolavit, postu-

lans ut matrimonii vinculum dissolveretur, sive ex eo quod matrimonium ratum tantum manserit, sive ex capite vis et metus a Marianna passi. Et cum praefata Curia huiusmodi petitionem excipere renuisset, - quia dissolutio matrimonii rati et non consummati spectat ad tribunal Summi Pontificis, actio vero accusandi matrimonium ex titulo vis et metus non competit nisi ei, qui vim et metum passus est, - ad Sacratissimum Principem confugit Martinus, obtinuitque ut processus conficeretur in Curia gnesnensi, tam super asserto nullitatis capite, quam super asserta inconsummatione matrimonii.

Notandum autem est, quod dum apud S. Sedem Martinus instabat pro consequutione memoratae gratiae, supplicem libellum Curiae gnesnensi dabat Marianna sub die 21 Aprilis 1888, petens et ipsa dissolutionem matrimonii ex titulo vis et metus ; cui quidem petitioni nescitur quid responsum fuerit a praefata Curia.

Haec interim vix ac SSmi mandatum accepit, processum conficere curavit audiens testes supra memoratos, ipsumque Martinum, qui fere eadem ac supra relata recinit. Ad audiendam vero Mariannam, quae in Magno Ducatu Mecklenburgensi degit, quaeque licet citata non comparuit coram ecclesiastico tribunali, a Curia delegatus fuit iudex civilis illius loci ; et coram eo sequentem Marianna fecit depositionem : « Forsan per quatuor hebdomadas vixi cum viro Martino, qui reapse durante hoc tempore per copulam mecum matrimonium consummavit. Litteras de die 21 Aprilis 1888 praesentatas mihi in versione germanica et lectas, scripsit ex mandato meo scriba Degorsk in Wagrourec de Prochnowo villa, in qua eo tempore serviebam, dabam ad Iudicium ecclesiasticum. Quidquid in litteris continetur veritati correspondet et ego repeto preces in eis contentas. Si opus sit, qua actrix contra Martinum rogo, ut testes a me citati audiantur, eo fine, ut ex capite vis et metus et defectu consensus matrimonium etiam a potestate ecclesiastica nullum declaretur ».

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Quum multa notavisset de processus instructione, ait : quod si de ipsis meritis huius causae quaeratur, universa disceptatio videtur posse duobus quaesitis sive dubiis comprehendi :

I. An Curia gnesnensis in casu recte suspendent ulteriorem inquisitionem de causis dispensationis concedendae super matrimonio rato et non consummato ?

II. An iuxta allegata et probata in casu certo constet de nullitate matrimonii ex capite metus, iniuste incussi atque relative gravis ?

Cui duplici quaestioni videtur respondendum :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative, donec acta iudicialia aut suppleantur aut sanentur.

1. Responsionis ad primum dubium propositae videtur posse dari brevis atque facilis ratio. Nam confessionibus utriusque coniugis, Martini et Mariannae constat, matrimonium ipsorum fuisse vere consummatum.

Et ideo legitima videtur posse deduci conclusio, Curiam gnesnensem ulteriorem inquisitionem de causis concedendae dispensationis super matrimonio rato recte suspendisse. Nam stante certa probatione de consummatione matrimoni, ex iure divino impossibilis est dissolutio matrimonii ; ergo per ulteriorem inquisitionem laudata Curia oleum et operam perdidisset atque aerem verberasset ; sed ad actus inutiles nemo obligatur ex rescripto pontificio. Eadem est conclusio, etiamsi quis existimet, in casu non plena certitudine, sed magna tantum probabilitate consummationem matrimonii esse demonstratam. Nam Sedes Apostolica dispensationem concedere nec solet, nec legitime potest, ubi proximum est periculum violandi ius divinum, nisi verum quoddam dubium iuris vel facti praevie resolvatur.

Reliquum est, ut responsio ad secundum et principale dubium aptis argumentis probetur. Qua in re quid iuris sit, non

latius est exponendum. Nam explorati iuris est, matrimonium ex vi et metu contractum esse irritum, si 1. metus ille sit in se saltem relative gravis et ab extrinseco, iniuste directeque ad extorquendum matrimonium incussus, 2. neque postea prior dissensus, cessante metu, in consensum maritalem legitime transierit. *Cfr. cap. 14,28, 21. X de sponsali. IV, 1; Feije, De imp. et disp. matr. n. 128 sq. 143.*

Universa igitur disputatio ad hoc reducitur, utrum in casu *facta* hisce *iuris* requisitis *certo* correspondeant. Nam « matrimonium (est) per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi *evidentes* rationes eiusdem nullitatem demonstraverint ». *Ita S. Cinq. § 39, et S. C. de Prop. F. § 40, in cit. Instr. a. 1883.* Suntne in casu rationes evidentes, quibus nullitas matrimonii probetur ? Probatio ista evidens unice potest erui ex depositionibus testium, qui in actis reperiuntur.

At testes isti imprimis numero sunt paucissimi. Nam inter testes, qui ab actore et actrice distinguuntur, unice refertur pater actricis, deinde vir quidam inferioris conditionis, qui pauca verba profert, testimonium scriptum Quaestoris, tandem tres mulieres, e quibus duae sunt viduae. Qui numerus exiguus eo magis est in favorem vinculi matrimonialis urgendus, quod praesertim duo testes disertis verbis a duabus laudatis *Instruct. S. C. Inquis. et S. C. de Prop. F.* et etiam a Defensore vinculi expresse requisiti sci. mater actricis et parochus non fuerint citati et examinati. *V. g. § 39, cit. Instr. S. C. de Prop. F.* legitur : « Ad praedicta cognoscenda (i. e. de metu) in iudicium vocandi erunt ambo coniuges eorumque *parentes,* illi *praesertim,* qui de coactione adhibita accusantur . . . . Post istos vocandi *parochus* vel *alius sacerdos,* qui matrimonio *adstitit ».*

Quod si testes numero non commendantur, idem valet quoad probitatem et credulitatem authentice confirmatam; nam de istis qualitatibus tantum constat ex supra commemorata clausula, quod testes fuerint personae « non pu-

nitae ». Quae clausula requisitis in foro ecclesiastico non satisfacit ; hinc *cit. § 39, iudici ecclesiastico a S. C. de Prop. F. iniungitur:* « Curet ut quoad singulas personas parochorum testimonium obtineat de ipsarum probitate atque credulitate ». Huiusmodi attestationes, quae in actis processualibus aliarum causarum matrimonialium reperiuntur *cfr. Acta S. Sed. vol. XXII p. 86,* in hac causa non existunt. Quis vero sit iste Quaestor, ex actis non apparet, cum pro more magistratuum suum nomen ita apposuerit attestationi scriptae, ut legi non possit ; praeterea utrum sit catholicus vir honestus, an forte Hebraeus vel Protestans plane non liquet ex actis.

Restat inquirendum, num depositiones factae revera plene probent metum supra descriptum. « Porro gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum, a quibus illae proficiscuntur, tum eorum, qui eas passi dicuntur. Ista tria itaque erunt praesertim investiganda ». Praeter hanc normam a S. C. de Prop. F. in *cit. Instr. § 36* stabilitam ad gravem metum eruendam iuxta § *38* eiusdem Instr, attendendae sunt circumstantiae, quae matrimonium praecedunt, comitantur, sequuntur.

His duabus normis praestitutis imprimis dubium existere vix videtur, quin vera quaedam intercesserit coactio per patrem Mariannae. Ipse enim pater Mariannae sub iuramento et in forma legitima fatetur coram iudice ecclesiastico, sese filiam suam coegisse ad matrimonium, omnes testes de hac re conveniunt, ipsa quaedam fama publica exstitit tanquam de negotio satis notorio, ut patet ex attestatione Quaestoris. Quare solummodo quaeritur num metus iste fuerit gravis.

Quodsi tantum attendatur depositio et confessio patris res difficultate non caret. « Concedo inquit Mariannam filiam meam a me ad matrimonium cum Martino coactam fuisse. Matrimonium hoc opportunum mihi videbatur; quia istius pecuniis venditionem sub hasta domus meae abstuli. *Probabiliter* verbera ei minatus sum, sed non recordor, me ipsam

percussisse.... Confiteor, nisi ipsi minitatus fuerim, eam non contracturam fuisse.... Non *memini,* num gladium supra ipsam vibraverim, sed hoc certo scio, me ipsam gladio non percussisse ». Hisce verbis minae *natura sua* graves certe non adeo clare continentur. Sane verbera aut minae de verberibus infligendis sunt sine dubio ratio gravis timoris ; at « probabiles » minae de verberibus aut verbera, cpiorum *quis* non recordatur, vibratio gladii, cuius non meminit, non sunt certa testimonia de obiecto metus gravis. Item illa circumstantia, quod Marianna sine minis non contraxisset istud matrimonium, probat existentiam minarum, sed non illarum gravitatem ; nam si quis minis levibus adigitur ad rem faciendam, etiam nisi minitatio facta fuisset, a re facienda abstinuisset. Quare ut ex confessione patris Mariannae eliciatur probatio de metu gravi ex natura minarum, unice restat modus quidam loquendi, secundum quem coactio ita absolute enuntiata denotat coactionem per violentiam gravem, non per metum levem. Hinc alii testes adeundi sunt, ut de qualitate minarum maior habeatur certitudo.

Qua In re sane non magnam vim habet, quae testatur Catharina Neumann : « Ante nuptias narrabat mihi, i. e. Marianna, patrem sibi minatum esse verbera » aut si Emilia Rhode in actis declarat : « Narrasse quoque Mariannam, patrem ipsi minatum esse non solum verbera et eiectionem e domo, sed etiam de facto verberasse ipsam. Propriis oculis se non percepisse, illum eam verberasse, audivisse tantum ipsi illum minatum esse, nisi Martino nupsisset, se ipsam flagellis caesurum (contusurum) et e domo eiecturum esse ». Profecto minae verberum, verbera, eiectionis e domo comminatio constituunt gravem vim illatam ex ipsa natura et materia minarum. *Cfr. cit. Instr. S. C. de Prop. F.* § *37;* « Eiectio e paterna domo . . . . verbera » tanquam exempla allegantur. Verum enim vero in casu duae illae mulieres verbera illa ipsae non viderunt, neque suis auribus minas illas patris Mariannae audierunt, sed universam rem perceperunt ab ipsa Marianna ; ergo duplex istud testimonium

reducitur ad assertionem unius Mariannae quae est actrix, non testis in causa ; insuper est mulier libidinosa et impudica atque de variis mendaciis in hac causa saltem probabilissime suspecta. Ita v. g. Marianna asserit varias copulas carnales intercessisse cum Martino, ex quibus natus sit filius ; e contra Martinus optimo iure asserit et sustinet, ex adulterina copula illum filium genitum esse. Denique Marianna in suis depositionibus coram iudice civili verbera sibi a patre inflicta esse non commemorat, licet loquatur de comminatione occisionis atque adeo subiungat, quod pater ipsam voluerit gladio interficere. At ex verbis Mariannae non satis eruitur, utrum pater tantum *verbis* minatus sit, se Mariannam velle gladio interficere, an *actu* terroris incutiendi causa, gladium super ipsam vibraverit. Quaestor quoque in suo testimonio asserit, secundum informationes factas patrem Mariannae verbera non inflixisse, sed tantum persuasionibus. Hinc verbera actu inflicta ex obiectis minarum videntur omnino expungenda. Comminatio occisionis et vibratio gladii et minae de vulnerationibus corporalibus sane constituerent metum natura sua gravem ; at de duabus prioribus assertionibus iterum tantum constat confessione quadam extraiudiciali actricis, quae ex se et attenta mulieris perversitate plenam fidem in iudicio ecclesiastico non potest facere. Tertia vero assertio nititur attestatione Quaestoris, quae plene in tribunali ecclesiastico non probat, si solummodo ratio habeatur eorum, quae iam supra de procedurae forma exposita sunt. Accedit quod in illo testimonio Quaestoris reperiantur verba, quae factum quoddam probabile redduut.

Ex omnibus igitur testibus duo remanent, quorum depositiones de natura minarum sint excutiendae. Marianna in sui favorem citat Catharinam Koralewska, quae coram iudice ecclesiastico in forma legitima haec attestatur: « Marianna ante nuptias adibat filias meas et enarrabat, sibi matrimonium obvenire, quia ipsam Martinus.... ducere exoptat ; sed ipsa ei nubere non vult, quia eum aegre fert. Ideo contuli me ad patrem eius, cui, ne puellam ad matri-

monium cogeret, exposui. Ipse mihi respondit : Quid ista meretrix despicit talem virum; numquid vult, ut hinc indusio exeamus? *Nisi ipsi nupserit, occidam illam!'*» De cetero nihil scit, de *aliis minis* factis, quod istam sclopeto necaturus sit et similibus *nihil audivit.* « Ad patrem praedicta explicandi gratia precibus Mariannae compulsa me contuli ». Hactenus acta.

Profecto illis verbis : « Nisi ipsi nupserit, occidam illam » malum in se grave enuntiatur ; porro Catharina Koralewska haec verba propriis auribus audivit, non per relationem aliorum intellexit. Nihilominus etiam contra hanc attestationem haud levis restat difficultas. Ut minae graves sint gravemque incutiant metum, non sufficit verba minatoria proferre *coram aliis personis,* sed intimanda sunt personae, quae coactioni subiicitur ; at in casu pater verba illa protulit coram Catharina Koralewska, non coram sua Marianna.

Ultima iam spes certi testimonii directi de gravitate minarum ex earum qualitate et natura petiti reposita est in Andrea Relis, qui praeter Quaestorem, a Martino unice ut testis citatur hisce verbis : « Coactio haec, postea comperi, erat gravis quoniam ex testimonio Andreae Relis..... pater eius, i. e. Mariannae, gladium super capite eius vibrabat, et sclopeto, se eam necaturum esse minabatur, si mecum matrimonium inire nollet ».

At quid Andreas Relis coram delegato iudice ecclesiastico in forma canonica testatur? « *Scio* (inquit) Valentinum Mariannam filiam suam ad matrimonium cum Martino *coepisse. Coram me* ille iuramento affirmavit, se sclopeto vel gladio ipsam interfecturum. Secundum meam sententiam paratus erat ad minas in actum reducendas ».

Quae verba Andreae Relis assertionem Martini non plene evincunt. Sane Andreas dicit se *scire, Valentinum Mariannam coegisse.* At num haec scientia sit vera scientia ex certis causis, proprio visu vel auditu, an tantum subiectiva persuasio innixa probabilibus argumentis relatione aliorum, fama publica, testis non clare manifestat atque mirabile dictu

iudex ecclesiasticus Curiae gnesnensis testem de causis suae scientiae non interrogavit ! Porro ut alias iam animadverti, verbum « cogendi » simpliciter adhibitum potest significare gravem coactionem et metum, at sine aliis adiunctis certo et necessario illam significationem non habet. Quodsi Andreas suam « scientiam » ex iis verbis hausit, quae Valentinus coram ipso protulit, scientia illa certa dici non potest ; nititur enim syllogismo, cuius praemissae solummodo consequens plus minusve probabile admittunt. Nam exinde quod minae illae a Valentino coram Andrea fuerint prolatae absoluta certitudine non sequitur, illas etiam personaliter contra Mariannam fuisse prolatas. Denique notanda est evidens contradictio inter assertionem Martini et testimonium Andreae. Nam Martinus dixit : « Quoniam ex testimonio Andreae Rélis.... pater eius gladium super capite eius vibrabat et sclopeto se eam necaturum esse minabatur ». At Andreas testatur tantum : « *Coram me* iuramento *affirmavit,* se sclopeto vel gladio ipsam interfecturum » ; ergo de vibratone super capite Mariannae a se *visa,* ut Martinus insinuât, nihil plane habet Andreas neque minas illas dicit se *audisse* coram Marianna actu prolatas sed *coram se.* Ergo etiam ex hoc testimonio gravitas minarum certis et concludentibus argumentis non est probata.

Tempus iam instat, ut de illa circumstantia secunda inquiratur, qua constat iuxta cit. Instr. S. C. de Pr. F. § 36, de gravitate timoris « ex qualitate *tum* eorum a quibus illae (i.e. minae) proficiscuntur *tam* eorum, qui eas passi dicuntur ». Qua in re negari vix potest, potius pro gravitate timoris esse iudicandum. Nam minae profectae sunt a proprio patre Mariannae et eo quidem tempore, quo ipsa a patria potestate nondum fuit emancipata ; habuit enim tempore nuptiarum cum Martino circiter septendecim annos. Quae aetas quamvis ex iure germanico ad nuptias celebrandas sufficiat, tamen ad perfectam emancipationem a potestate paterna non sufficit. Porro pater Mariannae secundum depositiones Catharinae Neumann est « *vir animi ferventis* », quamvis addantur in

actis verba: « num vero idoneus esset ad gravem proli suae iniuriam inferendam nescio dicere ». Itemque dum Andreas Relis fatetur: « Secundum meam sententiam paratus erat ad minas in actum reducendas », Emilia Rhode testatur : « Quod attinet patrem Valentinum non puto . . . ipsum paratum ad gravem iniuriam proli suae inferendam ». Nihilominus saltem de indole ferventi Valentini ex his depositionibus constat, quae insuper confirmatur ex furioso ipsius modo loquendi coram aliis v. g. Catharina Koralewska: « Quid ista meretrix despicit talem virum ; numquid vult, ut sine indusio exeamus ? Nisi ipsi nupserit, occidam eam », atque Andreas Relis testatur : « Coram me affirmavit, se sclopeto vel gladio ipsam interfecturum ». Quae verba sane virum intemperantis et iracundae indolis produnt, quoniam pater de propria prole coram aliis ita loqui non solet. Tandem attendenda est ratio, propter quam Valentinus filiam suam ad matrimonium cum Martino contrahendum coegit. Nam ut ipse Valentinus fatetur : « Matrimonium hoc opportunum mihi videbatur, quia istius (i.e. Martini) pecuniis venditionem sub hasta, domus meae abstuli ». Quod ista spes Valentini non fuerit inanis, patet ex ipso testimonio Martini : « Reliquum debiti solvi patri uxoris meae ». Quodsi quis attendat hanc desperatam conditionem Valentini et quam aegre ferant homines, si e domo propria subhastationi subiecta eiiciantur, facile intelliget patrem nihil intentatum reliquisse, ut tantum malum per matrimonium filiae a se averteret atque ipsius patris furor eo magis potuit excitari, quod mores dissolutos Mariannae cognosceret, et quantopere illi status coniugalis esset utilis, matrimonium vero filiae oblatum esset celebrandum cum iuvene honesto et sufficientibus bonis temporalibus instructo, quem multae mulieres eiusdem conditionis atque Marianna libenter acciperent. Quae coactio patris eo periculosior et vehementior exstitit, quod sub specie iustae cuiusdam indignationis potuit abscondi.

Quodsi tertia conditio examinetur de qualitate personae, cui vis illata est, pariter potius pro gravitate metus incussi

videtur pronuntiandum. Etenim non agitur de viro quodam constantis aetatis vel iuvene, sed de puella septendecim annorum. Porro quamvis Marianna describatur ab Emilia Rhode tanquam puella quae « non erat timidae indolis, e contra satis crudam prae se ferebat naturam », tamen mala, quae ipsi imminebant, non poterat facile evitare; nam si ipsius resistentia matrimonium cum Martino plane fuisset impeditum, ipsi ob oculos versabatur perpetua indignatio parentum, sororum, fratris, si subhastatio domus paternae secuta esset, neque omnibus istis incommodis sese subducere potuit per discessum e domo paterna collocando operas suas in regione longinqua. In servitium ire non poterat e domo, quia pater ipsi hoc non permisisset ! Quare si considerantur personae incutientes et patientes metum in casu, pro gravitate metus videtur iudicandum.

Reliquum est, ut facta in actis allegata pro gravitate metus, examinentur secundum alterum illud criterium supra ex Instr. S. Congr. Inquisitionis et S. Congr. de Propaganda Fide allatum scilicet : « attendendae sunt circumstantiae , quae matrimonium praecedunt, comitantur, sequuntur ».

Et profecto pater Mariannae in actis candide fatetur : « Usque ad diem nuptiarum taedium erga hoc matrimonium manifestabat, et confìteor, nisi ipsi minitatus fuerim, eam non contracturam fuisse. Marianna aversionem suam a matrimonio cum Martino celebrando iam ante nuptias etiam aliis personis manifestabat, quae hac de re ex proprio auditu in actis testimonium ferunt v. g. Catharina Koralewska; et Catharina Neumann testatur: « Mariannam melius cognovi, cum ipsi paraphernalia praepararem. Conquerebatur mecum, quod *parentes* ipsam ad matrimonium cum Martino, quem graviter fert, cogèrent____Ipsa die nuptiarum, cum omnia ad nuptias praeparata essent, clamabat, detestabatur, execrabatur, maledicebat parentes, quod ipsam ad istud matrimonium cogèrent.

Emilia Rhode ad cuius testimonium pariter provocavit

Marianna, in actis haec testatur : « Se scire a Marianna, quacum familiariter versata sit et frequenter convenerit, istam Martino nubere noluisse, e contra horrorem se sentire erga ipsum locutam esse___»

Ipse Martinus de circumstantiis suarum nuptiarum in actis ita loquitur : « Iam d. 11 Februarii contuli me arcessendae coniugis meae causa, quae currum ascendit quidem, sed statim ex curru domum aufugit, quia pater eius perterritus, ne reliquum pecuniae acciperet, proficisci ipsam ve-' tabat. Tunc temporis dixit : « Pater meus proficiscatur, cum me ad istud matrimonium coegerit ».

Andreas Relis, qui est testis unicus a Martino in sui favorem citatus, de his circumstantiis nuptiarum nihil plane deponit. Haec quidem de quaestione facti; normas iuris ad diiudicanda illa facta suppeditat § 36 laudatae Instr. S. C- de Prop. F. et S. C. Inq. a. 1883: « Etiam investigandum, quid haec persona fecerit, ut a coactione parentum sese liberaret, utrum preces adhibuerit, utrum *usa fuerit opera aliarum* ad parentes a proposito dimovendos, utrum et quomodo *propriam aversionem* et contrarietatem in illud matrimonium significaverit___Considerandum erit utrum quando contractus matrimonialis erat signandus, *libenter* et sine ulla protestatione id praestiterit...., quomodo sese gesserit sive quando necessaria pro matrimonio *parabantur,* sive quando ad consensum promendum adducta fuit, sive quando *post* datum consensum festum nuptiale celebrabatur, utrum nempe his omnibus *hilaris, prompte* et *laete* adstiterit an sectis. Considerandum quoque eius agendi ratio erga alteram partem et erga eiusdem familiam, utrum nempe benevola et affectuosa etc. ».

Quae verba S. C. si factis supra allegatis applicentur, videntur evidenter comprobare in Marianna vere liberum consensum in matrimonium cum Martino non extitisse.

Omnibus igitur expensis circumstantiis ante nuptias vel in die nuptiarum eumque sequentibus, videtur legitima et certa esse conclusio, Mariannäm in ipso actu celebrationis

matrimonii liberum consensum, ad valorem vinculi matrimonialis ex iure canonico requisitum, propter impedimentum vis et metus, non habuisse ideoque ipsius matrimonium fuisse nullum et irritum.

Verum haec conclusio nondum est definitiva ; solvenda enim est quaestio altera supra enuntiata, num forte postea, metu purgato, matrimonium Mariannae et Martini legitime convalidatum fuerit.

Martinus nulla ratione nulloque signo manifestavit intentionem recedendi ab illo matrimonio. Et ideo universa quaestio ad hoc reducitur, utrum Marianna per renovationem consensus legitimam suum matrimonium convalidarit necne. Id quod videtur negandum.

Nam Marianna, quae tempore nuptiarum fuit puella septendecim annorum, non satis videtur habuisse perspectam nullitatem sui matrimonii. Fuit enim persona rudis neque satis instructa in rebus religiosis atque libidinosae vitae dedita, quae impedimentum istud facile ignorare potuit. Quae ignorantia multo magis comprobatur, si quis attendat, Mariannam postea quasi ambabus manibus arripuisse opportunitatem impugnandi suum matrimonium, cum ipsi haec spes affulgeret atque possibilitas innotesceret dissolutionis matrimonii in foro quoque ecclesiastico.

Praeterea neque efficax argumentum peti potest ex copula carnali ad summum semel habita ; nam ut fatetur Martinus semel sese a debito reddendo ob infirmitatem excusavit, secunda vice restitit, ita ut copula non esset perfecta, tertia vice vera copula videtur intercessisse ; uterque enim coniux simpliciter concedit, matrimonium fuisse consummatum ; at attenta libidinosa indole Mariannae nequaquam affectus maritalis certo probatur atque a fortiori, si attendantur facta subsequentia ; aufugit enim Marianna e domo mariti atque minata est, sese potius in aqua submersuram esse quam denuo redire ad maritum.

Tandem etiamsi allegata scopum intentum non probarent, restat illud argumentum gravissimum, quod in casu con va-

lidatio non fuerit facta in forma substantiali a Concilio Trifìentino cap. *Tametsi* praescripta. Nam certe in regione ista, de qua agitur, pro matrimoniis inter catholicos omnino est servanda ; porro in casu impedimentum vis et metus nequaquam fuit occultum, sed publicum. Feije 1. c. n. 90 innixus doctrinae Benedicti X I V de impedimento publico vel occulto docet : « Prudentis arbitrio id est relinquendum ; sunt tamen adminicula, quibus eius arbitrium facile dirigatur et solutio multum pendet a loci ac personarum qualitate. Quod spectat ad locum non sufficit impedimentum latere maiorem partem incolarum. Occultum tamen dicitur, si quinque vel sex personis in oppido, vel septem vel octo in civitate res nota sit, *dummodo ab eis non fuerit* divulgata ».

Atqui in casu non agitur de civitate quadam, sed de oppido ; praeterea vis et metus imprimis nota fuerunt compluribus filiabus Catharinae Koralewska, quibus de exoso illo matrimonio narrabat Marianna ; ipsa quoque Catharina Koralewska, Andreas Relis, Catharina Neumann, Emilia Rhode, Ridieger atque tres ultimae mulieres assistebant clamorosae isti scenae ipso die nuptiarum, quo Marianna clamabat et execrabatur parentes atque ad nuptias ire noluit, iam si talis res nota tot mulieribus natura sua loquacibus mansisset occulta, factum plane incredibile est supponendum.

Quae facta profecto non rem occultam, sed publicam et notoriam constituunt. Ergo forma Tridentina in convalidando matrimonio fuit necessario servanda. Quod cum factum non sit, matrimonio ab initio irrito valor non est restitutus.

VOTUM CANONISTAE. Die 4 Februarii 1884 celebratum fuit matrimonium in Ecclesia in Wagrowiec Archidioecesis Gnesnensis inter Martinum 28 annos natum, et Mariannam 17 annos natam. At hoc vinculum non ligavit coniugum animos. Iam 1 Maii 1886 obtinuit Martinus divortium civile et die 13 Maii 1887 adiit Consistorium Archiepiscopale Gnesnense, ut etiam ab Ecelesia matrimonium suum invalidum declararetur, et 31 Decembris supplicem porrexit libellum

Archiepiscopo G-nesnensi et Posnaniensi, postulans sententiam nullitatis matrimonii ob defectum consensus, qui a Marianna in matrimonii celebratione praestitus esset vi metuque coactus, necnon ob inconsummationem matrimonii. Marianna ex sua parte in supplici suo libello nihil de inconsummatione loquuta, dixit tamen : « uti filia decem septem annorum inii quidem matrimonium, sed tamen propter minas et vitae meae securitatem contra meam voluntatem et cum invincibili abiectione erga Martinum . . . . . Vigore decreti iudicii civilis de die 1 Maii 1886 separata sum a Martino et nil obstat ut civiliter coram magistratu civili ad alias nuptias convolare possim, attamen uti catholica volo tantum copulari in ecclesia vinculo sacramentali ».

Hisce praemissis, aliquid adiecit consultor quoad historiam huius matrimonii.

Patri Mariannae, quum pauper esset et ei immineret venditio sub hasta domus suae, opportunum visum est matrimonium filiae suae cum Martino, cuius pecuniis sperabat se rem familiarem conservaturum esse.

Marianna tamen quum maxime abhorreret Martinum, nolebat ei nubere, et pater « vir animi ferventis », eam ad hoc matrimonium cogebat. Ipse postea confessus est « filiam suam a se coactam fuisse », addiditque « sibi persuasum esse eam aliter non fuisse contracturam hoc matrimonium ». Coram familiari suo « iuramento affirmavit, se sclopeto vel gladio eam interfecturum ». « Secundum meam sententiam, dicit testis ille, paratus erat ad minas in actum reducendas ». « Contuli me, testatur Catharina Koralewska, ad patrem Mariannae, quem adprecata sum ne puellam ad matrimonium cogeret ; ipse mihi respondit : quid ista meretrix despicit talem virum, numquid velit, ut sine indusio exeamus? Nisi ipsi nupserit, occidam eam! » Marianna ante nuptias narrabat, patrem sibi minatimi esse verbera et eiectionem e domo, quae et alii audi vere, et de facto verberasse eam, quod, postea de hoc interrogatus, pater non negavit.

« Quum Mariannae paraphernalia praeparabantur semper non contentam et i ratam se praebebat.... conquerebatur quod parentes ipsam ad matrimonium cum Martino, quem graviter fert, cogèrent ; quod quidem matrimonium, quoniam Martinus pecunias haberet, patri esset admodum necessarium. . . . Ipsa die nuptiarum quum omnia ad nuptias iam parata essent, clamabat, (execrabatur), maledicebat parentes, quod ipsam ad istud matrimonium cogèrent, se Martino nupturam negasse, quoniam abominationem erga ipsum sentiret ; et nos tres feminae, addidit testis, adiuravimus ipsam ne scandala faceret et mater eius plorans petiit, ut ad nuptias celebrandas se conferret ».

« Ipsa die nuptiarum Marianna ne minimam quidem erga Martinum benevolentiam ostendit. Aliquoties secum saltaverunt, sed maxima ex parte saltabat cum Ioanne, noto suo amasio, quocum e medio hospitum disparuit et tandem post duas horas exquisita per Martinum reversa est in aulam nuptiarum cum Ioanne ».

Post nuptias a 4 Februarii usque ad 12 h. m. Marianna in domo patris sui habitabat, Martinus vero in domo propria. « Causa huius separationis fuit desiderium ex parte Mariannae aliquot amplius dies in domo patris commorandi ». At patri suo « statim aliquot dies post nuptias celebratas declaravit, se non posse cum Martino vivere ». Videtur etiam ex non satis claris verbis actuum, patrem eius proficisci ipsam vetuisse, eo quod timeret ne reliquum acciperet pecuniae, quam Martinus ei pro Marianna soluturus erat. Die 11 Martinus « contulit se apud patrem, arcessendae coniugis suae causa, quae currum ascendit quidem, sed statim e curru domum aufugit dicens : pater meus proficiscatur, quum me ad istud matrimonium coegerit ». Tandem proxima die h. e. 12 Februarii imperio patris impulsa, profecta est cum Martino. « Hac ipsa die, dicit Martinus, officium matrimoniale implere tentavi, sed uxor infirmitate se excusavit. Die 13 Februarii denuo conatus sum, tamen copula non fuit completa, quia ipsa restitit ». Die 14 Februarii

ambo contulerunt se in locum ubi hac die festum patronale celebrabatur. Intraverunt domum patris et fuerunt in Ecclesia; at hora 2 Marianna exiit et disparuit. Intra horam 8 et 9 visa est in via publica cum amasio suo Ioanne. Pater eam reversam domum post 9 horam castigavit. Ambo reversi sunt die 15 Februarii ad Martini domum ; sed iam die 3 Martii Marianna deseruit maritum. « Dicebat se non posse cum Martino vivere, nec ipsum ferre, sese submersuram esse nec reversúram apud illum. Tunc parentes eam ut rediret cogere desierunt et domum receperunt ». Pater qui pecuniis Martini venditionem sub hasta domus suae abstulerat, filiam amplius cogere noluit. Post aliquod tempus, die 3 Octobris 1885 Martinus voluit eam denuo reducere domum, et hac vice usus est auctoritate civilis iudicii. At frustra, Marianna renuit.

Hisce historice praenarratis, quid sentio de matrimonio in quaestione referam, et primo quidem quantum ad inconsummationem matrimonii.

Quamvis Martinus asserat matrimonium suum cum Marianna consummatum non fuisse, non tamen semper id facit sine aliqua haesitatione.

Marianna e contra affirmât coram iudice civili ad requisitionem iudicii archiepiscopalis Consistorii Gnesnensis die 25 Ianuarii 1890: « forsan per 4 hebdomadas vixi insimul cum separato viro Martino qui reapse durante hoc tempore per copulam mecum matrimonium consummavit ». Eius testimonium ideo magni est momenti, quod et ipsa quam maxime tunc separationem ecclesiasticam desiderabat. Verum est se contrarium non semel affirmasse.

De inconsummatione igitur, nisi acta compleantur, nihil certi dici potest.

Si de inconsummatione matrimonii initi inter Martinum et Mariannam nihil constet ex actis certi, non ita se res habet, meo quidem iudicio, de eius nullitate ob defectum consensus. Ad hoc probandum liceat mihi sequens statuere dilemma : metus, quem Marianna passa est, fuit aut gravis

aut levis. Atqui in utroque casu consensus nullus esset, nam ea quae referuntur de Marianna in actibus nisi explicentur per gravem eius metum, demonstrarent Mariannam ita fuisse animo comparatam, ut fidelitatem in coniugio nequaquam suscipere vellet* immo sibi statuisse nullam cum marito vitam coniugalem ducere. Ergo si non metu, certe errore substantiali ducta matrimonium iniisse videtur : ipsa enim tam ab initio, quam deinde fassa est se debitum coniugale reddere nolle et maritum ab se constanter abiecisse et simul vitam inhpnestam cum aliis egisse ; atque hoc propositum contra bonum prolis et bonum fidei esse videtur et substantiam matrimonialis contractus impetere et idcirco vinculi nullitatem ob defectum veri consensus secum ferre constat.

Verum satis liquet ex actibus processus, metum fuisse iniuste illatum, et Mariannam nonnisi ob metum sibi a patre incussum ad extorquendum suum consensum, matrimonium cum Martino inivisse. In casu nostro nullus invenitur testis affirmans eam aliquando voluntatem habuisse matrimonium cum Martino contrahendi ; immo contrarium affirmant atque una voce omnes proclamant, eam vim atque metum passam esse. Unica testis quae dicit, Mariannam gavisam esse de paraphernalibus et ad matrimonium sese parasse, simul testatur quam fortiter eam coactam fuisse. Omnes igitur depositiones atque praesumptiones militant pro metu.

De gravitate vero metus haec pauca animadvertere liceat. Fuit in casu metus reverentialis, sit quidem. At « quis vir constans aut prudens, dicit Sánchez *De Matr. L 4, disp. 10, n. 14,* non reputabit grave malum semper coram oculis habere infensum patrem, a quo pendet et cum quo semper conversaturus est ? » Marianna fuit puella 17 annorum. Domum paternam relinquere tunc non poterat, quemadmodum postea fecit, quum iam sui iuris esset. « In servitium ire non poterat e domo, testatur sua amica, quia pater ipsi non permisisset ». Nihili est igitur quod Defensor Matrim.

Gmesnae scribit : « Marianna poterat relinquere domum paternam, quemadmodum post nuptias se contulit in longinquas regiones, ibique hucusque victum labore manuum quaerit, quod ei utpote ex infima conditione ortae nullatenus ab ullo homine dedecori ascribitur ». Nec maioris momenti est quod asserit : « patrem non esse idoneum ad grave damnum proli suae inferendum, quod confirmatur exinde, quod tandem filiam nolentem cum marito cohabitare domum libenter receperat », hoc enim fecit quum iam pecuniis Martini non egeret.

Receptissima sunt principia iurisprudentiae : diuturnas atque importunas suasiones cum timore reverentiali coniunctas, etiam sine minis et verberibus, in casu haec non defuere, constituere metum in virum constantem cadentem ideoque gravem et ad matrimonium infirmandum efficacem. Si addemus, patrem metum incutientem habere interesse in matrimonii celebratione, eo quod speraret magnam inde utilitatem sibi aut familiae esse obventuram, tunc, dicunt etiam iuristae, adhuc difficilius redditur filiae patris desiderio contraire, eo quod magnus exurgit timor in graviorem eius indignationem incurrendi. Haec omnia locum habent in casu nostro, ideoque puto, demonstrare non posse vim et coactionem ad nuptias in casu in dubium vocari, et consequenter etiam nullitatem matrimonii denegari.

Sed forsitan dici posset, matrimonium hoc, etsi nullum in initio, saltem, ut affirmat Defensor Matr. Gnesnae, esse ratihabitum et convaluisse per illam cohabitationem et consummationem quae locum habuit a 15 Februarii usque ad 4 Martii ?

At 1. tum maxime violentiam Marianna passa est a patre, qui eam castigavit sat severe. Praeterea 2. consensu subsequuto revalidatur quidem matrimonium, sed si qui metum passus sit, consensum adiicere intendat, et sic metum purget. Ad hoc autem exigitur ut quae pars metum passa est, matrimonium fuisse nullum cognoscat. « Requiruntur... dicit Schmalzgrueber, *t. 4, p. 1, tit. 1, § 421,* ut ratificans

matrimonium prius contractum, sciat illud fuisse invalidum; si enim ex errore quo putabat prius matrimonium fuisse validum cohabitet, per eam cohabitationem nunquam ratificabitur matrimonium ». Idem affirmat Sánchez *De Matr. lib. 4, Disp. 18, n. 8.* « Secunda conditio est ut ratificans matrimonium sciat fuisse nullum ». Ex actibus vero eruitur, Mariannam da matrimonii nullitate tunc non cogitasse. Cognoscebat profecto iniuriam sibi illatam fuisse, illam reputans irreparabilem. 3. Haec renovatio consensus in iure praesumitur aliquando nisi contrarium probetur si pars, quae metum passa est, per longum tempus sponte cohabitaverit vel si sponte copulam habeat, at si ex una parte non constet de consensus renovatione, ex alia vero parte • constet de coacta copula et cohabitatione, tunc matrimonii revalidationem praesumi non potest. Quod quidem in nostro casu contingit.

Concludendum est, ait, metum sufficientem quidem fuisse ad extorquendum ab ea consensum ad nuptias ineundas, quia eas pro nihilo habebat, earum obligationem non suscipiebat, nam si ageretur de vero matrimonio ineundo, serio et fortiter restitisset, nam non timida immo fortis et audax erat. In hoc tantum sensu possumus dare, metum non fuisse relative gravem in casu.

Restat igitur: matrimonium nullum ob defectum veri nominis consensus habendum esse.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Matrimoniale foedus, quod mensis Februarii die 4, labente anno 1884, Martinus in aetate 28 annorum constitutus, cum Marianna, 17 annos nata, iniit, metus a patre Mariannae illati vitio infectum ac imperfectum incompletumque proclamat.

De asserta matrimonii inconsummatione verba facere otiosum existimo, quia res adeo desperata est, ut actorum moderator nec inquisitione dignam censuerit; et iure optimo merito, semel ac uxor matrimonii consummationem dilucide profitetur, vir autem nec ipse semel saltem coivisse inficiari audet.

De metu autem Mariannae incusso episcopalis curia adeo neglecte quaesivit, ut nil certi ex actis ad S. Congregationem transmissis, de eo sôire possimus. Paucissimos quinque vel sex tantummodo audivit testes : eos haud accommodatis et urgentibus excussit quaestionibus, sed ob viis, generalibus et incompletis. Imo parochum*, qui Martini et Mariannae matrimonialem consensum excepit, nec non Mariannae matrem, etsi sacramenti vindex eos designaverit, ad examen adducere abstinuit.

Attamen cum praefato consultore recolam celeberrimam constitutionem *Nimiam licentiam* pro Poloniae regionibus die 18 Maii 1753 editam, in qua Benedictus XIV cavet: « Onus proprio parocho iniunctum est, ut antequam denuntiationes de ineundo matrimonio publice in Ecclesia inter missarum solemnia fiant, ipse tum sponsum tum sponsam SEORSIM CAUTE, et ut dicitur, AD AUREM explorare studeat, an ex VOLUNTATE, SPONTE AC LIBENTER ET VERO CUM ANIMI CONSENSU in matrimonium vicissim coniungantur. » Eapropter matrimonium defectu consensus irritum renuntiare, parocho, si vita fruatur, non audito, haud prudens consilium existimo.

Quinimo Benedictus XIV adiicit: « Haec aliaque huiusmodi momenta, postquam parochi accuratissime exploraverunt, si aliquod eorundem momentorum sive deficere aut nocere posse deprehenderunt, suspensis interim denuntiationibuse ILLUD, QUOD OBSTARE POSSIT, DEFERRE TENENTUR AD PROPRIUM ANTISTITEM, qui prout res postulaverit, pro auctoritate munerisque sui debito, opportune provideat. » Quocirca cum parochus, cui Marianna vim sibi illatam manifestare absque ullo incommodo potuisset, *ad proprium antistitem* nil detulerit, censendum est obiectum metum in rerum natura vel nullimode existere, aut non esse IUSTUM. Audi Sabellium *suram, divers, tract. § Metus, n. 3* ibi : « Metus iustus cadens in constantem virum, ut talis dicatur, quinque conditiones COPULATIVE requiruntur... Quinta (conditio) est ut timens non possit facile occurrere malis, quae

sibi timet imminere : quia si posset alia ratione malis mederi, NON EST IUSTUS METUS. »

Quae cum ita se habeant, ad propositum dubium « *An constet de matrimonii nullitate in casu* » responsum submisse postulo « *negative* » sin minus *dilata et compleantur acta processus iuxta instructionem dandam.*

Hisce praenotatis propositum fuit dirimendum dubium. *An constet de matrimonii nullitate in casu.* Cui dubio sub die 23 Iulii 1892 respondit Sacra Congregatio : *Dilata et compleantur acta, iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.*

Instructio fuit sequentis tenoris :

CAUSAE PROSEQUUTIO. « I. Examini subiiciatur parochus, qui coniuges ad matrimonium admisit: quippe qui ad tramites Constitutionis - Nimiam licentiam - Benedicti XIV, ante nuptias tum sponsum tum sponsam seorsim caute, et ut dicitur, *ad aurem* exploravit, an ex voluntate sponte ac libenter et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim coniungerentur.

« II. Compleatur examen testium *septimae manus* iuxta § *Deinde et seqq.* Instructionis S. C. C. diei 22 Augusti 1840; quos inter excutienda omnino est Mariannae mater. Singuli autem testes accommodatis et urgentibus quaestionibus ad facta ad rem facientia confitenda industriose adigantur ».

Examen iuxta instructionem confectum fuit, et novae exquisitae fuerunt animadversiones Consultoris canonistae ac defensoris vinculi.

VOTUM CANONISTAE. Huic mandato S. C. satisfactum est. Et quidem parochus interrogatus respondit : se aliter contrahentes omnino non novisse quam occasione matrimonii ; se explorasse quidem sponsos at non seorsim, simul enim venerant ad examen antenuptiale. Quum nihil parochus novisset de dubio aliquo circa plenam voluntatem sponsae, quum simul examini sese obtulissent et exhortationem exaudisset, quum praeterea ante nuptias bis confessum venis-

sent, et tempore nuptiarum clara voce ac sine haesitatione sponsa respondisset ad interrogationes, nihil parocho incidit in mentem de difficultatibus, de quibus post nuptias tantum audivit ab advocato, quum res ageretur in foro civili, nec non a viro, qui saepius parochum adibat conquerens de uxore sua quod nollet vivere cum eo, rogansque ut eam ad concordiam invitaret. Marianna ad invitationem parochi non venit. - Hac in re igitur testimonium parochi nihil videtur addere novi. Duo tamen ex eius interrogatorio notanda sunt : primo, parochum in hac esse sententia matrimonium inter Martinum et Mariannam esse validum; secundo, ad quaesitum : an non potuerint Mariannae refugium praebere propinqui vel etiam alii, ut evitaret [minas 'paternas? parochum respondisse : se hac de re nescire, attamen illis in regionibus puella, conditionis Mariannae, quam maxime aegre ferret famulatum penes alios.

Interrogati testes septimae manus, praeter ea quae iam et praecedentes retulerant, haec etiam testificati sunt : *Testis Pierdzioch:* Mariannam propinquos non habere. Patri suo praecipienti obtemperare debuisse, nam ille homo violens quum sit paratus esset « capillos evellere e capite filiae suae ». - In Toniszewum ad maritum eam non coactam profectam esse, nihil enim de aliqua coactione, neque a propinquis, neque ab aliis tunc temporis testis audivit. - Matrem mariti in causa fuisse quod Marianna reliquerit Toniszevo. Quum enim, postquam Marianna ad maritum venit, creditores patris uxoris molestarent maritum, et mater eius exprobraret hoc Mariannae, haec offensione commota, reliquerit Toniszewo. Ita Martinus causam separationis tunc indicavit testi, qui Mariannam curru vectum reduciturus esset in Toniszewo. Vidit etiam testis quod Marianna ad maritum voluit redire, pater tamen eius tunc a se eam dimittere noluit. Testis ab ipsa Marianna audivit tunc temporis, matrimonium consummatum non fuisse ob eam rationem, quod quum eodem lecto uxor ac maritus accubarent « maritus neque se moveret ». Martinus vero dicebat, se copulam ten-

tasse, sed Mariannam illi dixisse : « Omitte me, quia aegrota sum ». - *Testis Ziolkowska:* Septem dies post nuptias Martinum venisse ut secum duceret Mariannam ad parentes suos. At illam domi non fuisse, sed cum amasio vagasse. Maritum frustra eam expectasse. Sub vesperum matrem misisse fratrem eius, ut eam vestigaret et quum advenisset vapulabat a matre funiculo praesente marito, qui aequo animo spectator huius rei erat. - *Testis Grabovska :* Mariannam ante nuptias dixisse patrem vi compulisse eam ad matrimonium, et nisi nuberet eam occisurum esse. - *Testis Grabovski* audivit patrem Mariannae minan tem ei mortem, et ipsam flentem ac dicentem saepissime testi et uxori eius, se cum Martino victuram non esse. - *Testis John,* amasius Mariannae ex eo tempore quo haec nuptias inivit cum Martino, testificatur, se ab ipsa Marianna accepisse, parentes et quamdam mulierem matrimonium hoc Mariannae persuasisse at non coegisse ; Mariannam tamen Martinum et ante nuptias habuisse odio, et ipsa die nuptiarum amasio suo dixisse se nolle vivere cum Martino ; neque cum eo ituram esse ; at timuisse patrem, in cuius potestate omnibus in rebus fuisse.

Mater Mariannae interrogata de minis mariti sui dixit, se audivisse eas semel vel bis, duabus hebdomadibus plus minus ante nuptias. Pater dixerat Mariannae, se eam gladio interfecturam esse si Martinum ducere nollet. Marianna timebat patrem suum et pluries dicebat patri se Martino nupturam esse, sed apud eum non esse mansuram. Propinquos nullos habebat, ad alios abire non potuit, ob defectum aetatis. Vitam inhonestam ducebat, quam tamen celabat patrem, quem timebat. Quasi quotidie querebatur cum me, matre sua, de voluntate patris. Puduit eam adire parochum. Cum Martino nolebat colloqui. Ipsa die nuptiarum tristis fuit et flebat, dicebatque se matrimonium contracturam esse cum Martino sed non esse victuram cum eo. Quum maritum reliquisset dicebat denuo se nolle vivere cum eo. Altera tamen vice, postquam maritum reliquit, ad eum scripsit

litteras ut veniret, eam secum ducere, se iam velle cum eo vivere ; at ille respondit ut ipsa veniret ad eum.

Marianna, quae nunc domicilium habet in Slesvico-Holsatia, et ipsa interrogata iterum, sequentia coram iudice ecclesiastico deposuit : Nata est an. 1864 mense Augusti 14, tempore igitur nuptiarum non erat 16 annos nata sed 20. Matrimonium iniit cum Martino unice coacta a parentibus. Pater minatus est ei : « Si non sumas Martinum interficiam te glande plumbea, etsi huius rei damnarer ad vincula perpetua. » Tentabat etiam eam verberare. At nunquam, neque antea, eam verberavit « quia, dicit Marianna, pater meus quum Severus esset, ego nunquam ausa sum ei contradicere. » Aufugere non potuit quia pater nihil illi dedisset, imo etiam vestes abstulisset, ut minabatur, et ope gubernii domum reduxisset. Quum pater abesset, saepe hac de re querebatur cum matre, sed illa ei dicebat: « Si pater vult ut cum Martino matrimonium ineas, necesse tandem erit ut hoc facias. » Ipsi Martino non potuit dicere se eum nolle, nunquam enim sola cum eo erat; at illi hoc scripsit. Amicis et vicinis, qui Mariannae dicebant eam contra suam voluntatem non debere matrimonium inire, respondebat : « Debeo id facere quia pater hoc vult, aliter non dabit mihi panem, eiiciet me sine testificatione vel me interficiet. » Etiam quum ei nuberet id in animo habebat, ut eum nacta occasione relinqueret. Copulam maritalem nunquam perfecerunt, quamvis in eodem lecto essent. Ille non postulabat ; neque illa. Ad quaesitum : Nonne prius dixerit se cum marito semel copulam habuisse? risit ac respondit se non posse non ridere ob talia quaesita. Se-rio admonita ac denuo hac de re interrogata respondit : « Dixi hoc parentibus et etiam advocato. » Quaesitum: cur hoc dixeris? - eam conturbavit. Ex iterata inquisitione apparuit Mariannam, quae in lingua germanica interrogabatur (patria eius lingua est polona) non satis quaestionem intellexisse, et voluisse respondere se parentibus ac advocato dixisse copulam numquam perfectam fuisse. - Postea confessa est, patrem infantis, quem peperit,

fuisse certum Szymanski, cui nubere volebat postquam a potestate civili solutionem matrimonii obtinuisset ; de solutione autem ecclesiastica nihil tunc sciebat. At, quum non tam cito divortium obtineri potuisset, Szymanski profectus est in Americam. Adhuc interrogata fuit num sciret, quum matrimonium iniret absque seria voluntate, se sacramento abuti? ad quod affirmativum responsum dedit. Num vero cogitaret tempore nuptiarum se cum Martino fuisse coniunctam in perpetuum et alii nubere iam non posse ? « Utique, respondit, sed cum eo vivere nolebam ».

Addendum est, de Marianna iudices in hoc ultimo processu optime sese exprimere. Habent eam ut honestam et fide dignam feminam. Non ita testes, si duo excipias, quos ipsa citavit et qui superiore tempore eam cognoverant, qui tamen unanimiter testantur se audivisse a Marianna de pressione, quam in ea exercebat pater et quod unice metu patris et coacta nupserat Martino. Amica Mariannae *(Neumann)* addit Mariannam ei dixisse « maritum cubare iuxta eam ut lignum, sine vita ». Alii testes dicunt se a Marianna audivisse quod cum marito vixisset, si cum eo copulam habere potuisset, et se eum nolle, quia frigidus est ; quum cubitum irent, eum illi tergum ob vertisse et nunquam maritali ter cum ea vixisse.

Licet voto prima vice a me prolato hoc mihi convenerit cum cl. Consultore theologo, quod censuerimus hoc matrimonium nullum esse habendum utpote quod initum fuerit ex parte mulieris ex vi et metu gravi iniuste incusso ; tamen, ego quidem, magis inclinarem in eam partem, ut iam dixi, quae potius matrimonium inficerei ex defectu consensus in substantiam matrimonii. Nunc vero, novum processum quum diligenter perpendissem, magis magisque in pristinam sententiam me confirmavit, quatenus et nova testimonia in lucem prodierunt novaque argumenta, quae ad evidentiam usque demonstrant, Mariannam matrimonium iniisse sine proposito vivendi cum marito, in hoc tamen mutavi sententiam, quod persuasum mihi nunc est, Mariannam revera etiam

ex vi et metu gravi nupsisse ; lectis enim novis actibus opinari cogor non esse certa ea quae de indole nequaquam timida mulieris dixeram, imo falsa esse, patrem enim suum revera timebat, ut apparet ex supra allatis testimoniis. Inconsummationem etiam validissime testimonia nunc allata probarent, nisi ea quae in primo processu dicta sunt dubium aliquod ingérèrent ; et dubium hoc noviter dicta non tollunt. Quidquid tamen sit de inconsummatione, quum agatur de nullitate matrimonii, si prima vice de mea sententia metum fuisse sufficientem ad extorquendum a Marianna consensum ad nuptias ineundas, quia eas pro nihilo haberet earumque obligationes non susciperet, quamvis non timida, imo fortis et audax esset, eo vel magis nunc persuasum mihi est metum fuisse plus quam sufficientem, quum ex novis actihus comperiatur eam respectu patris timidissimam fuisse.

"Restat igitur : matrimonium nullum ob defectum veri nominis consensus habendum esse.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Contendente Marianna matrimonium, quod ipsa anno 1884 Februarii die 4, annos 21 nata, contraxit cum Martino in aetate annorum 28 constituto, metus sibi a patre illati vitio infectum, Amplissimus Vester Senatus generalibus in comitiis diei 23 Iulii 1892 consultissime decrevit : - *Dilata et •compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.*

Instructio concinnata fuit, acta processus eâ, qua par est, diligentia completa sunt, et ad nihilum, ni fallor, redigunt çantiunculas, quas Marianna edidit adversus matrimonium. Iam liquet enim Mariannam, dum iudici denuntiavit: « Uti filia 17 annorum inii quidem matrimonium, sed tamen propter minas et vitae meae securitatem contra meam voluntatem et cum invincibili abiectione erga Martinum », vim veritati adhibuisse.

Re sane vera in confessis modo est, Mariannam Martino denupsisse, non puellam tenellam SEPTEMDECIM, sed adultam iuvenem annorum UNIUS SUPRA VIGINTI.

Ad probandam assertam *invincibilem alienationem erga Martinum,* Marianna tota in eo est ut suadeat se Martino nupsisse, ALTERIUS iuvenis amore praeoccupatam. Iam vero ex nova inquisitione discimus Mariannam non cuiuspiam fuisse amore captam, sed corpus suum iam tum vulgasse. Ad rem Boleslaus Johm ait: Cum Marianna commercium habui ABSQUE ANIMO EAM IN MATRIMOXNIUM DUCENDI; HABUERITNE EA HOC IN ANIMO, NESCIO.

Ad quaestionem « Cuiusnam indolis est Marianna? Timebatne patrem? Fueratne ab illo dependens? » Petrus Pierdzioch respondet: « Marianna cum ALIIS IUVENIBUS inhonestas habebat relationes. Haec novi ab aliis. Fueritne propter haec punita a parentibus nescio. Ioseph Grabouski « Audivit se cum aliis ETIAM DIE NUPTIARUM relationes habuisse». Dominica Ziokowska refert: « Dicebat mihi aliquis, sed iam non memini quisnam hic esset, ipso tempore nuptiarum i.e. TEMPORE CONVIVII NUPTIALIS, MARIANNAM CUM ALIO EXIISSE A CONCLAVI ET ILLI SE ADIUNXISSE ».

Marianna cum hisce praestet moribus, non facile quempiam virilis sexus hominem aversatur, Martinum autem aversatam minime esse res est facti compertissimi. Etenim praeterquam quod Elisabetha Mariannae mater testatur: « Marianna aversionem erga Martinum NON HABEBAT... Aliquoties cum eo saltabat »; praeterquam quod Iosepha Grabowska refert: « Marianna tempore nuptiarum saltabat cum Martino nescio quot vicibus »; quod confirmatur ab aliis etiam testibus. Marianna etsi a Martino post coniugalis cohabitationis mensem discesserit, non tamen propter antipathiam erga virum discessit, sed potius culpat avaritiam atque Martini matrem, et aufugit, quia aegre ferebat solitariam domi semper vitam agere.

Audi Petrum Pierdziock, instructissimus testis, quippe qui Martini sororem uxorem habet. Mater Martini (ita ille) exprobravit Mariannae, quod ex quo domum ingressa sit, iam creditores et executores inceperunt eam molestare. Marianna offensione commota reliquit domum mariti sui Mar-

tini. Ita causam separationis indicavit iste, statim ac eum Marianna reliquit. DE IURGIIS ET DE DISSENSO" TEMPORE COHABITATIONIS NIHIL NOVI ». Clarius etiam Elisabetha Novak, Mariannae mater, quae refert : « Marianna dixit, quum maritum reliquisset et venisset ad parentes, *eam pro nihilo haberi, victum sibi idem non dari* et se nolle vivere cum eo. AVERSIONEM TAMEN NON HABEBAT ».

Extra omnem itaque dubitationis aleam positum est, Mariannam a Martino nunquam animum habuisse alienum. Hoc unum, nempe, propositum seu *intentio servandi fidem,* ni me fallit opinio, in Marianna, quando se Martino, iugavit, desiderata est : quod ceu perspicuum est, longe alia res est ac non intendere SE OBLIGARE *ad servandam fidem,* sive ad non adulterandum. Primum contingit in omnibus fere nupturientibus qui non *portaverunt iugum ab adolescentia sua,* alterum nec in istis nec in morigeris nupturientibus locum habere solet : non in morigeris quippe qui, dum matrimonium contrahunt, animo intendunt sarta tecta servare iura et onera illi annexa; non "in discolis, quia legem ab auctore naturae nobis inditam impune spernere assueti, de OBLIGATIONE solliciti haud sunt, dummodo sibi pateat aditus ad eam pro lubitu perfringendam. Quam quidem obligationem nupturientes contrahunt eomet actu quo illam non EXPRESSE excludunt.

Age modo : Mariannae mater iurat : « Marianna pluries patri dicebat se NUPTURAM esse, sed apud eum Martinum, NON ESSE MANSURAM. Haec IPSA audivi ». Quinimo ex ore ipsiusmet Mariannae accipimus eam non OBLIGATIONEM in celebratione matrimonii, sed solummodo obligationis EXECUTIONEM seu satisfactionem in celebratione matrimonii exclusisse.

Neque in errore versatur Marianna. Sánchez enini *De matrim, lib. 2, disput 29, n. 12* ad rem haec habet: « Id tamen observandum est, aliud esse sentiendum de tribus matrimonii bonis, *sacramenti, fidei et prolis,* quoad OBLIGATIONEM et aliud quoad EXECUTIONEM, nam quoad OBLIGA-

TIONEM, omnia illa sunt de matrimonii essentia... Si tamen considerentur haec quoad EXECUTIONEM et in seipsis sic bonum sacramenti quod est indissolubile vinculum, est de essentia sacramenti matrimonii, NON AUTEM FIDES et PROLES. Hinc fit ut intentio contraria bono sacramenti irritet matrimonium, NON AUTEM INTENTIO CONTRARIA BONO FIDEI et prolis: si tamen adversaretur intentio fidei et proli, QUOAD SUA PRINCIPIA, similiter irritaret matrimonium; ut si quis contraheret, non intendens se OBLIGARE ad educandam prolem, vel-non impediendam, vel *ad servandam fidem,* irritum esset matrimonium, quia cum haec sint matrimonii essentialia, talis intentio essentiam excludit ».

Ut eo tandem redeam, unde digressus sum, Marianna ad iudicem, ceu diximus, detulit: « Uti filia 17 annorum inii quidem matrimonium, sed tamen PROPTER MINAS et VITAE SECURITATEM ». Praemonere praestat rem esse de *minis* praetereaque nihil. Nam in quaestione « Cum iam eras puella 16, 17 annos nata, verberabatne te aliquando pater? » Marianna nitide profitetur: « NUNQUAM ME VERBERABAT ». Rem itaque a veritate alienissimam renuntiant testes omnes, qui, de verberibus loquuntur. Iam vero puella, quae non septimum supra decimum, sed VIGESIMUM PRIMUM, ut monstratum est supra aetatis annum agebat, quae in vitiorum coeno volutabatur, non quibusvis terretur minis, sed graves omnino, perseverantes atque inevitabiles sint oportet. Quod non constat.

Ex disputatis, ad inscriptum dubium *«An constet de matrimonii nullitate in casu* » plano velut alveo descendit responsum « NEGATIVE ».

Quibus noviter adductis, propositum fuit diluendum.

Dubium

An constet de matrimonii nullitate in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 1 Septembris 1894, censuit respondere: *Affirmative.*

COMPOSTELLANA

POSTULATUM QUOAD ADMINISTRATIONEM OBLATIONUM

Die 1 Septembris 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In relatione status Ecclesiae Compostellanae, exhibita S. C. Concilii 10 Novembris 1893, sequens reperitur Postulatum : Ordinarius exponit : in nuperrimo Concilio provinciali Compostellano anni 1887, a S. C. Concilii approbato, declaratum fuisse, ad Parochos pertinere administrationem oblationum et eleemosynarum, quae colliguntur in sanctuariis, cappellis et oratoriis publicis : nonnullos ex parochis decem pro quolibet centenario sibi tribuere, administrationis titulo, super dictis oblationibus, quae non conferuntur a fidelibus pro re determinata, sed ad provehendum cultum Mariae Virginis aut alicuius Servi Dei, qui veneratur in Sanctuario ; praxim huiusmodi haud probandam videri multis de causis.

Archiepiscopus interrogatus de ulteriori explanatione quaestionis, ita rem explicavit : « Eleemosynae, de quibus in postulato quaerebam circa praemium administrationis, non sunt eleemosynae Missarum, sed a fidelibus in genere oblatae ad cultum et honorem Sanctorum.

« Plerumque tales eleemosynae offeruntur sub specie frumenti; a Parochis colliguntur, asservantur et venduntur, posteaque earum pretium, deductis expensis insumitur in reparandis templis vel altaribus, in eorum luminariis, in sacris vestibus etc., de cuius pretii inversione rationem reddunt Episcopo.

« Nunc autem, nonnulli Parochi integrum pretium praedictarum eleemosynarum impendunt in pios usus memoratos, alii autem volunt accipere decem pro cento valoris eleemosynarum, veluti retributionem pro lahore in illis colligendis, asservandis et vendendis. Laici nullum ius nec partem habent in administratione harum eleemosynarum.

« Quandoque vero, pecuniae ex hisce eleemosynis collectae, quae actu necessariae non sunt, custodiuntur penes Curiam Episcopalem per Officialem dictum *Depositario de Fondos Pios,* qui tradit illas, iussu Ordinarii, Parochis vel Rectoribus Ecclesiarum, quando impendendae sunt in fines supradictos. Hoc invaluit ad vitanda furta et malversationes eleemosynarum.

« Propterea infrascriptus Archiepiscopus Compostellanus scire cupit ab Emis PP. S. Congr. C. interpretibus :

« 1. Utrum Parochi vel Capellani aliquid, usque ad decem pro centum accipere possint pro collectione, asservatione et venditione eleemosynarum, de quibus supra.

« 2. Utrum Officialis dictus *Depositario de Fondos Pios* possit tuto recipere quinque pro centum propter custodiam pecuniarum, quae per ipsum asservantur. »

Disceptatio Synoptica

PRAXIS SERVANDA VIDETUR. Perpenso principio aequitatis naturalis et evangelicae, nimirum dignus est operarius mercede sua, quaestionibus propositis *affirmative* videtur respondendum. Nec obstat retributio parochis aut cappellanis praestita ob respectivum officium ; nam oblationum administratio iis competit ex praecepto Concilii Provincialis, quod considerans hoc officium distinctum a munere pastoris animarum, idem poterat aliis tribuere. Atqui si unum munus alio non comprehenditur, retributio uni data, alteri adscribi non potest. Iamvero gestio administrationis harum oblationum, scilicet custodia et venditio frumenti, aliarumque specierum huius generis, sane est difficilis et laboriosa et toto coelo differt a cura parochiali, unde pro hoc munere eis specialis retributio assignanda videretur. Haec quoad parochos et cappellanos. *Depositarios* vero *de Fondos Pios* quod spectat, advertatur ipsis competere curam depositae pecuniae ex suo officio ; quocirca non videtur aequum quod specialem habeant mercedem ob pecuniam apud ipsos depositara, provenientem

ex fidelium oblationibus. Solummodo aequum esset quod paulisper eorum honorarium augeretur quando *notabiliter* augeretur labor ob depositam oblationum pecuniam ; quod tamen in facto, ex subiecta materia non videtur verisimile. Quocirca quacumque in hypothesi fere enorm is apparet mensura retributionis constituta in *quinque pro centum.* Pro parochis vero et Cappellanis regula certa et absoluta statui non potest, cum res ex circumstantiis tota dimetienda sit; et aliquando iusta evadere potest retributio determinata *usque ad decem pro centum;* aliquando minus aequa esse potest: res pendet a prudenti Episcopi arbitrio,

PRAXIS IMPROBANDA VIDETUR. Sed ex adverso in primis negandum videtur suppositum quod oblationum administratio parochi officio non cohaereat; nam uti parochus habet intentionem in iure fundatam ad recipiendas fidelium oblationes, ita ad earumdem administrationem. Ad rem Fagnanus *in cap. Pastoralis, De his quae fiunt a Praelatis sine consensu capituli,* postquam adnotaverit. . . . . « parochialem Ecclesiam habere intentionem in iure communi fundatam super omnibus reditibus spiritualibus infra limites parochiae suae. . . . » sub num. 30, ait : « Ad verte tamen quia etsi oblationes destinatae sint in certum usum ab offerentibus ; nihilominus illarum administratio ad parochum pertinet ex iure parochialitatis, non quidem ut sibi applicet, sed ut fideliter custodiat et dispenset in usus ab offerentibus destinatos », et hanc doctrinam confirmat pluribus auctoritatibus et decisionibus S. Rotae uti notat Reiffenstuel in Tit. *De Decimis, Primitiis, et oblationibus* sub n. 190, plenissime cum communi huic sententiae adhaerens. Insuper adiiciatur quod, saltem indirecte, huiusmodi oblationes parochis non parvo emolumento sunt, quia dum sacro cultui, Ecclesiarum ornatui, manutentioni et restaurationi per pecuniam a fidelibus oblatam provident, parcent reditibus propriae congruae, quibus huiusmodi expensis, aliqua de ratione, occurrere deberent. Si vero consideretur quod sacrae functiones ex iisdem oblationibus a parochis et cappellanis in propriis Ecclesiis

peraguntur, patet quomodo directe exinde oblationum administratores lucrum reportent. Quocirca rectior et iure communi conformior videtur illorum ratio agendi, qui, nulla recepta mercede, huiusmodi oblationes administrant. Nihilominus negari non debet, locum fieri posse aliquando speciali retributioni, si administrationis gestio importaret specialem laborem aut industriam suapte natura excedentem ordinarium parochi administrandi munus : tunc enim aequitas suadet operam administratoris aliqua retributione compensandam esse, determinandam, omnibus perpensis adiunctis, a prudentia Episcopi.

Quoad *Depositarios de Fundos Pios* nisi eorum officium constitutum sit apposite pro custodienda oblationum pecunia, quod non est verisimile, omnino immodica videtur retributio computata *in quinque pro centum* relate ad summas depositas, quia ex proprio officio tenentur in Dioecesi ad huiusmodi operam praestandam in fundos pios ; quapropter solummodo aliqua speciali mercede donandi essent quando pecuniae oblatae depositio et custodia notabiliter aggravaret ordinarium laborem ; excepto semper casu, quo in suscipiendo officio se expresse obligaverint in custodiam cuiuscumque pecuniae summae, provenientis ex piis oblationibus. Quocirca huius generis retentio, qua de agitur, super summis pecuniariis oblationum administratis aut depositis, sive in se, sive quoad modum improbanda videtur, salvo Episcopi prudenti iudicio in decernenda extraordinaria aliqua retributione pro extraordinariis circumstantiis et laboribus.

Hisce praemissis, quaesitum fuit quomodo postulatum Archiepiscopi esset dimittendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 1 Septembris 1894, censuit respondere : *Ad I et II prout exponitur, negative.*

EX QUIBUS COLLIGES. Immerito videri, parochos aliquid correspectivi sibi tribuere pro oblationum administratione quae iure inhaeret eorumdem officio ; et quia eaedem oblationes haud parvum constituunt emolumentum parochis.

ARETINA

CIRCA IUS NOMINANDI QUOSDAM CAPPELLANOS

Die 1 Septembris 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sub die 9 Aprilis archipresbyter ecclesiae collegiatae loci *Castilionis Florentini* sequentes offerebat preces : Ecclesia Collegiata loci huius duas habet Ecclesias succursales rurales ; quarum una in praesens vacat. Usque adhuc nominabantur Cappellani Curati ab Archipresbytero una cum Canonicis primae erectionis. Quum per legis civilis suppressionem disparuerint omnes canonici, Archipresbyter quaerit an electio cappellanorum devoluta sit Ordinario Aretino, vel integra in Archipresbytero permaneat. Antistes aretinus rogatus, respondit nil aliud reperisse notatum in Curia, quam quod duae cappellaniae praedictae dependent ab Archipresbytero et sex canonicis de massa, quorum erit eligere cappellanos curatos.

Disceptatio Synoptica.

ELECTIO DEVOLVI VIDETUR ORDINARIO. Ut satis quaestioni fiat advertatur, Ordinarium habere intentionem in iure fundatam ad conferenda omnia beneficia in sua dioecesi, prout disserit Reiffenstuel ad *tit. V De praeb, et dignit. n. 177.* « Adeo ad Episcopum loci de iure communi spectat collatio beneficiorum, ut is fundatam intentionem habeat super institutione et destitutione sacerdotum, aliorumque clericorum in beneficiis suae dioecesis ; et, si alius istud sibi vindicet probare debeat, iure speciali id sibi competere. Id habetur per iura proxime allegata, ex quibus patet, collationem beneficiorum suae dioecesis, quantum est de iure communi, pertinere ad Episcopum; ac notat Glossa in c. *Quamquam 18 v. Devolvetur de elect.* In 7 Abbas c. *Cum ex iniuncto n. 2 De Haeret.* . . . . . et Garcias *part. 5 de benef. c. 1 n. 235* cum aliis. Huius principii consequentia est, in dubio Epi-

scopum esse in plena huius iuris possessione ; et quotiescumque ius ad conferenda beneficia alteri sit collatum, illico hoc ius ad Ordinarium regredito, quando aliqua ex conditionibus deficiat appositis privilegio collationis. Atqui *in casu* quamvis non *de iure,* tamen *de facto* deest privilegii subiectum, nimirum capitulum ecclesiae collegiatae, quocirca ius collationis suapte natura ad Ordinarium revertitur, quasi remoto obice.

ELECTIO COLLIGI VIDETUR IN UNO ARCHIPRESBYTERO. Sed contra est, admitti non posse, privilegii subiectum extinctum fuisse. Re quidem vera, generatim proprium est iurium corpori morali spectantium ut etiam ab uno tantum, ceteris deficientibus, exerceri valeant, veluti *iure acer escendi.* Incivile est enim admittere, quem suo iure privari quia alius vel alii omnes eo privari vel non uti contingat. Ita expresse[1] loquitur Barbosa in *tract. De can. et signit. c. 41, n. 14,* disserens de iure devolutionis : « Quod ut melius percipiatur est notandum devolutionem electionis ob'electorum culpam quando ad alios fieri electores, qui culpabiles non existunt, quandoque vero ad proximum superiorem et nonnunquam ad Romanum Pontificem immediate ascendit. Aut enim pars capituli tantum aut totum capitulum est in culpa : *primo* casu eligendi potestas ad alios devolvitur non culpabiles, quamvis sint pauciores *cap. 2,* ubi Glossa *De postulat, prael. d. c. bonae memoriae. . . .* cum aliis citatis supra, imo etsi *unus* tantummodo fuerit *cum poena non debeat* innocentem afficere, *cap. quaesivit, de iis quae fiunt a maior. part. capit.,* et ius collegii in uno solo remaneat et conservari possit, aliis mortuis, privatis, suspensis, vel excommunicatis ; Glossa *verb. pauciores in cap. gratum, De postulat, prael.* etc. ». Quapropter si, temporum hominumque nequitia, archipresbyter suos amisit fratres canonicos, non exinde expoliandiis videtur iure nominandi cappellanos ad ecclesias a capitulo dependentes, quia si omnes capitulares, uno dempto, ex culpa indigni fiant qui eligant, in hoc uno ius eligendi consolidato, a fortiori nominandi ius re-

cognosci debet in superstite archipresbytero qui, nulla collegii intercedente culpa, unus superest idoneus huiusmodi iuris exercitio.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quia/ esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. S. C. C. sub die 1 Septembris 1894 censuit respondere : *Ad Archipresbyterum exclusive pertinere.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

AUGUSTANA VINDELICORUM

IURIUM FUNER ALIUM.

Die 8 Maii 1895.

COMPENDIUM FACTI. Institutum Fratrum S. Ioannis de Deo vulgo ***Fateb ene f rateili*** in Bavaria initio huius saeculi subiectum ex persecutione laicae potestatis legi ***ammorlizationiSy*** novitiorum receptionem in Instituto vetanti, ita brevi imminutum fuit, ut hospitalia nonnisi ab uno religioso administrarentur, qui iuxta spiritum regulae suam operam caritatis infirmis impendebat. Ex hoc evenit, ut cura animarum infirmorum in hospitali degentium aliaeque functiones paroeciales, quae prius exercebantur a religiosis ex privilegiis apostolicis sibi concessis, devolverentur ad respectivos parochos locales.

Verum dimidio huius saeculi res immutari aliquantulum visa est. Siquidem cum Institutum S. Ioannis de Deo sub die 27 Iulii 1860 acquisivisset castrum de Stapf in oppido Schweinspoint in districtu paroeciali de Marxheim, inter regium gubernium et superiorem Provincialem Bavariae P. Magnobonum Markmüller ceu delegatum Ordinis conventio inita fuit an. 1861, in qua, praevia derogatione legi ammortizationis, Ordini facultas fiebat in praefato castro

hospitale pro masculis insanabilibus erigendi cum omnibus legis privilegiis et cuius administratio et directio a religiosis Ordinis penderet ; haec conventio postea etiam regia approbatione sub die 6 Aprilis 1864 munita mansit.

Verum novo fundato hospitali proprium deerat coemeterium ; at brevi etiam pro hoc habendo propitia sese obtulit occasio : nam cum esset ampliandum coemeterium paroeciale de Marxheim, religiosi petierunt et obtinuerunt a Gubernio inibi coemeterium propriis expensis extruendi pro hospitali de Schweinspoint : deinde rem detulerunt ad Episcopum Augustanum petentes nedum approbationem erectionis novi coemeterii, sed etiam ut recognoscerentur iura et privilegia Ordini concessa a S. Sede, tum quoad funera demorientium in hospitali, tum quoad associationem eorum cadaverum in coemeterium hospitalis.

Libenter annuit Episcopus primae petitionis parti, sed non ita quoad secundam, contendens reclamata iura et privilegia privative spectare ad parochum de Marxheim.

Disceptatio Synoptica

QUAE RELIGIOSIS ADVERSANTUR. Horum petitionem dupliciter respuendam esse censet Episcopus I°. quia est contra observantiam in sua dioecesi vigentem 2°. quia est iuri contraria. Quoad primum recolit rem facti esse, quod nedum in Marxheim, sed etiam in omnibus aliis dioecesis paroeciis, in quibus huiusmodi hospitalia extant, funera in ipsis decedentium persolvuntur et relativa emolumenta percipiuntur a parochis localibus. Quare cum praetentio religiosorum novitatem redoleat, reiici debet eo magis quia, iuxta Episcopum, neque ipsum Gubernium eam introduci pateretur.

Quoad secundum animadvertit Episcopus, petitionem religiosorum opponi conventioni anni 1861 inter ipsos et Gubernium initae 1. quia iuxta hanc hospitale de Schweinspoint habet personalitatem iuridicam Instituti publici civilis omnino pendentis a Gubernio, et religiosi dumtaxat temporaneam ipsius directionem retinent : hinc iniuria in themate invo-

cantur iura et privilegia Ordini concessa, cum religiosi hospitalis proprietatem non habent.

2. Quia in artic. 21 dictae conventionis, recensitis officiis Cappellani hospitalis, de funeribus et aliis functionibus stricte paroecialibus altum servatur silentium : quod clare innuit, pergit Episcopus, rem relinqui dispositioni iuris communis.

Tandem Episcopus, praescindendo a relata conventione, putat ex alio capite praetentiones religiosorum esse explodendas. 1. Quia cum novum coemeterium sit extra ambitum hospitalis, imo extra Schweinspoint, ipsum est coemeterium *publicum.* Age vero, pergit Episcopus, iuxta ius commune iurisdictio religiosorum non egreditur fines Monasterii ; et hoc quadrare etiam pro hospitalibus directis a religiosis S. Ioannis de Deo probat auctoritate *Cardin. De Luca disc. XXII de parocho* « quoniam ille qui ex eodem Ordine seu alias deputatus ad administrandum sacramenta infirmis habetur loco parochi, ipsumque hospitale *intra suum ambitum* dicitur habere territorium separatum et quoad ibi viventes constituere quamdam speciem parochiae ».

2. Quia iuxta iuris communis dispositionem ius associandi defunctos ad coemeterium publicum privative reservatur parochis, tantum exceptione facta pro religiosis qui deferri possunt ad coemeterium absque interventu parochi, dummodo associatio contingat *absque solemni pompa et recto tramite.*

DEFENSIO RELIGIOSORUM. EX alia parte Religiosi, prius relata decisione S. Congregationis Episc, et Regularium diei 1 Aprilis 1892 in causa (1) *Matriten. Exemptionis ei emolumentorum* inter Episc. Matritensem et religiosos S. Ioannis de Deo Urbis Ciempozuelos, in qua recognita et firmata sunt omnia iura et privilegia, a Sede Apostolica praefato Ordini concessa, quoad plenam exemptionem ab Episcopis et parochis in eo quod spectat ad curam animarum infirmorum degentium in hospitalibus Ordinis, ius funerandi et percipiendi

(1) Recole Vol. XXIV, pag. 63.

emolumenta, se tuentur refutando singillatim argumenta ab Episcopo Augustano prolata.

Et primo quoad invocatam ex adverso observantiam religiosi excipiunt, hanc introductam fuisse, quando ipsi obnoxii erant persecutioni laicae potestatis, quo tempore ipsis impossibile erat iura ab Apostolicis Constitutionibus tributa exercere : at cessata persecutione et Ordine restituto, per se erumpit, dicunt, remoto obice etiam iura et. privilegia quasi *iure jpostlimimi* reviviscere debere. In specie vero quoad hospitale de Schweinspoint, observant, quod si ius associandi defunctos ad coemeterium adhuc non exercuerunt, id ex eo evenit quod praefatum hospitale proprium coemeterium non habebat.

Quoad obiectam personalitatem iuridicam et independentiam hospitalis religiosi ita respondent, quod ipsum acquisitum et aedificatum fuit et instructum omnibus necessariis rebus, aere et expensis religiosorum ; ope eleemosynarum ab ipsis collectarum inibi aluntur infirmi, quibus ipsis opera caritatis impendunt : proinde hospitale erectum quidem est in ens iuridicum, sed ipsis spectat plena administratio et directio, et non sola temporanea directio, ceu vellet Episcopus.

Quoad partem vero formalem religiosi observant, quod hospitale de Schweinspoint est canonice erectum in eoque commorantur plus quam 12 religiosi : unde ipsi inveniuntur in conditione iuxta Breve Urbani VIII *Cum sicut* usufruendi privilegiis Ordini a S. Sede concessis.

Quin aliquid relevet oggestum ab Episcopo art. 21 supra relatae conventionis, nam scopus huius articuli fuit tantum numerare obligationes cappellani, ne hospitali deessent opera religionis, et non determinare iura et privilegia religiosorum.

Tandem religiosi expendunt argumentum deductum ex facto quod coemeterium sit extra hospitale prope paroeciale coemeterium : denegant ipsum posse appellari publicum, quia haec qualitas non diiudicatur ex situ, sed potius ex iure pertinentiae. Aliunde in comperto est iurisdictionem afficere

praecipue personas : et si, ipso fatente Episcopo, religiosi defuncti, utpote exempti a iurisdictione paroeciali, associari possunt ad commune coemeterium absque interventu parochi, parili ratione in casu admitti id debet pro infirmis in hospitali decedentibus, cum eadem fruantur exemptione a parochi iurisdictione. Proinde religiosi réclamant omnia iura et privilegia sibi concessa ab Apostolicis Constitutionibus, nedum quoad exemptionem a paroeciali iurisdictione, sed etiam quoad ius funerandi et associandi ad proprium coemeterium infirmos in hospitali defunctos et relativa percipiendi emolumenta.

His utrinque summatim relatis, supposita sunt enodanda sequentia

Dubia

I. *An et quomodo hospitale de Schweinspoint exemptum sit a- iurisdictione parochi in casu ?*

II. *An et quomodo religiosis S. Ioannis de Deo in dicto hospitali existentibus competat ius associandi ad proprium coemeterium, absque interventu parochi, infirmos decedentes in praefato hospitali in casu?*

III. *An eidem parocho competant emolumenta funerum demorientium in dicto Hospitali in casui*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Episcop. et Regul. re disceptata sub die 8 Martii 1895 rescripsit.

Ad I. *Affirmative in omnibus et amplius.*

Ad II. *Affirmative, recto tramite et sine pompa et amplius.*

Ad III. *Negative et amplius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

BELLUNEN. et FELTREN. Dubia varia quoad sacras funtiones Hebdomadae maioris.

Die 1 Februarii 1895.

Rmus Dnus Salvator ioannes Baptista Bolognesi, Episcopus Bellunen. et Feltren. nonnulla Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum :

In Dioecesibus Bellunen. et Feltren. plures extant Ecclesiae ad Regulares Familias olim pertinentes, quae, iisdem Regularibus initio huius saeculi per civile Gubernium dispersis, Clero saeculari attributae sunt. Hasce in Ecclesias, ubi mos viget peragendi sacras Maioris Hebdomadae functiones, nonnullis abhinc annis, deficiente Sacerdotum numero, quaedam inductae sunt consuetudines, unde suborta sunt insequentis dubia:

Dub. I. An *Passio Domini,* deficientibus aliis ministris, cantari possit a Diacono ministrante quoad textum Evangelistae, et a Celebrante quoad verba a Christo prolata; vel a duobus Diaconis, quorum alter sit ipse Diaconus ministrans: vel (si Subdiaconus ministrans sit in ordine diaconali) a duobus Missae ministris ?

Dub. II. An Feria V in Coena Domini liceat Missam canere cum alterius Hostiae delatione ad Sacellum (vulgo *Sepulcrum),* quamvis die sequenti, ea in Ecclesia, Missa Èraesanctificatorum non celebretur, eamdem Hostiam e Sepulcro in Sacrarium sub vesperam privatim deferendo? et quatenus Negative.

Dub. III. An liceat praedicta Feria V Missam canere absque alterius Hostiae consecratione et absque processione?

Dub. IV. Ubi vero nulla eadem Feria V habeatur functio, an possit sacra Pixis in suo Altari servari usque ad solis occasum, ut fideles, loco Sepulcri, ad Ssmam Eucharistiam adorandam accedere valeant?

Dub. V. An pro altarium denudatione sufficiat mappas, seu tobaleas, ita complicare ut maior mensae pars nudata remaneat, quum ipsae mappae ab Altaribus amoventur?

Dub. VI. In utraque Ecclesia Cathedrali, quibus diebus agitur Officium de aliquo Sancto, in cuius honorem dicatum sit alterum ex Altaribus lateralibus, Missa Conventualis celebratur

ad illud Altare, manentibus in Choro Canonicis aliisque Praebendae. An haec consuetudo sit toleranda?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae, ita propositis Dubiis rescribere rata est, videlicet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad IL *Negative.*

Ad III. *Affirmative* iuxta Decretum Pii Papae VII (Resol. Dubior. 28 Junii 1821, appr. 31 Iulii eodem anno), *de venia sattem Episcopi.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Serventur rubricae.*

Ad VI. *Affirmative; dummodo Altare nimis non distet a Choro; secus Missa celebretur in Altari Chorali, vel Chorus adseititius paretur ad Altare, ubi Missa Conventualis celebranda sit.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 1 Februarii 1895.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

IANUEN. Dubia quoad indumenta canonicorum.

Ne quid dissonum a dispositionibus liturgicis in sacris peragendis functionibus eveniat, Rmi Canonici Insignis Ecclesiae Collegiatae B. M. V. a Vineis in Archidioecesi et civitate Ianuensi existentis, sequentem supplicem libellum dederunt, nimirum :

Beatissimo Padre,

I Canonici dell'insigne Collegiata di Nostra Signora delle Vigne in Genova, prostrati ai piedi di Vostra Santità, riverentemente espongono :

Che i loro indumenti canonicali consistono — in collare di seta rossa, — sottana di seta nera, con coda foderata di seta rossa nelP estremità inferiore, — rocchetto, — cappa di seta rossa in estate, di panno rosso neh' inverno, — cappino di seta rossa (con cappuccio) da Pasqua ad Ognissanti, di panno rosso e pelliccia d'armellino da Ognissanti a Pasqua;

Che tutti complessivamente codesti indumenti si usano soltanto nelle principali solennità funzioni e processioni;

Che per gli ordinari giorni festivi e feriali occorrono loro i seguenti dubbi :

1. Se per adempiere agli obblighi del Coro, negli ordinari giorni festivi e feriali, debbano indossare rocchetto, cappa e cappino.

2. Quatenus negative, se debbano indossare rocchetto e cappino ?

3. *Quatenus negative,* se basti loro indossare il rocchetto ?

Quibus precibus fideliter relatis per me infrascriptum Secretarium, Sacra Rituum Congregatio, omnibus riteque libratis, rescribendum censuit.

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Provisum in secundo.*

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 15 Martii 1895.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L . * S.

ALOISIUS TRIPEPI, .S. *R. C. Secretarius.*

ORDINIS S. BENEDICTI.

CONGREGATIONES GALLICAE. Dubia quoad festum Dedicationis Ecclesiae.

R. P. Franciscus Chamard Prior Monasterii S. Mauri Glanafoliensis ad Ligarim in Andegavensi Dioecesi Sacram Rituum Congregationem rogavit pro declaratione insequentium Dubiorum, nimirum :

1. An monachi Ordinis S. Benedicti, qui habitant coenobium canonice erectum sub titulo Prioratus simplicis et iurisdictione monasterii principalis, sed situm in altera dioecesi et extra civitatem episcopalem, imo nondum ecclesia consecrata munitum, debeant celebrare annuatim festum Dedicationis ecclesiae Abbatiae, in cuius Abbatis potestate sunt, prout assignatur in Kalendario a Sancta Sede approbato; et quatenus negative.

2. An dicti monachi debeant celebrare, sicut fere omnes Galliae Dioeceses, ex indulto Cardinalis Caprara, in prima Dominica post festum Omnium Sanctorum, *Dedicationem omnium ecclesiarum consecratarum ?*

3. An potius ad nullum festum Dedicationis ecclesiarum teneantur celebrandum?

Sacra autem Congregatio, referente me infrascripto Secretario singulis propositis Dubiis maturo examine de more perpensis respondendum censuit.

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Provisum in praecedentibus.*

Atque ita rescripsit, servandumque mandavit. Die 15 Martii 1895.

CAIETANUS CARD. ALOISI-MASELLA
S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI S. R. C. *Secretarius.*

———ngflHfrVflU'———

DECRETUM. NEAPOLITANA seu LYCIEN. Beatificationis et Canonizationis Venerabilis servi Dei Bernardini Realini sacerdotis professi e societate Iesu.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem Venerabilis Servi Det Beatificationem ?

Venerabilis Dei famulus Bernardinus Realini, longe eximium Loyolaeae Sociatatis decus, eiusmodi excelluit *in doctrina, in integritate, in gravitate,* ut novum idemque absolutum se dederit virtutis exemplar. Quapropter, nulla prorsus facta temporis iactura, animarum bono et religionis incremento totus incubuit, iisque, quoad aetatem degit, divinae gratiae charismatis auctus enituit, quibus non modo cumulatissimas a Paulo V Pontifice Maximo ceteroque catholico nomine assequeretur laudes; sed ipsos etiam Ecclesiae osores, supra quam referri queat, in sui obsequium saepenumero attraheret, qui cum praeclaram e libris Angelicis Aquinatis haustam sapientiam, tum singularem viri pietatem in controversiam vertere nec auderent, nec possent. Ab anno autem millesimo sexcentésimo decimo sexto, quo humanis rebus exemptus ad coelestes Bernardinus evolavit, mirum sane, viribus ab ipso funere sumptis, quam manarit latius

in dies diffusa, supernisque etiam prodigiis fortiter acta, sanctimoniae fama, quae cum vita gestisque eius continenter succreverat. Quo factum, ut Beatificationis et Canonizationis Caussa penes Sacrorum Rituum Congregationem, auspicatissimis orta principiis, statim agitari coepta sit. Probationibus vero, processu temporum, iuridice exhibitis et sedulo expensis, usque eo est datum satis, ut fel. rec. Leo XII, saeculares tandem inducias amolitus, ad rem fauste conficiendam, Realini virtutes heroicum adeptas esse fastigium solemni firmaverit decreto, pridie calendas sextiles anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo. Per aliud dein decretum, anno millesimo octingentesimo nonagésimo quarto, idibus novembribus, editum, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII de binis miraculis, Venerabili Bernardino adprecante, a Deo effectis, suprema auctoritate Sua, constare rite pronunciavit. Quocirca, ut caussae tot iam instructae praesidiis optatissimum imponeretur culmen, recensque cunctis virtutum lumen ad imitandum praesto esset, nihil aliud institutae disceptationi adhuc supererat, nisi ut de dubio ageretur, utrum Venerabils Dei Servus inter Beatos Coelites tuto foret accensendus. Quod propositum fuit a Rmo Cardinali Camillo Mazzella, loco et vice Rmi Cardinalis Caietani Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefecti et Caussae Relatoris, in generalibus comitiis coram eodem Beatissimo Patre Leone XIII,* anno superiore, pridie nonas décembres, ad aedes Vaticanas indictis; omnesque quum Rmi Cardinales, tum Patres Consultores, suffragia affirmantia, assensione unanimi, protulere. Sanctissimus vero Dominus Noster, sententiis omnium perceptis, diutius rem gravissimam secum perpendere ratus, monitos voluit cunctos, ut iteratae preces enixius adhiberentur, quae caeleste sibi lumen auxiliumque effiagitarent.

Hodierno autem die, qui Mariae Sanctae Dominae Nostrae ab Angelo salutatae festus recolitur, votis Lyciensium praesertim universaeque Societatis Iesu impletis, validam, qua tempus plane eget cum maxime Ecclesiae, tutelam comparaturus, mystico et incruento Sacrificio religiosissime oblato, ad Suam sententiam ferendam, hanc Vaticanam aulam adiit, et Pontificio solio assidens accersi iussit Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, huiusque Caussae Ponentem, nec non R. P. Augustinum Caprara Sanctae Fidei Promotorem, mecum insimul infrascripto Secretario ; iisque ad-

stantibus, edixit: *Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Servi Dei Bernardini Realini Beatificationem.*

Atque hoc Decretum publici iuris neri et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis, de Beatificatione quandocumque celebranda, expediri mandavit, octavo calendas apriles, anno millesimo octingentesimo nonagésimo quinto.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. jjt S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

DECRETUM. NEAPOLITANA. Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Vincentii Romano Praepositi Parochi oppidi Herculani Neapolitanae Archidioeceseos.

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ae Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ?

Quod *bonis pastoribus* laudi testimonia a Christo exhibita summopere tribuunt, id in Venerabili Vincentio Romano mirum in modum inclaruisse Ecclesia iure meritoque gloriatur. Hic siquidem in Oppido Herculano, anno a reparata salute septingentésimo quinquagesimo primo supra millesimum, industriis in religione parentibus ortus, ob pietatem vel a teneris excultam in Archiepiscopale Seminarium receptus, ac deinceps, canonum legibus integre servatis, ad sacerdotium evectus, ea indesinenter eluxit virtutum praestantia, qua in exemplum ceteris seligeretur, antequam curionis munus, non sine Dei consilio, quinque fere et triginta annos gerendum suscipere est adactus. Providentis enim Numinis et religiosae hominum civilique incolumitati prospicientis nihil est magis, quam, saeculis Ecclesiae vel maxime infensis huiusmodi identidem excitare pastores, qui summi verique Pastoris Christi Iesu vestigia ingressi, data naviter opera, divinae gloriae adiumento et animarum lucro ad-

laborent. Hos inter insignem sibi gradum vindicare Venerabilis Romano existimandus est. Namque a bono, eodemque, ob temporum etiam asperrimam iniquitatem, prae ceteris arduo certamine semel inito, Christi miles nunquam destitit, quin, sua non quaerens suique fere immemor, qua concionibus scriptisque exaratis, qua effusis ad Deum et Deiparam sanctam adsiduo precibus, qua praeclaris omnigenisque virtutum, potissimum vero patientiae, caritatis rerumque terrenarum contemptus, exemplis, sategerit concreditas sibi oves tum in fide morumque integritate apprime servare, tum ad salutis semitam, quae deflexissent, reducere et ad coelestium amorem abripere. Magnum opus aggressus et ingenio in id unum intentus, ut *omnibus omnia et forma gregis ex animo* fleret, humano nulli indulsit solatio ; quodque sibi temporis a populo christianae pietatis monitis instituendo superesset, in rerum divinarum commentatione, noctis intempestae silentio, penitus insumere suevit. Ecclesiae honori provehendo supra modum addictus ac in eo totus fuit, ut acerbas omne genus difficultates amoliretur, Deique gloriam longe lateque protenderei, nec plausibus hominum nec con vicus motus. Quo contigit, ut innumeras nancisci aerumnas, haud semel in vitae etiam discrimen adduci, et adversitates, quoad fieri potest, forti infractoque animo perpeti debuerit. His omnibus rite perfunctus, quo salebrosior evaserat labor, eo clariorem, parta demum victoria, sanctimoniae famam sjbi conciliava; quam altas ubique radices agentem non solum ratam habendam, verum augendam quoque Deus ipse suscepisse ferebatur plurimis charismatis, quibus affluit praestantissimus fieros, nedum cum vitam adhuc degeret, sed postquam etiam, anno octogesimo expleto, pretiosam in Domino mortem oppetiit; supernisque prodigiis, quae ad eius interventionem magis magisque patrata enarrantur. Haec fecere, ut vel ipsi Pius VIII et Gregorius XVI, Pontifices Maximi, summa eum virtutis opinione habuerint et magnum Dei famulum sanctumque inter parochos nomine compellare non dubitaverint. Mirum autem quam enixius in dies augerentur vota, ut opportune propositum ,in Vincentio Romano sanctitatis decus Christifidelibus adduceretur, novumque patrocinium cunctis et praesertim curionibus affulgeret in difficillima munere pervigili cura obeundo.

Quapropter paucis a beato eius exitu elapsis annis, laetisque sane auspiciis, de solemnibus Coelitum honoribus eidem Venerabili comparandis studiosissime cogitatum. Atque ordinariis in eius vitam et res gestas inquisitionibus ad iuris normas sedulo

exactis, ceterisque omnibus praescriptionibus nitide absolutis, S. Rituum Congregatio examen de virtutibus expendendum iniit. Proinde triplici hac de re disceptatione peractum ; prima nimirum v idus augusti anno millesimo octingentesimo nonagésimo in aedibus Rmi Cardinalis Raphaelis Monaco La Valletta, Episcopi Ostiensis et Veliterni, Causaeque Relatoris ; altera in Vaticano Palatio IV idus iulias anno millesimo octingentesimo nonagésimo secundo; tertia demum in generali conventu ibidem habito, pridie nonas décembres anno millesimo octingentesimo nonagésimo quarto, coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII; in quo Rmus Cardinalis Camillus Mazzella, pro Rmo Cardinali Monaco La Valletta, dubium ad discutiendum proposuit : *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum ; nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ?* Atque omnes, qui interfuere, Rmi Cardinales et Patres consultores, singuli suffragationes ediderunt ; Beatissimus vero Dominus Noster Leo Papa XIII, omnium audita sententia, quamvis *non longe fore confideret, ut Italia in Vincentio Romano insigne Curionum exemplar e clero saeculari propositum haberet,* mentem tamen Suam patefacere distulit, utque rei tanti ponderis preces antecederent ad coelestis luminis ampliorem opem expostulandam, adhortari omnes censuit. Hodierno autem die, solemnibus in honorem Annuntiationis Deiparae Virginis consecrato, Eucharistica hostia litata, ad hanc Vaticanam aulam accedens solioque Pontificio insidens, Rmos Cardinales accivit Caietanum Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Camillum Mazzella loco Raphaelis Monaco La Valletta, Causae Ponentis, una cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter et rite sanxit : *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei Vincentii Romano, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc insuper Decretum in vulgus edi et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri iussit, octavo calendas apriles, anno miliesimo octingentesimo nonagésimo quinto.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *Praefectus.*

L. % S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

APPENDIX V.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST. ; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

Litt. encycl. S. C. de Prop. Fide 1867
Ad Delegatos App. et Epp. Orient. Declaratur respicere etiam Orientales Constitutiones pontificias contra sectas clandestinas.

Glandestinas sectas, ubi primum in perniciem religionis, rei publicae, ac societatis eruperunt, apostolica Rom. Pontificum sollicitudo improbare, condemnare, atque gravissimis poenis coercere non omisit. Eaque est rei ipsius natura et gravitas, talisque apostolicarum constitutionum tenor, ut minime dubitari possit quin voluerint laudati Pontifices iisdem obligari omnes et singulos Christifideles, nullo habito locorum, temporum, nationum vel rituum discrimine. Neque omisit S. G. Propagandae Fidei praeposita, pontificia illa decreta Orientalium Ecclesiarum Praelatis opportune significare, uti ex eiusdem Sacrae Congregationis archivo satis superque compertum est. Cum vero eadem socialis clades in hac temporum acerbitate quotidie succrescat, Europae finibus se non contineat, ac, transmisso mari orientales quoque regiones inficiendas susceperit, eo certe graviori perversionis periculo quo maior est simplicitas Christifidelium illic degentium, sollicita fuit haec S. G. Propagandae Fidei, Orientalis Ritus Negotiis praeposita Allocutionem a SSmo D. N. Piò div. prov. PP. IX. habitam in Consistorio diei 25 Septembris 1865, in varia eorumdem locorum idiomata conversam, ad Orientalium Ecclesiarum notitiam atque instructionem mittere. Subinde factum est ut dubia quaedam apud orientales exorta fuerint, et rogata etiam fuerit S. Sedes Apostolica, qua se ratione gerere debeant confessarii, praesertim cum iis, qui damnatis hisce sectis nomen quidem dederint, sacrilegis vero earumdem iuramentis nondum se obstrinxerat*.

Quae quidem cum ad accuratum examen in generali Congregatione Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum revocata fuissent, declaratum est, probante SSmo Domino nostro, orientales comprehendi in Constitutionibus pontificiis latis contra praefatas sectas, etiam quoad poenas, quae in iisdem Constitutionibus infliguntur : ac praemissis dubiis de medio tollendis,

visum est ad Ecclesiarum praelatos aliqua decreta transmittere, alias eadem super re ab Apostolica Sede edita ...

Dum autem Pontificiis hisce actis et decretis provide adlaboratur avertendo ab universali Ecclesia teterrimo massonicarum sectarum damno, provisum quoque est, ut resipiscentibus facilis ad misericordiam et veniam pateat accessus. Notum enim est censuras et poenas quae in memoratis constitutionibus continentur, soli Romano Pontifici reservari, ut praeter Eum nullus confessarius, aut Praelatus cuiuscumque ordinis, ritus, aut dignitatis, etiamsi patriarchalis, existat, valide ac licite extra mortis articulum poenitentes absolvere valeat. Itaque SSmus D. N. Pius div. prov. PP. IX Amplitudini Tuae facultatem concedit, ad quinquennium valituram, absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos, qui sectis vetitis Massonicis aut Carbonariis, aliisque similibus nomen dederint aut favorem praestiterint, postquam tamen a respectiva secta omnino se separaverint, eamque abiuraverint ; libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manibus absolventis consignaverint, ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, veraque poenitentiae signa exhibuerint : firma obligatione denunciandi sectae socios vel saltem magistros : iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentalis confessionis, aliisque iniunctis de iure iniungendis.

Hac autem facultate ad quinquennium dumtaxat, uti supra, valitura, pro foro conscientiae uti poteris ipse per Te, vel per presbyterum Vicarium tuum in spiritualibus generalem, etiam extra sacramentalem confessionem, pro grege Tibi commisso, et intra fines tuae ***dioecesis*** tantum ; atque de speciali Apostolicae Sedis auctoritate delegata, in unoquoque casu exprimenda.

Poterit insuper A. T. communicare etiam habitualiter, si Tibi placuerit, praedictam facultatem pro foro pariter conscientiae vicariis foraneis per dioecesim constitutis ; qui tamen eâ uti non poterunt nisi in actu sacramentalis confessionis. Ceteris vero confessariis, cum ad te sive ad praedictum Vicarium tuum generalem in casibus particularibus poenitentium, recursum habuerint, memoratam facultatem pro exposito casu, et in actu sacramentalis confessionis exercendam poteris concedere; nisi fortasse ob peculiares casus aliquibus confessariis a Te specialiter subdelegandis, per tempus, arbitrio Tuo statuendum, illam communicare iudicaveris.

Eos vero confessarios, quibus potestatem hanc habitualiter, vel per aliquod tempus uti supra impertieris, sedulo monebis, ne illam cuilibet manifestare praesumant, nisi necessitas aut utilitas id exegerit.

Decr. S. C. S. Officii 12 Ian. 1870. — De Fenianis.

Cum dubitatum fuerit a nonnullis an societas ***Fenianorum*** comprehensa censeatur inter societates damnatas in Pontificiis Constitutionibus, SSmus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. IX., exquisito prius suffragio Eminentissimorum PP. Cardinalium, contra haereticam pravitatem in universa christiana republica Inquisiturum generalium, ne fidelium praesertim simplicium corda cum evidenti animae discrimine pervertantur, inhaerens decretis alias a Sacra Congregatione Universalis Inquisitionis in similibus editis, praesertim decretó Fer. IV. die 5 Iulii 1865 (1), decrevit ac declaravit, societatem americanam seu hibernicam ***Fenianorum*** appellatam, comprehendi inter societates vetitas ac damnatas in Constitutionibus Summorum Pontificum, et praesertim in nuperrima Eiusdem Societatis Suae edita quarto Idus Octobris 1869 incip. — ***Apostolicae Sedis*** — qua sub num. 4. excommunicationi latae sententiae, Romano Pontifici reservatae, obnoxii declarantur « nomen dantes sectae massonicae, aut carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam, vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur ; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes ; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint ». Atque ita Episcopis quibuscumque petentibus respondere mandavit.

Ex Instr. S. C. S. Officii 1871. — (Ad Archiep. Corcyren). Non licet haereticis esse patrini in collatione baptismi etc.

1. In collatione Sacramentorum Raptismi et Confirmationis haeretici vel schismatici, neque per se, neque per catholicum procuratorem, neque soli, neque cum catholicis, patrini munere fungi licite possunt : neque catholicis eodem munere fungi licet in iisdem Sacramentis acatholico ritu administratis : ita enim constanter tenuit haec Apostolica Sedes. Quapropter tuum erit, opere potissimum parochorum adlaborare,

(1) Ex deci". *5 Iulii 1865.* « Contra fraternitatem seu societatem *feniarum* seu *« fenianorum,,* deque societate alia sub nomine *S. Patritii* EE. dd.: *Detur Episcopis « Americae Septemtrionalis decretum die 5 Augusti 1846.* » Decretum *5 Aug. 1846* ita se habet: « Societates occultae de quibus in pontificiis Constitutionibus sermo « est, eae omnes intelliguntur, quae adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid « deponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto ser« vando ».

ut abusus hac super re isthic vigentes diligenter aeque ac prudenter, sensim sine sensu, ut iam speras, emendentur.

2. Si quando necessitas cogat catholicos ad acatholicorum funera comilanda, sedulo advertendum est id solum licere quotiescumque agatur de praesentia materiali praestanda, civilis officii causa, a qua eximi nequeant catholici sine gravi damno vel periculo ; et dummodo nullo modo communicent in eorum ritibus ac sacris caeremoniis quibuscumque. Hisce itaque adhibitis conditionibus, consuetudo adsistendi acatholicorum funeribus et sepulturis, si quando nec facile tolli posset, quin exinde oriantur odia et inimicitiae catholicos inter et acatholicos, tolerari potest.

S. C. S. Officii 14 Ian. 1874. — (Ad Vic. Ap. Columben., Ceylan).
Quoad humationem cadaverum cum haereticis
et quoad nuptias celebrandas.

Fideles admonendi sunt ne in cadaverum humatione una cum haereticis ac schismaticis nec preces effundant, nec terram desuper cadavera in fossa iam posita iniiciant, id quod eo vel maxime improbandum est in clericis.

Ut autem recte ac licite fideles sese habeant in adsistendis tum nuptialibus solemnitatibus seu gaudiis nuptiarum mixtarum, vel etiam schismaticorum aut infidelium, cum necessitas ad id eos compelleret, vel ad associanda eorum funera, adnectuntur quaedam resolutiones quibus adhaerendum omnino erit in similibus adiunctis.

Dubia proposita i. An possint invitari haeretici schismatici et infideles ad adsistendum catholicorum nuptiis, vel etiam mixtis, quae licite contrahuntur.

2. Possuntne catholici interesse quovis modo nuptiis haereticorum, schismaticorum et infidelium, vel etiam iis nuptiis quae illicite contrahuntur inter catholicam partem, et alteram ex sectis supradictis addictam, sive nuptiae validae evadant, aut sint invalidae?

R. Ad 1. Tolerari posse, accedente rationabili causa, et dummodo nulla interveniat communicatio in sacris, et scandalum non sit pertimescendum.

Ad 2. De regula, ***negative;*** tolerari tamen posse ut catholici huiusmodi nuptiis, civilis officii causa tantum, adsint, semoto scandalo, et quovis perversionis periculo, nec non ecclesiasticae auctoritatis contemptu.

S. C. S. Officii I Augusti 1855. — Ep. Portus Aloisii.
Quoad eos qui nomen dederunt sectae massonicae dubia varia.

Nous sommes dans ce moment en lutte avec les francs-maçons.... Voici les instructions que j'ai données à mes ecclésiastiques ; je les soumets respectueusement a V. E. et je désire qu'Elle puisse les approuver. J'ai ordonné ce qui suit :

1. Que toute personne qui aurait été assistée d'un prêtre, ou qui aurait demandé l'assistance d'un prêtre à l'heure de la mort, reçoive la sépulture ecclésiastique. Voilà la première règle, et je crois qu'il est impossible dans ce pays-ci d'agir autrement- Le fait d'avoir cherché à se réconcilier à l'Eglise, même à l'heure de la mort, doit être regardé comme une réparation suffisant pour autoriser la sépulture ecclésiastique, et je n'oserai pas faire autrement. J'espère donc que V. E. approuvera cette première règle.

2. Que si le corps d'un maçon défunt était porté à la loge massonique, on ne le reçoive pas à l'église, mais au contraire qu'on doive lui réfuser rigoureusement toute prière et cérémonie ecclésiastique.

3. Que pour admettre à la sainte Communion un franc-maçon le clergé doive exiger rigoureusement qu'il abandonne à jamais la société maçonique, ce que le maçon peut faire sans bruit en cessant de fréquenter leurs loges et de les aider à se maintenir.

4. Que quant au Sacrement du mariage, le clergé doive agir avec les maçons, qui ne veulent pas abandonner leur fraternité criminelle, comme il agit avec les protestants dans le cas du mariage mixtes.

Je ne vois pas la possibilité de faire autrement, et j'espère que V. E. approuvera toutes ces instructions que j'ai données à mon clergé. V. E. sait qu'il existe dans ce diocèse des lois qui rendent le mariage valide aux gens de l'état, et, si nous mettons trop d'entraves au mariage ecclésiastique, les époux se contenteront du mariage civil tout seul, et viveront ainsi dans le concubinage. Mais voici une question bien sérieuse que je soumets au Saint Siège, le priant humblement de m'accorder une réponse pour la direction de ma conscience. Il s'agit toujours de franc-maçons. Les Bulles des SS. PP. qui excommunient les franc-maçons n'on j'amais été promulguées ici d'une manière solennelle pas plus qu'en Angleterre ; mais comme règle générale, mon clergé a exigé, quand un maçon se présentait au tribunal de la Pénitence (chose excessivement rare), qui il abbandonai la franc-maçonnerie. Cependant un de mes prêtres affirme qu'en France les confesseurs

admettent à la sainte Table les franc-maçons sans leur demander ce qu'ils sont, pourvu qu'ils soient de la bonne foi : et ce prêtre a agi ainsi à Maurice dans quelques cas. Maintenant le Saint Siège a répondu le S Juillet 1837, et le 27 Juin 1838 aux Vicaires Apostoliques d'Angleterre que l'absolution donnée aux maçons dans quelque partie du monde que ce soit, est illicite et invalide. Un de nos maçons de Maurice qui faisait la Communion paschale depuis quelques année, et qui était, je le suppose, dans l'ignorance et la bonne foi, ayant appris que les maçons sont excommuniés, et qu'il devait les' quitter, s'il voulait recevoir la S. Eucharistie, a préférée la maçonnerie à la religion, et cette année il n'a pas fait la Communion paschale. L'absolution donnée à celui-ci lorsque il ignorait le mal de la maçonnerie, est elle valide ou invalide? Il y a quelques autres personnes, mais pas beaucoup qui se trouvent dans la même position. Je supplie V. E. de vouloir bien me donner une décision, et une solution de ce cas.

R. Eminentissimi DD. mandarunt respondi per S. C. de Prop. Fide iuxta adnexam instructionem, et dentur decreta :

Feria IV. 5 Dec. 1840. — Ad dubium: « An liceat celebrare parentalia et ecclesiasticam sepulturam concedere' iis qui ante exitum receperunt Sacramenta, attamen sectae massonicae nomen dederunt, et in feretro retinent sectae eiusdem emblemata »; Emi decreverunt respondi: « Affirmative, servata forma decreti Innocentii III Cap. ***A nobis*** de sent. excomm., et dummodo appositio emblematum demandata non fuerit a defuncto post receptionem Sacramentorum, vel ab eodem fuerit revocata, et amoveatur statim cognita eorum appositione, et omnino ante associationem cadaveris. Moneantur confessarii loci de obligatione exigendi retractationem ante sacramentalem absolutionem ».

Feria V. die 5 Iulii 1837 — Proposito dubio : « Utrum in quacumque orbis regione hominibus liberorum «iuratorum societati aggregatis, licet emissi iuramenti eos poeniteat, sacramentalem absolutionem licite aut valide confessarius impertiatur, priusquam ipsi absolute et positive praedictam damnatam societatem in perpetuum relinquat » ; Sacra Congregatio S. Officii respondit: ***Iuxta exposita non licere.*** Cum autem natum sit dubium : « Utrum verba illa ***non licere*** includant in casu exposito etiam invaliditatem absolutionis »; ***Feria IV 27 Iunii 1838*** Emi DD. dixerunt respondendum ***esse: Affirmative iuxta Constitutiones Apostolicas.***

Quoad dubium de validitate absolutionis impertitae sectario addicto societati massonicae, ignoranti pravitatem huius sectae, ***Feria IV 2 Iulii 1845*** Emi decreverunt: « Vicarii Apostolici privatim, vel per se, vel per alios sibi benevisos, nomine S. Sedis confessariis praecipìant ut serio

moneant suos poenitentes, ne societati ***liberorum muratorum*** aliisque huius generis clandestinis aggregationibus nomen dare, vel earum conventícula adire aut fovere praesumant; ac pertinacibus sacramentalem absolutionem negent, cum facultate absolvendi vere resipiscentes ab excommunicatione incursa.

INSTRUCTIO — *Miñe ac Rme Domine* — Ex epistola quam superiori anno ad S. C. de Prop. Fide misisti satis clare liquet quo studio ac pastorali zelo flagras, tam in procuranda gregis Tibi commissi salute, tam in tuenda SS. Canonum observantia ac integritate. Principio siquidem spirituali tuae dioecesis incremento merito laetaris ; qua de re haec suprema Congregatio plurimum in Domino gratulatur ; deinde de temporum difficultate graviter conquereris, deque hominibus qui clandestinis societatibus, ab Apostolica Sede toties damnatis, tenaciter addictis perturbationes et scandala ciere, atque salutares Ecclesiae leges infringere moliuntur. At cum ea sit militantis Ecclesiae perpetua vicissitudo ut veluti Petri navicula nunc tranquillitate fruatur, nunc urgentibus fluctibus veluti iactata periclitetur, praeclara passim occasio suppetit his qui praesunt Christi ovibus proferendi pastoralem zelum quo et ea possint amplecti quae licere et expedire prudentia dictaverit, et in dubiis rebusque arduis auxilium valeant efflagitare ab Apostolica Sede quae poscentibus praebet veritatem. Optimo itaque consilio dubia istinc nuper exorta, tum de ecclesiastica sepultura, sive danda vel deneganda iis qui proscriptis societatibus sunt addicti, tum praesertim de Sacramentorum participatione, ad hanc Supremam Congregationem delata sunt. Quamvis autem ex responsionibus eiusdem S. C. alias datis, atque ex Apostolicis Constitutionibus super hac re sapientissime editis late pateat qua ratione enunciata dubia enucleari possint, Iubet nihilominus aliqua directe adiungere tum pro maiori eorumdem enodâtione, tum insuper, ut ceteri, qui in excolendo dominico agro tecum adlaborant, normam habeant quam inoffenso prorsus pede sequi possint et debeant.

Norunt profecto omnes gravissima damna quae ex clandestinis societatibus nedum temporali reipublicae tranquillitati verum etiam spirituali animarum saluti a multis retro annis inferuntur. « Inde enim (ut loquilur Leo XII) existunt acerbissimae calamitates, quibus Ecclesia fere ubique vexatur, et quas sine dolore, imo sine moerore commemorare non possumus. Impugnantur impudentissime sanctissima eius dogmata et praecepta, eius dignitas extenuatur, et pax illa et felicitas, qua suo quodam iure frui deberet, non perturbatur modo sed omnino evertitur (1) ». Quamobrem, ut probe nosti, Apostolica Sedes, crua Ency-

(1) Bulla *Quo graviora*, (15 Martii 1825)

dicis doctrina ac pastorali unctione refertis, qua exhortationibus, nunquam destitit ab huiusmodi societatibus Christi oves avertere, atque sectas extremum exitium Ecclesiae minitantes, suprema auctoritate damnare, inflictis insuper gravissimis poenis, ac in primis maiori excommunicatione reservala, ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua (1) nemo per quemquam, nisi Romanum Pontificem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Quae cum ita sint, nemini dubium esse potest quin transgressores in hanc gravissimam poenam inciderint. Qui enim post habitam harum constitutionum notitiam, vel proscriptis societatibus nomen dare praesumunt, vel ab iis omnino recedere detrectant, hi profecto in re gravissima Ecclesiam non audiunt, eiusque auctoritatem contemnunt; merito igitur plectuntur, cum^, supremi Pastoris Christi iudicio, tamquam ethnici censeri debeant. Praeclare S. Cyprianus gravissimam hanc poenam spiritalem gladium appellat **(2)** quo superbi et contumaces necantur. Quo etiam fit ut nedum bonorum spiritualium communione, sed, si contumaces ac obstinati decesserint, etiam ecclesiastica sepultura priventur.

Verum cum Christi Ecclesia divini fundatoris spiritu instructa nihil magis exoptet, quam ut devii, deposita contumacia, tandem aliquando ad ipsius sinum redeant, ideo, quemadmodum etiam in articulo mortis possunt per contritionem in Dei gratiam redire, ac internam cum membris mysticis corporis Christi communicationem adipisci, ita, si clara dederint resipiscentiae signa (quae passim **a** doctoribus enumerantur) **(3)** possunt etiam, post mortem ab ecclesiastica censura absolvi, ac subinde (si casus excipiantur **a** iure praescripti) **(4)** etiam ecclesiastica sepultura donari, id luculenter declarat Innocentius III cap. ***A Nobis est saepe quaesitum*** de sent. excom. ubi statuit insuper quo ritu sint absolvendi, qui obtenta, prout creditur, gratia apud Deum per contritionem, per externa resipiscentiae signa excommunicationis vinculo exsolvuntur. Haec autem locum etiam sibi vindicant, si quando defuncti corpus in aulam massonum (vulgo ***Logiaboge)*** delatum fuerit. Etenim, si extrema defuncti voluntate id accidit, procul dubio ecclesiastica sepultura carere debet, cum, ut praefertur, obduratus obierit. Si vero perversa aliorum opera contra defuncti votum, quippe qui cum veris resipiscentiae signis decessit, neque absolutionis beneficio privari debet, nec ecclesiastica

(1) Ita Clemens XII. Bulla *In eminenti;* Benedictus XIV. *Providas;* Pius VII. *Ecclesiam;* Leo XII. *Quo graviora ;* Pius IX. Encycl. *Qui pluribus.*

(2) S. Cyprianus Epist. 62.

(5) Fagnanus tit. 28 *De sepultura* n. 12,13 - Ferraris V. *Excomm..*

(4) Cap. *Ad audientiam* tit. *De torneamentis.* Bened. XIV. *De Syn.* lib.13 c.18 n.10.

sepultura, prout ex doctrina nuper exposita, et ex decreto (1) huius Supremae Congregationis clarissime eruitur.

Quamvis vero ex his quae hactenus dicta sunt ultro profluat solutio ad ea quae Sacramentorum participationem respiciunt, atque in primis num ***liberi muratores*** ceterique huius generis sectarii ad absolutionem in Sacramento Poenitentiae, atque ad S. Synaxim admitti possint, nihilominus utilitatis expers non erit aliqua pressius adiungere. Ut autem silentio praetereantur ea quae a sacris canonibus generali regula praescribuntur, Romani Pontifices qui Christi vices gerunt in terris, in memoratis constitutionibus, quarum iam notitia ubilibet propagata est, conceptis verbis docent et crebro declarant eos beneficium absolutionis a lata censura obtinere haud posse, nisi vel in articulo mortis vel ex Apostolicae Sedis benignitate, atque in utroque casu cautum est, ne confessarius absolutionem conferat, nisi prius retractationem emiserint, ac certa dederint resipiscentiae signa (2). Accedit gravissima ratio ex iuramento a massonibus praestito deprompta, quod nedum ecclesiastica lege, sed divina prorsus ac naturali damnatur; «Quid enim? inquit Leo XII (3), nonne nefas -est iusiurandum, quod in iustitia pronunciandum est, veluti vinculum habere quo quis se ad iniustam caedem obliget, et ad eorum contemnendam auctoritatem, qui, cum vel Ecclesiam, vel legitimam civilem societatem moderentur, ius habent ea cognoscendi, quibus illarum salus continetur? Nonne nequissimum et indignissimum est, Deum ipsum veluti scelerum testem et fideiussorem appellare ? Rectissime Patres Concilii Lateran. III. inquiunt Can. 3 : ***Non enim dicenda sunt iuramenta, vel potius periuria, quae contra utilitatem ecclesiasticam et Sanctorum Patrum veniunt instituta.*** Et intoleranda est eorum ex his hominibus impudentia sive amentia , qui cum non modo in corde suo, sed etiam palam, et publicis scriptis dicant : ***Non est Deus,*** audeant tamen iusiurandum exigere ab iis omnibus, quos suas in sectas diligunt ».

Quamobrem ubi primum confessariis Hiberniae et Angliae ex Apostolica indulgentia per Episcopos facta fuit potestas absolvendi poenitentes qui damnatis societatibus adhaeserant, haec tria sapienter praescripta fuere : 1. Ut confessarii serio monerent suos poenitentes ne clandestinis aggregationibus nomen dare, earum conventícula adire aut favere praesumerent ; — 2. Ut pertinacibus sacramentalem absolutionem denegarent ; — 3. Ut vere resipiscentes ab incursa excommunicatione

(1) Decretum fer. IV. 2 Decembr. 1840.

(2) Constit. Apost, ei decreta.

(3) ***Quo graviora.***

absolverint. Atque in hoc tantum casu tribula fuit opportuna potestas (1), quemadmodum confessariis tuae dioecesis, non aliter ab Apostolica Sede tribuitur. Quae cum ita sint, facile quisque intelliget, neminem ex massonibus absolutionem, de qua agitur, posse consequi nisi deposita contumacia, atque ciandestinis societatibus omnino relictis: neminem insuper ex confessariis posse, nisi vere resipiscentes, absolvere, idque vel in articulo mortis, vel extra ex Apostolicae Sedis benignitate ac indulgentia.

Neque hic immorandum super dubio, si forte, nimirum, possit aliquis tali bona fide ac ignorantia laborare, ut quamvis proscriptis societatibus adscriptus, tamen a lata censura reservata immunis ac proinde valide absolutus censeri valeat, tametsi nullam retractationem emiserit, utpote qui, bona fide relictus, ne cogitaverit quidem de periculis erroribusque quibus scatent clandestinae societates. Yix enim generalis regula super hac re tradi potest ; peculiares enim facti circumstantias oportet sedulo perpendere, atque pro earum varietate ab auctoribus probatae doctrinae iudicandi normam sumere, dummodo tamen prae oculis habeantur ea quae, tanta sententiarum gravitate, in Constitutionibus Apostolicis decernuntur. Id insuper accidere deinceps non poterit, cum confessarii Apostolicae Sedis praecepto teneantur seno monere poenitentes ne ciandestinis aggregationibus nomen dare vel favere praesumant, atque debeant ante absolutionem exigere retractationem, prout in decretis, quae tibi transmittuntur, apertissime traditur. Quod si, nisi resipiscant, indigni prorsus censeri debeant, qui absolvantur in Sacramento Poenitentiae, potiori iure ab Eucharistica Mensa sunt arcendi: qua enim ratione ad Sacramentum unionis et pacis admitti poterunt hi, qui nunc clanculo, nunc scriptis et aperta vi Christo eiusque Ecclesiae bellum indicere, eiusque dogmata et tranquillitatem evertere funditus moliuntur? Pro externa vero agendi ratione, haec locum habent, dum agitur de his qui notorie damnatis societatibus sunt adscripti : occulti enim, ut probe nosti, si publice Eucharistiam peterent, non essent arcendi, cum et ipse Christus Pastorum Princeps Sacramentum sui corporis in suprema coena proditori haud negaverit. Quod attinet denique ad matrimonium, in quo una contrahentium pars ciandestinis aggregationibus adhaeret, cum usque adhuc Apostolica Sedes nullum generale decretum super hac re tulerit, oportet ut pastores caute ac prudenter se gerant, et debent potius in casibus particularibus ea statuere quae magis expedire in Domino iudicaverint, quam generali regula aliquid decernere. Certe boni pastoris partes erunt, quantum sine clamoribus

(1) Decretum an. 1840.

ac scandalis fieri poterit, huiusmodi connubia impedire (1). Confessarii praesertim in Sacramento Poenitentiae, qua instructione ac consiliis, qua adhortatione, debent poenitentes graviter admonere ne tali periculo se ac futuram sobolem temere exponant, cum nil boni faustique expectari possit ab eo qui Dei eiusque leges tam inique contemnit. Quoniam vero, ut exponis, denegata facultate contrahendi huiusmodi matrimonia, nonnulli passione forsan abrepti, parochi ac testium praesentiam négligèrent ; initoque tantum contractu civili, vitam in concubinatu degerent (quod ubi viget Decretum ***Tametsi*** Concilii Trid. verissimum est) ideo urgente necessitate pro casibus, ut dictum est, particularibus potens ea decernere, quae magis in Domino expedire iudicaveris. Oportet denique ut nunquam ab oculis excidant Apostolicae Sedis sapientissima instituta, quae prout cunctis Ecclesiae pastoribus est regula veritatis, cunctis identidem praeclara praebet pastoralis mansuetudinis ac prudentiae exempla. Et ne remota proferantur, praestat animum adiicere ad ea, quae superioribus annis super hac re gesta fuere: idque eo vel magis quoniam dubia, de quibus hactenus actum est, eadem ferme sunt ac illa pro quibus Angliae , Hiberniae , et alibi acriter disceptabatur, quaeve tandem ad hanc supremam Congregationem fuerunt deducta. Post sedulam itaque vestigationem, resolutiones seu decreta prodiere, tum ad enucleanda dubia, tum ad sedandas animorum perturbationes aptissima. Transmissis vero huiusmodi decretis, iniunctum fuit Episcopis ac Vicariis Apostolicis ut privatim, nomine S. Sedis, eorumdem executionem confessariis praeciperent ; quandoque insuper, ne perturbationes in Ecclesiae perniciem suscitarentur, adiecta fuit clausula, ut a publicatione omnino abstinerent. Quapropter, ea qua polies pastorali prudentia, privatim nomine S. Sedis confessariis tuae dioecesis praecipies, ut sedulo obtempèrent, ac omnino adhaereant his quae tum in memoratis decretis, tum in hac epistola continentur quin tamen publicentur. Plurimum haec suprema Congregatio in Domino confidit ut tali prudenti oeconomia, ac insigni tua, Mme et Rme Domine, mansuetudine devicti, etiam devii, relictisque damnatis aggregationibus, valeant tandem aliquando Ecclesiae ac Pastorum vocem submisse ac salubriter audire.

(1) Praestat audire verba Leonis XII. Bulla *Quo graviora;* sic porro Pontifex Episcopos catholicos alloquitur: « Cognoscant (fideles) per vos sectariorum dolos, et « quanta diligentia eos eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreanl vobis « auctoribus et magistris pravam eorum doctrinam, qui sanctissima religionis no- « strae mysteria, et purissima Christi praecepta irrident, omnemque legitimam po- « testatemi impugnant ».

EPISTOLA APOSTOLICA SSmi D. N. Leonis PP. XIII ad Anglos Regnum Christi in Fidei unitate quaerentes Salutem et pacem in Domino.

Amantissimae voluntatis significationem sibi quoque a Nobis habeat gens Anglorum illustris. — Eam quidem allocuti communiter sumus, data non multo antehac epistola apostolica ad principes et populos universos: verumtamen ut id propriis litteris efficeremus, iam Nobis admodum in desiderio resederat. Desiderium alebat ille quo semper fuimus animo propenso in nationem vestram, cuius res a vetustate praeclaras christiani fasti loquuntur : eaque amplius movebant quae non infrequenti cum popularibus vestris sermone acceperamus, tum de observantia Anglorum in Nos humanissima, tum praecipue de calescentibus istic animorum studiis in eo, ut pacem sempiternamque salutem per fidei unitatem requirant. — Testis autem est Deus quam incensam foveamus spem, posse operam Nostram afferre aliquid ad summum christianae unitatis negotium in Anglia tuendum et procurandum : Deoque, benignissimo conservatori vitae, habemus gratiam, qui, ut istud etiam contenderemus, hoc Nobis aetatis incolumitatisque concesserit. Quoniam vero optati exitus expectationem nulla in re magis quam in admirabili gratiae eius virtute collocamus, in id ipsum propterea appellare Anglos, quotquot gloriantur christiano nomine, meditato consilio decrevimus. Atque eos invitamento et alloquio cohortari aggredimur, ut pariter erigant ad Deum et intendant fiduciam, opemque ab illo, tantae rei maxime necessariam, assiduitate sanctarum precum implorent.

Caritati in vos providentiaeque Nostrae facta Pontificum decessorum praelucent, in primis Gregorii Magni; cuius quidem insignia de religione ac de humanitate promerita, iure in gente vestra singulari quodam nomine collaudantur. Quum enim *pro convertendis Anglis Saxonibus, quemadmodum in monaehatu proposuercU, assiduis cogitationum fluctibus urgeretur* (1), si apostolicos in eis labores -praesens quidem obire, ad ampliora destinante Deo, non potuit, mirum sane quo ille animo, qua constantia grande propositum institit perficiendumque curavit. Nam ex ipsa monachorum familia, quam domi suae ad omnem doctrinam et sanctimoniam eximie formaverat, illuc delectam manum, beati Augustini ductu, alacer mittit, contra miseram

(1) Ioann. Diac. ***in vita eius*** II, 53.

superstitionem nuncios evangelicae sapientiae, gratiae, mansuetudinis. Coepta porro sua nullis humanis subnixa praesidiis, et spem per difficultates crescentem, plena tandem videt et cumulata. — Cuius eventum rei eidem Augustino per litteras nuncían ti, triumphans ipse gaudio ea rescripsit : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis : gloria Christo.... cuius morte vivimus, cuius infirmitate roborantur•, cuius amore in Britannia fratres quaerimus quos ignorabamus, cuius munere quos nescientes quaerebamus, invenimus. Quis autem narrare sufficiat quanta hic laetitia in omnium corde fidelium fuerit exorta, quod gens Anglorum, operante omnipotentis Dei gratia, et tua Fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris, sanctae fidei luce perfusa est: quod mente integerrima iam calcat idola, quibus prius vesano timore subiacebat?* (1) Idemque Ethelberto regi Cantu et Bertae reginae gratulatus est epistolis perbenignis, quod altera *recordándote memoriae Helenam,* alter *Constantinum piissimtim Imperatorem* essent imitati (2); tum utrumque et gentem saluberrimis monitis confirmavit, plenisque prudentiae institutis provehere et augere reliqua vita non desiit. Ita in Britanniae finibus christianum nomen, temporibus priscis ab ipsa Ecclesia invectum, propagatum, vindicatum (3), quod exterarum deinde occupa tione gentium oppressum, longo intervallo defecerat, feliciter Gregorio auspice restitutum est.

Haec principio revocare libuit, non ideo solum quia per se egregia sunt et Ecclesiae Christi gloriosa, sed quia populo Anglorum, cuius gratia sunt gesta, certe erunt ad commemorandum pergrata. — At vero, quod magni interest reputare, eadem caritatis Gregorii instantiaeque argumenta, transmissa veluti nere-* ditate, in eis non dissimiliter apparent qui Pontifices successerunt. Sive enim dignis pastoribus designatis, sive datis humanae

(1) *Epist.* XI, 28, al. IX, 58.

(2) *Ib.* XI, 66, ai. IX, 60; XI, 29, *al.* IX, 59.

(3) In hoc valde egit sanctus Caeleslinus I, adversus haeresim pelagianam quae Briiannos infecerat. Qua de re sanctus Prosper Aquitanus, scriptor eiusdem aetatis, idemque postea sancti Leonis Magni notarius, sic habet in suo *Chronico:* « Agricola « peiagianus, Severiani pelagiani episcopi filius, ecclesias Britanniae dogmatis sui « insinuatione corrupit. Sed ad actionem Palladii diaconi, Papa Caelestinus Germa- « num, antissiodorensem episcopum, *vice sua* mittit, et deturbatis haereticis, Britannos « ad catholicam Iidem dirigit ». Migne, *Bibil.VV.* — S. Prosp. Aquit. *opp.vol. un., pag.* 594.

divinaeque doctrinae magistris optimis, sive disciplinae et hortationis suppeditetis auxiliis, diligentissime est ab illis abundeque praestitum quidquid resurgent! apud vos ecclesiae ad firmamentum erat opus et ubertatem. Huiusmodi curis perbrevi sane tempore respondit exitus ; nec enim usquam fortasse altius in animis recens fides insedit, neque acriores pietatis sensus erga beatissimi Petri Cathedram viguerunt. Cum quo christianae unitatis centro, in romanis Episcopis divinitus constituto, iam tum summa Anglis coniunctio intercessit decursuque aetatum perstitit, fidelissimo obsequio, firma; id quod tam multis tamque nobilibus rerum monumentis consignatum est, nihil ut testatius fieri queat.

Verum saeculo sexto decimo, in illa religioni catholicae asperrima per Europam tempestate, Anglia simul, neque ignota est causa, gravissimum vulnus accepit: quae primum divulsa a communione Apostolicae Sedis, dein ab ea fide sanctissima abducta est, quam complura iam saecula, cum magno etiam libertatis emolumento, laeta coluerat. Dissidium triste ! quod decessores Nostri ex intima caritate deplora verunt, omnique providentiae ratione conati sunt restringere et profluentern inde malorum vim deminuere. Longum quidem est, neque est necessarium, seriem persequi earum rerum quae ipsorum in hoc sedulam perpetuamque curam declarent. — Praesidium vero insigne et praevalidum ab iis paratum est, quoties peculiares indixerunt preces eo proposito, ut Deus Angliam suam benignus respiceret. Cui eximio caritatis operi sese nonnulli maiorem in modum dediderunt viri sanctitate illustres, nominatim Carolus Borromaeus et Philippus Nerius ; maximeque superiore saeculo Paulus ille, auctor Sodalitatis a Christi Passione, qui, non sine quodam caelesti afflatu, ut proditum est *ad thronum divinae gratiae* supplicando instabat, eoque enixius, quo minus favere optatis tempora videbantur. — Nosmetipsi, multo etiam antea quam ad summum sacerdotium eveheremur, hoc idem religiosae precationis officium in eamdem causam impensum, et magni fecimus et valde probavimus; huiusque rei iucunda quaedam subit animo recordatio. Quo enim tempore belgica in legatione versaremur, oblata Nobis consuetudine cum Ignatio Spencer, eiusdem Pauli sancti a Cruce alumno pientissimo, tunc nempe accepimus initum ab eo ipso, homine anglo, consilium de propaganda certa piorum societate, rite ad Anglorum salu-

tem comprecantium (1). Tale consilium, et fide et amore fraterno excellens, vix attinet dicere quanta Nos gratia complexi simus quantaque studuerimus ope fovere, praecipientes cogitatione largum inde utilitatis solatium anglicae genti consecuturum. Fructus autem divinae gratiae, ex bonorum precibus impetrati, non obscure quidem ante illud tempus pro venerant; exinde tamen, sancto eiusmodi foedere latius dimanante, maiore copia extiterunt. Factum est enim ut complures, clarissimo etiam nomine, admonenti vocantique Deo pii volentes paruerint; idque non raro per maximas privatim iacturas, animo excelso. Praeterea mira quaedam commota est passim inclinatio animorum erga fidem et instituta catholica; ut ad haec accessio non minima facta sit existimationis et reverentiae, praeiudicatas opiniones delente studio veritatis.

Quarum rerum progressionem considerantibus, sic Nobis persuasum est, beneficio potissimum unanimae supplicisque tam multorum ad Deum obsecrationis, maturari iam tempus quo benignitatis eius erga nationem vestram consilia se amplius prodant, ut plane *sermo Dei currat et clarificetur* (2). — Fiduciamque adiuvant quaedam ex humana civilique rerum vestrarum temperatione momenta, quae si minus proxime ad id quod propositum est conducunt, conducunt tamen, vel dignitatis humanae tuenda honestate vel iustitiae caritatisque legibus dirigendis. Sane apud vos multa datur opera causae, quam vocant socialem, dirimendae, de qua consulto est a Nobis ipsis actum encyclicis litteris : sodalitia quoque habentur providenter condita ad aequam opificum plebisque levationem et disciplinam. Optimum similiter, quod tanta cum alacritate et firmitate contenditur, ut in populo maneat religiosa institutio: quo nullum certe stabilitis est educandae soboli continendoque domestico et civili ordini fundamentum. Est item in laude, multos diligenter studioseque in id incumbere, ut potus intemperantia, indigna homine labes, tempestivis cautionibus comprimatur. Illud autem egregium, coalitas nobiliorum iuvenum societates, custodiendae morum debitae continentiae, atque honori, qui par est, in feminas observando: nam dolendum, opiniones de christiana con-

(1) Ad hoc precem ille praecipue suadebat salutationem angelicam; impeträvilque a Coetu sollemni Ordinis sui, Romae habito an. MDCCCLVII, singulare de ea re praeceptum sodalibus omnibus eiusdem Ordinis.

(2) II Thess. III, i.

tinentia serpere exitiales, quasi arbitrantium non tam restricte eo praecepto teneri virum, quam femina teneatur. — Nec sine causa prudentes viri extimescunt *rationalismi* et *materialismi* pestes, a Nobismetipsis saepius damnatas; quarum contagione quidquid usquam auctoritatis est in religione, in studiis doctrinae, in vitae usu, tollitur funditus vel admodum infirmatur. Quam ob rem illi praeclare consulunt, qui non timide complectuntur atque etiam asserunt summa Dei et Christi eius iura, leges, documenta; his namque divinum in terris regnum, consistit; hinc omnis potestas et sapientia et incolumitas derivatur. — Probeque indolem vestram virtutemque declarat multiplex beneficentiae ratio; de languida senectute, de pueritia derelicta, de invaletudine perpetua, de inopia calamitosa, de periclitanti pudore, de vitiositate corrigenda, curaeque aliae similes, quas antiquitus Ecclesia mater studiose induxit nulloque tempore destitit commendare. Nec praetereunda est dierum sacrorum publice inviolata religio; neque ille reverentiae habitus, quo in divinarum libros Litterarum animi fere ducuntur. — Potentia denique et opes nationis britannicae, humanitatis libertatisque beneficia una cum commerciis in oras ultimas proferentis, cui non merito sunt spectatae?

Ex hoc tamen laudatarum rerum concursu et agitatione mens tollitur ad summum omnis efficientiae principium fontemque iugem bonorum omnium; ad Deum, beneficentissimum nobis e caelo patrem. Neque enim, nisi exorato et propitio Deo, illae res vere sunt, uti oportet, privatim vel publice valiturae: quippe, *Beatas populus, cuius Dominus Deus eius* (1). Sic igitur animum christianus homo affectum confirmatumque habere debet, ut rerum suarum spem reponat maxime et defigat in ope divina, quam sibi paret orando: inde scilicet fit ut eius actioni quiddam humano maius et generosius accedat, beneque merendi voluntas, veluti superno ardore incitata, multo se amplius atque utilius effundat. Deus nimirum, data exorandi sui facultate, permagno mortales et honore affecit et beneficio; idque praesidium omnibus omnino promptum est, nec operosi!m, nullique ex animo adhibenti recidit irritum: *Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus tutissimus locus* (2). Quod si divinum numen religiose oranti ea

(1) Ps. CXLIII, 15.
(2) Chrysost. *hom.* XXX *in Gen.* 5.

licet expectare, quae ad prosperum huius vitae statum proficiant, perspicuum est nihil non ei sperandum, ad aeternitatem vocato, de praestantissimorum adeptione bonorum quae humano generi Christus peperit *sacramento misericordiae suae.* Ipsemet, *factus nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio* (1) ad ea omnia, quae in id providentissime docuit, constituit, effecit, salutaria orandi adiecit praecepta, eademque roboravit benignitate incredibili.

Sunt ista quidem nemini christiano non cognita; tamen haud satis recoli a plerisque et adamari solent. Hoc Nobis dat causam ut orandi fiduciam vehementius excitemus, Christi Domini ipsius verba paternamque caritatem renovantes^ Illa nempe gravissima et promissis uberrima : *Et ego dico vobis : Petite et dabitur vobis ; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur* (2) : quae mirifice illustrant Dei providentis consilium, ut precatio sit et indigentiae nostrae interpres et eorum quibus indigeamus certa conciliatrix. Quo vero maiestati Patris vota nostra accepta grataque fiant, ea Filius cum suo ipsius deprecatoris merito et nomine omnino iubet nos coniungere et exhibere : *Amen amen dico vobis ; si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* (3). Tum similitudine etiam benevolentiae actuosae,qua sunt animati parentes in liberos, rem confirmans : *Si vos,* inquit, *quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se ?* (4) Magna procul dubio lectissimorum munerum copia eo *spiritu bono* continetur; atque illa maxime inest arcana vis, de qua Christus ipse commonuit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (5). — Tali disciplina instituti, fieri nequaquam potest, ut non invitentur, non impellantur animi ad salutarem orandi consuetudinem. : nimium vero quantum indi et perseverantia insistent et exardescent pietate, ubi sese ad exempla Christi contulerint. Qui nihil timens, nulla re egeris,

(1) I Gor. I, 50.
(2) Luc. XI, 9-10.
(3) loaim. XVI, 23-2*.
(4) Luc. XI, 13.
(5) loann. VI, 44.

quippe Deus, tamen *erat pernoctans in oratione* (1), atque obtulit *preces supplicationesque.... cum clamore valido et lacrimis* (2): idque peragens, *ita se Patri exhibere voluit precatorem ut meminisset se nostrum esse doctorem,* prout ipse sapienter vidit, nationis vestrae ornamentum, venerabilis Beda (3). At Christi Domini praeceptionem in hac re et exemplum nihil profecto luculentius comprobat, quam supremus ille sermo quem, cruciatibus proximus necique, ad apostolos habuit. In quo, sublatis in caelum oculis, spirante pectore caritatem, Patrem sanctam etiam atque etiam compellavit, id rogans id flagitans, ut arctissima inter alumnos sectatoresque suos coniunctio foret et permaneret in veritate; idque tamquam evidens argumentum legationis suae divinae in oculis gentium patesceret (4).

Hoc loco gratissima enimvero obversatur cogitationi unitas fidei et voluntatum, cuius gratia Redemptor et Magister noster in ea supplicatione ingemebat: quam unitatem, rei quoque civili domi forisque perutilem, haec vel maxime tempora, dissociatis adeo perturbatisque animis, plane deposcunt. Quantum in Nobis fuit, nihil admodum quod Christi exemplum et conscientia officii admoneret, videmur praetermisisse vigilando, hortando, pro videndo; Deoque imploratione supplica vimus humili et supplicamus, ut nationes de fide christiana dissentientes pristinam tandem repetant unitatem. Id proximo tempore non semel affirmateque significavimus, neque uno consilii modo acriores in idem curas conferre instituimus. Quam vero feliciter Nobis beateque, si rationem pastorum principi, instante iam tempore reddituris, id contingat, ut de his votis, quae ipso aspirante et ducente aggressi sumus perficere, libamenta ei non exigua fructuum afferamus! — Per hos autem dies magna cum benevolentia et spe habemus animum ad Anglorum gentem conversum; in qua intuemur crebri ora et manifestiora indicia divinae gratiae, salutariter animos permoventis. Satis enim apparet, ut quotidie offendat non paucos communitatum suarum in rebus maximis vel confusio vel repugnantia; ut alii videant qua opus sit firmitate adversus novum variumque errorem, in prava naturae et rationis placita abeuntem; ut augescat homi-

(1) Luc. VI, 12.
(2) Hebr. V, 7.
(3) *In eo. S. Ioatm.* XVII.
(4) Ioann. XXII, 21.

num numerus religiosorum ac prudentiorum, qui coniunctioni cum Ecclesia catholica instaurandae ex animo multumque studeant. Eloqui vix possumus quam vehementer et haec et similia plura caritatem Christi in Nobis acuant; quantaque contentione uberioris a Deo gratiae munera devocemus, quae animis ita affectis infusa, in fructus exeant optatissimos. Eos videlicet fructus, ut *occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei* (1). *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae; unus Dominus, una fides, unum baptisma* (2).

Vos igitur omnes, cuiusvis communitatis instituti, quocumque in Anglia estis ad hoc unitatis sanctae propositum revocandi, sermo Noster peramanter appellat. Sinite obtestemur vos per sempiternam salutem perque gloriam christiani nominis, ut preces fundere atque vota summo Patri caelesti demisse impenseque facere ne renuatis. Ab ipso, omnis luminis largitore omnisque recte facti suavissimo impulsore, opportuna petere adiumenta contendite, ut liceat vobis doctrinae eius plene dispicere veritatem eiusdemque misericordiae consilia fidelissime amplecti, augusto nomine interposito et meritis Iesu Christi, in quem aspicere oportet *auctorem fidei et consummatorem* (3), quique *dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea,, ut illam sanctificaret... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam* (4). — Difficultates, si quae sunt, non sunt tamen eiusrhodi ut, aut caritatem Nostram apostolicam omnino iis retardari, aut voluntatem vestram deterreri oporteat. Esto, quod rerum conversionibus ac diuturnitate ipsa dissidium convaluerit: num idcirco reconciliationis pacisque remedia respuat omnia? Nequaquam ita, si Deo placet. Sunt eventus rerum, non provisione humana tantummodo, sed maxime virtute pietateque divina metiendi. In rebus enim magnis atque arduis, si modo sint sincero et bono animo susceptae, adest homini Deus, cuius providentia ab ipsis inceptorum difficultatibus capit quo magnificentius eluceat. — Ad solatium communis spei haud longe abest ut saeculum condatur tertium decimum, postquam missos ex hac Urbe apostolicos viros, quod initio commemoratimi est, gens

(1) Eph. IV, 15.
(2) *Ib.* 5-5.
(3) Hebr. XII, 2.
(4) Eph. V, 25-27.

anglica auspicato excepit, spretâque vana numinum religione, primitias fidei suae Christo Deo consecravit. Res quidem, si qua unquam fuit, celebratione et gratiis publice digna, quippe quae vobis et magnam beneficiorum copiam et amplitudinem nominis per aetates adduxit. Tali autem ex recordatione memoriae utinam id praecipue bonum sequatur, ut studiosos recti animos cogitatio capiat et aestimatio iusta de fide ; quae non alia maioribus illis vestris tradita est, non alia nunc traditur. Nam *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula,* ut Paulus praedicavit apostolus **(1);** qui peropportune vos etiam hortatur ut memores sitis patrum vestrorum, *qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* **(2).**

Socios adiutoresque in causa tanta catholicos Angliae, quorum exploratissima est Nobis fides et pietas, praecipue advocamus. Qui sacrae precationis dignitatem virtutemque frugiferam sedulo apud se perpendentes, nihil dubium quin certare velint ut inde suis omni ope succurrant, eisque et sibi demereantur Dèi clementiam. Nam ut quis sua causa oret, cogit sane necessitas ; ut oret aliorum causa, studium hortatur fraternum : facile autem apparet plus quidem gratiae habituram esse apud Deum precem, non quam transmittat necessitas, sed quam caritas fraternitatis commendet. Id certe christiani ab Ecclesiae usque primordiis alacres praestiterunt. In eo potissimum quod attinet ad fidei donum, praeclara sunt ad imitationem quae antiquitas tradidit; quemadmodum illi cognatis, amicis, principibus, civibus suis infiammato studio postularent a Deo *mentem obedientem in christianam fidem* (3). — Coniuncta in re accedit aliud quod Nos habet sollicitos. Est enim compertum Nobis, non deesse istic qui nomen catholicum teneant ii quidem, re vero et professione non ita, ut aequum est, probare curent ; maxime vero, in amplis primariisque urbibus, ingenti numero esse homines qui religionis christianae ne ulla quidem elementa hauserint, quique non modo nullum Deo adhibeant cultum, sed in caeca ignoratione iustitiae bonitatisque eius versentur. In hac item calamitate orandus, exorandus est Deus: velit ille, qui potest unus, aptas curationi monstrare vias, velit eorum animos viresque sustinere qui in ea ipsa causa iam desudant, velit *mittere opérenlos in messem suam.* — Quod Nos deprecandi officium quum iii filiis Nostris urgemus, eosdem pariter debemus

il) **Hebf.** Xlii, 8.
(2) *Ib.* !..
(5) S. Aug. *de dono persev.* XXIII, 63.

velle admonitos, ut ne quid de se desiderari ullo modo sinant quod impetrationis fructum efficiat; habeantque propemodum sibi quae Corinthiis edixit Apostolus: *Sine offensione estote Iudaeis et Gentibus et Ecclesiae Bei* (1). Nam, praeter virtutes animi, quas ipsa precatio in primis postulat, eam comitentur necesse est actiones et exempla christianae professioni consentanea. Integritatis exempla et iustitiae, miserationis iñ egenos et poenitentiae, concordiae domesticae et verecundiae legum, optimae sunt orantium commendationes. Qui sancte colunt et perficiunt praecepta Christi, eorum scilicet votis divina liberalitas occurrit, secundum illud promissum : *St manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis* (2). — Id autem est quod in praesentia, consociata Nobiscum prece, singulariter a Deo velitis hortamur, ut detur vobis cives concordes fratresque in complexum perfectae caritatis excipere.

Ad haec, Caelitum sanctorum adiungere iuvat deprecatio ncm : cuius efficacitas quantum, hac praesertim in re, emineat, illud Augustini docet de Stephano acute dictum : *Si sanctus Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet* (3). Itaque suppliciter imploramus Gregorium, quem suae gentis salutare Apostolum Angli consueverunt; Augustinum, alumnum, et legatum eius, ceterosque, quorum admirabili virtute, admirabilibus factis, ista dilaudata est altrix Sanctorum insula ; singularesque patronos, Petrum Principem apostolorum et Georgium ; ante omnes, sanctissimam Dei Genitricem, quam humano generi Christus ipse e cruce reliquit atque attribuit matrem, cui regnum vestrum, nobilissimo praeconio, tamquam *Dos Mariae,* inde a proavis est dedicatum. Eos cunctos magnis precibus adhibemus apud Deum sufiragatores, ut, renovatis temporum optimorum auspiciis, ipse *repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti* (4).

Peculiaria vera precum officia, quae iam ad fidei unitatem, statis diebus modisque sunt apud catholicos instituta, ea curandum, ut maiore et frequentia et religione celebrentur. In primisque vigeat sancta marialis Rosarii consuetudo, a Nobismetipsis tantopere excitata : eo quidem veluti summa evangelicae do-

ti) **I Cor. X, 52.**

(2) Ioann. XV, 7.

(3) Serra, *in urit. s. St eph.* VI, n. '8.

(4) Rom. XV, 15.

ctrinae perapte continetur, ab eoque saluberrimae in populos utilitates perenni cursu fluxerunt. Hoc amplius, ad sacrae indulgentiae beneficia, quae subinde a Decessoribus sunt in eodem genere concessa; unum quoddam adiicere placet sponte et auctoritate Nostra. Id est, qui rite precem recitaverint quam huic epistolae subiicimus, indulgentiam singulis, etiam non anglis, dierum tercentorum tribuimus, plenariam praeterea, semel in mense, recitantibus quotidie, consuetisque servatis conditionibus.

Haec omnia augeat expleatque divina obsecratio Christi de unitate: quam hodierna die per sacratissimum Resurrectionis eius mysterium immensa cum fiducia iteramus : *Pater sánete, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; ut sint unum, sicut et nos.... Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est.... Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.... Ego in eis, et tu in me; ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti* (1).

Iamvero universae Britannorum genti fausta a Deo omnia cupimus et exoptamus : summa vero precamur voluntate ut quaerentibus regnum Christi et in fidei unitate salutem vota plena eveniant.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xiv aprilis anno MDCCCLXXXXV, Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII.

AD SANCTISSIMAM VIRGINEM
PRO ANGLIS FRATRIBUS PRECATIO

O *beata Virgo* MARIA, *Mater Dei, Regina nostra et Mater dulcissima, benigna oculos tuos converte ad Angliam, quae* Dos *tua vocatur, converte ad nos, qui magna in te fiducia confidimus. Per te datus est Christus Salvator mundi, in quo spes nostra consisteret ; ab ipso autem tu data es nobis, per quam spes eadem augeretur. Eia igitur, ora pro nobis, quos tibi apud Crucem Domini excepisti filios, o perdolens Mater: intercede pro fratribus dissidentibus, ut nobiscum in unico vero Ovili adiungantur summo Pastori, Vicario in terris Filii tui. Pro nobis omnibus deprecare, o Mater piissima, ut per fidem, bonis operibus foecundam, mereamur tecum omnes contemplar-i Deum in caelesti patria et collaudare per saecula. Amen.*

(1) Ioann. XVII, Ii, 17, 20, 21, 23.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NANCEYEN.

TRANSLATIONIS ET SUSPENSIONIS

Die 1 Septembris 1894.

Sess. 24. Cap. 5 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Parochiam vulgo *Noviant-aux-Prés*, Nanceyensis Dioecesis, anno 1888 obtinuit Sacerdos Franciscus Hémonet, praesentis controversiae actor. Nam ab Episcopo per decretum diei 24 Februarii 1893 ab hac parochia remotus et ad aliam vulgo *Raon-les-Leau* translatus, ad S. C. C. recursum habuit contra Episcopale decretum, intimatum per Vicarium generalem.

Cum parochus Episcopo responderit per literas plures causas nectendo, quibus renuebat exequi impositam translationem, per decretum diei 4 Martii 1894 suspensus fuit a divinis quoad Ecclesiam de *Noviant-aux-Prés*. Interposito a Parocho recursu ad S. C. C. ita Episcopo rescriptum fuit sub die 23 Iunii 1893 : « Relatis in S. C. Concilii uteris amplitudinis tuae diei 16 Iunii curr. circa recursum Francisci Hémonet, Emi Patres rescribendum censuerunt : Ad instantiam praefati sacerdotis Hémonet - *Lectum* - et Orator Episcopo suo humiliter se subiiciat eiusque pareat mandatis, et in posterum non audeat similibus de causis S. Sedem adire, idque notificari mandarunt, prout per praesentes exequimur, eidem amplitudini tuae, cui fausta omnia ominamur ».

Episcopus S. C. C. decretum intimavit parocho per literas diei 25 Iulii 1893, eidem praefigens terminum octo dierum ad praeceptum congrue adimplendum. Quo termino inutiliter praeterlapso, Ordinarius eumdem Sacerdotem suspendit a divinis, seu a celebratione missae et a quolibet actu ministerii ecclesiastici.

Quia sacerdos Hémonet iterum ad S. C. C. contra hoc decretum recursum habuit, sub die 12 Augusti, ita Ordinario rescriptum fuit :

« Dum ad A. T. mitto novum supplicem libellum sac. Hémonet, ut super eo mentem aperias, simul notum tibi facio, praeceptum huic sacerdoti factum rescripto diei 23 Iunii p. p. se scilicet subiiciendi Episcopo eiusque parendi mandatis, praecise respicere dimissionem paroeciae et discessum eiusdem e loco *Noviant-aux-Prés*, de quo quaestio tunc agebatur : susceptionem vero novae huius vel alterius paroeciae, rem esse a praecedenti distinctam, ad quam S. C. taxative non respexit in suo rescripto. Quapropter hac de re A. T. procedere quidem poterit ordinaria tua potestate, minime vero S. Sedis nomine et auctoritate ».

Interim sacerdos Hémonet Romam se contulit a divinis suspensus ex praecepto sui ordinarii ; ubi agitabatur causa sub duplici dubio ; *primo* nimirum, an causa adfuerit sufficiens obligandi parochum, ab una Ecclesia remo tum, ad aliam suscipiendam, et *secundo* an consequenter sustineatur sententia suspensionis. Nam S. C. C. in litera diei 12 Augusti supra relata aperte explicat quaestionis terminos. Nihilominus, quia rationes translationis innituntur remotionis rationibus, hae et illae perpenduntur.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO EPISCOPI. Episcopus in primis refert nonnulla facta, quibus comprobet sacerdotis Hémonet ingenium esse pronum in rebellionem. Narrat enim occasione sepulturae cuiusdam Marchai ob nonnullas difficultates, exinde enatas, se exquisivisse ab Hémonet, qua loci parocho, relationem factorum, ut de iisdem posset inquirenti politicae auctoritati respondere ; sed hoc obtinere non potuisse a rebelli sacerdote, quamvis pluries et instantius interrogato. At Episcopus praecipue parocho Hémonet exprobat factum, cuius ipse fuit auctor, ut parochiae Fabriceria denegaret quemdam suceur-

sum pro presbyteris senibus aut infirmis, dari solitum in omnibus parochiis, iuxta morem confirmatum a lege civili. Reclamationibus Ordinarii ob talem iniustam denegationem, Fabriceriae thesaurarius respondit per literas admodum insolentes, quas Episcopus pro certo habet, parocho Hémonet tribuendas esse. Quocirca Curia episcopalis Fabriceriam citavit apud Iudicem pacis; at tali intimationi cessit, certa quod condemnaretur, et solvit debitam praestationem solum currentis anni, non annorum superiorum ob praescriptionem oppositam iuxta leges civiles. Tunc vocatus sacerdos Hémonet a Curia Dioecesana, ut responderet de interposita resistentia, non potuit citare, nisi unam litteram Vicarii Generalis qui per *unum tantum annum* praeterito tempore Fabriceriam dispensaverat a praedicta solutione. Denique notat Episcopus, hoc rebellionis exemplum statim, malo fato, imitatores adinvenisse et contentiones factiosas in paroecia excitasse, unde quam citius censuit compescendam audaciam Hémonet per decretum remotionis a paroecia *Noviant-aux-Prés,* et translationis ad aliam vulgo *Raon-les-Leau.* Instat quod, eo magis necessariam hanc animadversionem recognoverit, quo insolentius iste parochus se gesserat saepius in suos superiores, praesertim vero in Vicarium generalem relate ad quoddam matrimonium celebrandum in paroecia loci *Menil-la-Tour ;* quod in negotium, quamvis illi omnino impertinens, voluit se ingerere sacerdos Hémonet, nec erubuit falsi crimen publice appingere Vicario generali.

Sedulo advertit Episcopus quod nihilominus semper peramanter admonitionibus et paternis correctionibus prosecutus est hunc sacerdotem quem punire potuit, sed non inducere ut sui criminis poeniteret. — Nam superiorum animadversiones retorquebat in publicas querelas, in ephemeridibus vulgatas aut vulgandas, prouti hoc spiritu ductus publicavit librum inscriptum *Nancy-Juif,* quo sub praetextu fraudes detegendi Iudaeorum, conviciis et probris omnes insequitur ipsos praesules ecclesiasticos, veluti cardinalem Foulon. Has allegationes Episcopus ita concludit : « L'étendue de ce mé-

moire demontre une fois de plus ma déférence et mon respect à l'égard des Congrégations romaines.

« Il démontre aussi que j'ai employé, à l'égard de Monsieur Hémonet, comme je le fais toujours à l'égard de tous les prêtres, tous les moyens de douceur et que je pousse la patience et l'indulgence aux dernières limites ».

Rationes vero ob quas transtulerit ita explicat : « Si j'ai insisté pour que Mr. Hémonet acceptât une autre cure, c'est 1. parce qu'il y avait là un moyen de lui faire quitter Noviant-aux-Prés - 2. un moyen de le tirer de l'oisiveté qui ne peut que lui être funeste - 3. de lui donner la possibilité de se réhabiliter. Certainement, je ne l'aurais pas laissé longtemps dans la paroisse de Raon-les-Leau s'il s'y était rendu avec docilité, et je lui aurais donné une paroisse meilleure dès qu'il aurait démontré sa bonne volonté. Je reconnais qu'un prêtre qui s'obstine dans la revolte et qui s'efforce de faire le mal d'une paroisse, à laquelle il a dû renoncer ne peut-être un bon curé ».

« Il est certain, évident, et ceci est de la plus haute importance que les motifs pour lesquels Hémonet a été frappé de suspense sont : *a)* sa résistance ouverte, scandaleuse, aux décisions de la S. Congrégation au sujet de sa révocation de curé de Noviant, et au sujet de son départ de Noviant; - *b)* sa résistance à l'ordre de son Evêque de se rendre à la paroisse de Raon-les-Leau; - c) ses efforts pour soulever les habitants de Noviant et les curés voisins et pour les exciter à la revolte; - *d)* les injures proférées contre la S. Congrégation, et son Evêque et le Pape lui-même.

Demum praetereunda non est responsio iam facta ab Episcopo rationibus ab Hémonet oppositis. Nam translationi cum opposuerit in primis causa adversae valetudinis, sedulo Episcopus reponit, se statim a suo proposito recessurum si medici ad hoc adhibendi, sibi testentur huius Sacerdotis valetudinem exinde detrimentum esse passuram. Quoad vero aliam difficultatem nimirum bonae famae et aestimationis praeiudicium, observat, hoc argumentum nimis probare,

quippe omnem poenam valeret impedire. Aliunde protestatur, se quam citius Sacerdoti Hémonet, meliorem collaturum paroeciam quotiescumque suam rectam voluntatem ostenderit et per poenam scandalum reparaverit.

DEFENSIO PRESBYTERI. At ex adverso Sacerdotis Hémonet patronus, postquam animadverterit, thesim de parochorum vulgo *succursalistes* amovibilitate haud esse pacificam in Gallia, advertit quod *dato* etiam, sed *non concesso* hoc articulo, nihilo secius parochum quamtumvis amovibilem numquam removeri posse, nisi gravi urgente causa. Quapropter, ait, etiam si *desservantes* mercenariorum confundi velint nomine, cum possideant Ecclesiam proprio nomine, nonnisi ad iuris tramitem datum est eos removere, quia mercenarios quoque tum permissum est removere si probata existat rationabilis causa ac gravis : ceu traditur in *T reviren. Reinteg. S. C. C. 27 Novembr. 1852 § fatetur* (ibi) « Fatetur in casu rem esse de beneficio - amovibili - sed haec amovendi facultas superiori tradita, non eo usque produci posse contendit, ut sine gravi causa exerceatur, praesertim in Parochis, qui perpetuum suapte natura officium requirunt ». Et confirmatum fuit in *Massanen. Reinteg. 18 Mart. 1854.* Quam iustissimam sententiam confirmant Doctores argumento, ut aiunt, a minori ad maius, exemplo ducto ab officiis civilibus, a quibus, iuxta praxim communiter admissam, officiales non removentur, nisi suffragetur legitima causa. Causas vero quod spectat legitimas, notat tum locum habere cum subintrat necessitas prospiciendi aeternae saluti Parochianorum - Fagnanus *in cap.. 10 de Renunciat. n.* iniusta, rationabilis et legitima causa remotionis, inquit, tum dicitur, cum Curatus iam non potest « munia parochialia exercere et ovibus sibi creditis ad salutem proficere ». Iamvero si ad hoc institutae sunt Parochiae, ut prospiciatur spiritualibus Christifidelium necessitatibus , si ob hoc, et non alium ob finem , quilibet Parochus mittitur, ut aeternae saluti Parochianorum incumbat, consequitur quod usquedum hic valeat ista praestare, desit causa sufficiens cur removeatur :

imo remotio, hisce in adiunctis peracta, cederet directe contra finem, ob quem Paroeciae constitutae sunt.

Quocirca sacri Canones restringere videntur remotionis causas ad delictum illius qui removetur, cuius natura saltem ea sit oportet, ut, Parochus removendus iam nequeat cum fructu curam animarum inibi exercere.

Atqui in themate delictum illius, qui removetur, non solum deest, sed desunt etiam conditiones illae omnes, quae voluntariam dimissionem beneficii légitimant, duobus notissimas versiculis adnumeratae :

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis
Quem mala plebs odit, dans scandalum cedere possunt.

Plane consequitur ex defectu legitimae causae, remotionem Sacerdotis Hémonet e Paroecia *Noviant* iniustam esse atque aversari bonum spirituale fidelium sibi concreditorum.

Iamvero contra translatum Parochum nil obiicitur circa ea quae respiciunt curam animarum. Opponit Episcopus Nanceyensis, quod Parochus minus obsequens fuerit auctoritati episcopali ; quod contra Vicarium generalem verba contumeliosa protulerit ; quod defendendo fabriceriam Ecclesiae Noviant, administrationi dioecesanae damnum pecuniarum intulerit. Sed nil assignavit quod directe curam animarum attingeret. Nil de debilitate vel ignavia, cum cognitus sit Parochum pollere scientia sufficienti, nil de pravis moribus, nil de odio plebis, dicitur. Contrariis& documentis comprobatur Parochum Sacerdotem ob animi amabilitatem, suamque agendi rationem, dilectionem sibi conciliasse plebis Noviant, viciniorumque Parochorum. Et omnia ab ipso Episcopo in propatulo ponuntur, cum, ad S. Congregationem Concilii scribens, protestatus fuerit Sacerdotem Hémonet e loco Noviant minime transtulisse, si submissionis declarationem interposuisset.

Igitur, arguit patronus, si Sacerdos submissionis declarationem interposuisset, translatio locum non habuisset, quod importat omnia contra eum ab Episcopo impiota non respi-

cere curam animarum Noviant, personalitatem non excedere, quae etsi vera fuissent, despicienda forent, cum alia iuris remedia praesto fuerint Episcopo ad saniorem sententiam Sacerdotem revocandum.

Posthac orator volens probare non sufficientes rationes ab Episcopo oppositas, recolit Ipsum accusare sacerdotem Hémonet uti minus reverentem erga episcopalem auctoritatem acceptando inurbano modo subsidiariam Curam Minorville, contumeliosa verba proferendo contra Vicarium generalem, fabriceriam Noviant eccitando, ne contributum solveret administrationi dioecesanae.

Iamvero, notat, ex eo irreverentiam obiicere Episcopum, quia cum paroecia limitropha nomine Minorville vacasset, Parochus noluit illico eiusdem subsidiariam curam suscipere, ad hoc a superiore vocatus. Sed sacerdos Hémonet, occasione subsidiariae susceptae curae Minorville si aliquas observationes fecit, ex eo provenit quod officium subsidiarium protrahebatur ad menses cum detrimento valetudinis suae, cum spatio quinque mensium magno zelo utramque paroeciam gubernaverit, prouti patet ex quadam epistola, in actis relata, Vicarii generalis Nanceyensis dioecesis.

Deinde advertit patronus, alienum a veritate esse id quod obiicitur circa verba in Vicarium generalem prolata ; nam in citatis uteris tantum deprehenditur animi studium necessario explicatum in sui ipsius peragenda defensione contra non iustas oppositas accusationes.

Verum est, pergit Orator, quod Parocho obiicitur circa administrationem fabriceriae Noviant, sed in laudem ipsius potius, quam in vituperium habendum est. Dicitur eum consuluisse ne 20um solveretur Administrationi dioecesanae. Verum hoc non respicit curam animarum, interest materialis boni Ecclesiarum, quarum spirituali administrationi dioecesanae, praeest Episcopus, uti fabriceriae Noviant, praeest Parochus. Praetendebatur ab Episcopo se nunquam dispensationem vel relaxationem solutionis posuisse, et si aliquando posuisset, unius anni proportionem non excessisse ; Parochus

autem qui plena rerum cognitione loquebatur, dixit favore Paroeciae Noviant dispensationem positam esse per annos quatuor, et Vicarii generalis documentum demonstravit, assertionem Episcopi esse minus rectam comprobans. Veritatem igitur dixit Parochus, et dicere tenebatur cum de interesse agebatur propriae Ecclesiae, cuius erat sponsus et administrator.

Cum igitur iusta causa remotionis haud inveniatur, necessario consequitur translationem factam ex odio, et per eam oriri damnum et infamiam. Inopinato enim venit translatio , postquam Parochus Hémonet epistolam (Menil la Tour) Episcopo misisset iustificationes continentem circa quaedam allegata a Vicario generali Didiejeran, et in tempore publicationis *Nancy-Juif.* Et quando odium accesserit, quando infamia vel damnum consequitur, remotionem vel translationem sustineri non posse, tradunt Doctores uno ore. Praeclarissimus De Angelis quaestionem fusius aggrediens plurimas refert decisiones, *Lib. 1 tit. 28 n. 7* - ibi - « Quoad Parochos habituales, sive sit Capitulum, |ive sit Episcopus, relate ad Vicarios saeculares clericos ad nutum amovibiles, haec de iure retinenda esse censeo ex responsis Sacrarum Congregationum, aliisque momentis. 1. Si revocatio Vicarii locum habuit etc. odio et malitia, tunc est casus reintegrationis aut melius manutentionis istorum Vicariorum in munere a quo deiecti sunt... 2. Si pariter revocatio dedecus vel infamiam, aut pariter magnum praeiudicium Vicario causaret, tunc facta revocatio absque causa deberet irritari, et Vicarius manu teneri in suo officio.... » Girardi in additionibus ad tractatum *De officio et potestate Parochi cap. 115* loquens de Vicariis temporaneis ait « Etsi Parochi amovibiles valeant toties quoties opus est amoveri, attendere tamen oportet, ut de facto non amoveantur absque legitima causa S. Congr. Conc. *11 Iulii 1820,* S. Congr. EE. et Reg. in *Sulmonensi 24 Maii 1645* et *16 Maii 1563* et alibi. » Atque paulo post subsequitur « omnes vero amovibiles Curati, amoveri possunt arbitrio Episcopi dioecesani.

Sed non debent amoveri nisi ex rationabili et iusta causa. Nam et in hoc habenda est ratio iustitiae et amovendorum consulendum est honori ». Atque haec est non scripta aequitas, de qua loquebatur Cardinalis De Luca *Disc. 97 de benef,* et ex qua competere videtur recursus vel querela ad superiorem pro interpositione arbitrii, super aliqua saltem summaria cognitione causae, ob quam huiusmodi eiectio fiat, cum non soleat dari absque aliquo odio, vel absque praeiudicio in fama seu alias resultante.

Et revera, S. Congregatio, dum causa remotionis iusta non exponitur, solet reintegrare amotos, quemadmodum scatet ex *Messinensi* 18 Martii 1854, in qua proposito dubio : « *An sustineatur privatio beneficii parochialis seu sit locus reintegrationi in casu ì* » Sacra Congregatio respondit : « *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* ». Quemadmodum pariter responderat in Nullius Farf. 6 Iulii 1791, et in Romana Susp, onerum 28 Martii 1801. - Quibus decisionibus S. Congregatio recessit a nimio rigore Rotae Romanae in causa Hispalensi ; et iure quidem, cum arbitrium boni viri debeat esse a ratione directum.

Odium putat comprobari patronus ex iis quae remotionem et translationem secuta sunt, nempe ex Episcopi uteris, quibus Sacerdos Hémonet dicitur execrabilis, ex modo ferendi suspensionem, eam publicando in Ecclesia quasi in censuratum vitandum et Parochis vicinis interdicendo ne suspenso Sacramenta administrarent, neve cum eo confabularent ; nec non ex facta ipsius nominis expunctione e Diario Dioecesano.

Imo Orator coniicit, rationem translationis fere totam positam esse in publicatione *Nancy-Juif*. Publicatio haec in parochum concitavit odium Iudaeorum. Hoc de notorietate publica est et ephemerides *Le Républicain, Les Archives Israélites, L'Echo Toidois, L'Imparcial* magnopere Sacerdotem Hémonet insecuti sunt. Denegari non potest accessisse in casu instantiam ex parte potestatis civilis ob audaciam Iudaeorum : quapropter scandalum factum fuit, quod operarii

Ecclesiae Christi Domini debeant pendere arbitrio perfidorum Iudaeorum !

Atqui, prosequitur Orator, si non constat de legitima causa translationis, sustineri non potest suspensio a divinis, qua adhuc misere tenetur Sacerdos Hémonet. Nam deest ex parte Episcopi ius praecipiendi ; ex parte Sacerdotis Hémonet obediendi onus, seu deest contemptus clavium, contumacia, sine qua suspensio nullo pacto sustineri potest, quemadmodum disponit Sacrum Trident. Concilium *Sess. 25 De ref. Cap. 3* et consentanee tradiderunt Covar, in *cap. Alma Mater % 9 n. 3 et seq. par. 4 tit.* Suarez *4 De censur. disp. IS sec. 3,* 'Sperei! *Decis. 39 n. 30.* Rota *Decis. 167 n. 6 p. 19 tom. I rec.* Tantum enim abest contemptus clavium in casu, ut contrarium apertissime convincatur ; ex quo Sacerdos Hémonet fundatus tum in dispositione iuris, tum in constantissima Doctorum sententia putaverit non posse removeri a Paroecia *Noviant* sine crimine, iudicialiter probato, vel saltem sine iusta rationabili probata causa. Quo casu, dici nullatenus potest eum contempsisse auctoritatem Reverendissimi Ordinarii Nanceyensis, vel S. Sedis, vel resti tisse potestati, potissime autem cum sperabat, et spes non fefellit, controversiam coram Augustissimo Senatu Vestro discutiendam esse. Ad hoc protestationem interposuit apud ipsum Episcopum per epistolam, unde eo minus considerari valet protervia vel contemptus in non parendo cum valetudinis cura et bonae famae amor Sacerdotem prohiberet adire *Raon-les-Leau.*

Animadvertendum est, pergit Orator, non agi hic de suspensione ex informata conscientia ob crimen occultum; de suspensione agitur, cuius rationes, specifice, absque restrictione a iudice assignata sunt quibus sententia iustificatur; quae si non existant, vel diversae sint ab eo quod in sententia praesupponitur, sententia corruit tanquam lata ex falsa causa, vel ex falso praesupposito. Et de suspensione agitur per modum censurae inflicta, aequivalens depositioni seu privationi, quae ut viribus pollere potuisset, necesse est

ne spes effulgeat, quod delinquens corrigi, vel damna aut scandala allata reparare ullimode voluisset.

Demum putat, suspensionem in casu sustineri non posse argumento externo et interno. Enimvero, compertissimum est, provisiones, quae locum poenae tenent, requirere iudicium saltem summarium, quo iustitia provisionis comprobari possit. Id erumpit ex iure divino, sive positivo sive naturali, et ex iure humano, sive ecclesiastico sive civili, nec non ex unanimi Doctorum sententia ; cum tralatitii iuris sit, neminem damnari, nisi legitime probata causa. Praesenti Ecclesiae disciplina, conditione temporum inspecta, auctorante Summo Pontifice, per S. Congregationem EE. et RR. sub die 18 Iunii 1880, tradita est instructio pro ecclesiasticis Curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, qua remediis praeveni entibus, reprimentibus, et medentibus assignatis, expresse cavetur, quod debeant applicari « iuxta canonum praescriptiones... quoad poenalia media animadvertant Rev. Ordinarii, praesenti instructione haud derogatum esse iudiciorum solemnitatibus, per sacros canones, per apostolicas constitutiones, et alias ecclesiasticas dispositiones, imperatis, § IX » (1).

Et subsequitur « quando procedi oportet criminaliter sive infractionis praecepti, aut criminum communium, vel legum Ecclesiae violationis causa, processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper iustitiae substantialibus ».

Insuper notat, ut censura vim habeat, excuti debet contumacia eius qui censurandus est, per trinam monitionem vel per unam peremptoriam « praecedente bina saltem monitione etiam per edictum » uti praescripse.runt Tridentini Patres, *Sess. 25. cap. 3 De ref.*

Quia censurae causa necessaria est culpa eius, qui hoc gladio feritur, gravissima tamen huic perpetuae privationi

(1) Instructio haec relata fuit Vol. XIII pag. 524.

respondens, iuxta illud Deut. « mensura peccati erit et plagarum modus » rationis enim et aequitatis principia suadent, poenam esse commensurandam culpae et pro culpae modo imponendam, non excepta suspensione, et interdicto : Bened. XIV de Syn. Dioces. *lib. X, cap. 1, n. 2 et 3*. Gravitas culpae in themate deducenda est ex praecepto facto sacerdoti adeundi Raon-les-Leau, nec non ex circumstantiis praeceptum concomitantibus.

Veruni hic recolendum est, ait Orator, Episcopos esse pastores non dominatores clericorum, ita ut, de illis disponere valeant, posthabita voluntate eorum, eorumque valetudine, praesertim quando periculum animarum non est in mora. Res erat in themate de providenda Ecclesia de novo rectore, cuius officium illico non imminebat, neque quoad locum, neque quoad personam. Ulla circumstantia extraordinaria assignatur, vel cognoscitur ad periculum hoc ostendendum. Episcopus providere poterat saluti animarum Raon-les-Leau per alium Sacerdotem, prout fecit alias. Praeceptum Episcopi Nanceyensis haud respiciebat momentaneum officium ex necessitate, a determinata persona, explendum, adeo ut secus mala gravia saluti animarum provenienda essent.

In casu gravissimae rationabilesque accedebant circumstantiae ex quibus satius luculentiusque apparet non potuisse Sacerdotem cum fructu curam animarum exercere, neque populum novum suscipere forma facti gregis ex animo. Debilis valetudo eius prout ex authenticis documentis comprobatur ; personalis odiositas iam antea exorta ob publicationem Nancy-Juif ; rumor ephemeridum renuntiantium Raon-les-Leau locum esse infestum criminosis ; publica existimatio, qua Raon-les-Leau prout locum relegationis censetur; recursus sacerdotis ad iudicium supremum S. Sedis, quo iustitiam praecepti impetebant, abunde evincunt rectam sacerdotis agendi rationem in casu.

Denique altero ex capite arguit patronus, praeceptum non rite latum fuisse, nimirum ex minus recta interpreta-

tione rescripti S. O. C. qua ductus Episcopus Nancey ensis his verbis decretum tradebat « que nous lui accordons huit jours... pour exécuter nos ordres et les ordres de la S. Congrégation, c'est à dire pour quitter Noviant-aux-Prés et se rendre dans la paroisse de Raon-les-Leau, que nous lui avons assignée. - Que, s'il n'exécute pas ces ordres dans le délai indiqué ci-dessus, il sera frappé d'interdit a divinis ». Atqui nunquam S. C. Congregatio in mente habuit praecipiendi sacerdoti Hémonet adeundi Raon-les-Leau, ut ex authentica interpretatione rescripti diei 23 Augusti 1893, prono velut alveo fluit praeceptum viribus non subsistere, et proinde consequentem censuram.

Quibus utrinque relatis, sequentia dirimere proposita fuerunt

Dubia

I. *An constet de legitima causa translationis in casu.*

II. *Quatenus negative, an sustineatur subsequens suspensio in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 1 Septembris 1894, censuit respondere: *Ad* I et II *affirmative et amplius* (1).

RAPOLLEN.

SPONSALIUM

Die 15 Decembris 1894.

COMPENDIUM FACTI. Quum Aloysius dioecesis Rapollensis, Florentiae, anno 1891,-stipendia mereret, amore captus est cuiusdam Annitae illius civitatis. Haec asserit eo res devenisse, ut non solum intercesserit promissio et repromissio futurarum nuptiarum, sed ipsam, spe allectam futuri coniugii

(1) Recole Vol. XI, 382; XIV, 172, 178 et 181; quo loco dedimus Appendicem quoad Ecclesias succursales in Gallia post Concordatum anni 1801; — XIX, 53.

cum Aloysio, floris virginalis iacturam fecisse. Et contra Aloysius protestatur, nec sponsalia inita fuisse, nec se Annitam déflorasse, ad quae tamen vehementer omnigena arte ab Annita alliciebatur, inhiante huiusmodi nuptiis.

Expleto militaris servitii curriculo, Aloysius in patriam remeatus, alios instauravit amores cum quadam iuvene, serio agens de matrimonio ineundo. Quod cum rescivisset Annita, furens, sola, iter aggreditur, erga domicilium Aloysii ; quo cum pervenerit, noctu petiit domum paternam Aloysii et ianuam clausam inveniens, clamoribus et planctu implet vicinia, instans ut in familiam admitteretur; sed incassum. Tunc ipsa disseminare coepit in vulgus quod huc contenderat, ut cogeret Aloyium stare promissis nuptiis, quas amplius respuere non poterat, postquam cum ea carnaliter, ferme violenter, coniunctus fuerat. Hinc Tumoribus commota familia Aloysii, ad removendum ulterius scandalum, Annitam in familiam recipere statuit prouti factum est. Ibi commorata est per octo dies, quibus videbantur tractatus matrimoniales non solum iterum instaurati, sed prope ad certum exitum adducti.

Verum Annita Florentiam reversa, rursum, hac posthabita, Aloysius agere coepit de nuptiis, quam citius ineundis, cum alia iuvene; adeo ut iam contraxerint matrimonium, quod civile appellant; nec non in facie Ecclesiae legitimum matrimonium contraxissent, nisi apud Curiam Rapollensem opposuisset « *nihil transeat* » Annita instans, ob inita sponsalia cum Aloysio et passam deflorationem. Aloysius vero asserit se iterato animum ab Annita alienasse, quia illius malos mores detexerat.

Curia Rapollensis excipiens Annitae instantiam, quamvis et actrix et conventus contumaces fuerint, processum ordinavit circa impedimentum impediens, derivans ex sponsalibus, nec non quoad crimen *deflorationis* seu *stupii.* Qua de re duo sibi proposuit esse solvenda dubia, nimirum : I. *An in casu constet de sponsalibus privatim initis?* II. *Et quatenus affirmative, an renuens desponsatus censura ecclesiastica sit eo-*

gendus ad matrimonium contrahendum cum seducta, vel potius, assignata ei dote, a contractis sponsalibus recedere possit? Quae dubia resolvit Curia episcopalis per hanc sententiam: ad I. Ex actis processualibus non esse dubitandum de existentia et validitate privatorum sponsalium inter Aloysium et Annitam ; e quibus liquido apparet promissio et repromissio futuri matrimonii. Ad II. Et consequenter confirmatur inhibitio seu *nihil transeat* contra Aloysium, oppositum ab Annita, ad hoc ut eidem denegetur fides liberi status. Committitur vero sacerdotibus loci, quo moratur Aloysius, ut, nulla adhibita coactione, suaderent eidem inire nuptias religiosas quamprimum cum Annita, aut sinminus congruam constituere dotem, ad legis dispositum.

Contra hanc sententiam, appellationem interposuit Aloysius; at a Curia transmisso appellationis libello, ipse appellans alias ad S. C. C. dedit supplices literas, petens dispensationem ab impedimento sponsalium, ut libere et legitime interim valeat coram Ecclesia uxorem ducere, salva manente instantia Annitae, iudicio ordinario expedienda, quoad indemnitatem petitam pro passa defloratione.

Quum agi deberet an sententia Curiae Rapollensis esset confirmanda vel minus , ideo testium duorum depositio, litterae Aloysii et Annitae aliorumque perpensae fuerant. Ex hisce autem exurgere visum est veram futuri matrimonii promissionem et repromissionem.

Conventus Aloysius nullum protulit documentum. Solummodo, interposita appellatione ad S. C. C. nonullas adiunxit animadversiones ; quibus primum sententiam impugnat, quippe carentem *debita forma* ob non expositas rationes, sententiae motivas. Non affert enim quaenam sint facta suadentia sponsalium existentiam et crimen deflorationis.

Dein advertit non solum *forma,* sed etiam *substantia* carere sententiam, quum asserat, sed nihil probet. Nam testimonia allata sunt de *auditu,* et referunt quod audierunt ab ipsa Annita; literae vero etsi praeseferant ingenuum iuvenis amorem, non sane exprimunt voluntatem certam, deliberatam

sponsalia ineundi. Ceterum passim a iuvenibus amatoriae dantur literae adamatis puellis, promissionibus refertae, quibus tamen sponsalitius contractus certe non initur.

Deflorationem vero quod attinet, notat, quod si vera haec fuisset, huiusmodi furens puella, non dedignans viliores contendendi modos, certe non ullum non movisset lapidem, ut comprobaret passam deflorationem. E contra de hac alte siluit postquam processus instrui debuit.

Denique advertit appellans, quod ipse iudex de factorum veritate persuasus non videtur, qui non condemnat reum uti saltem moraliter et in facie ecclesiae obligatum ad ducendam in uxorem sponsam aut ad eam dotandam ; sed *monet* sententiae executores seu parochos ut reo, si fieri potest, persuadeant, inculcent obligationem aut matrimonii ineundi aut dotandi.

Disceptatio Synoptica

SENTENTIA CURIAE CONFIRMANDA VIDETUR. Quominus sententia Curiae confirmanda sit non videtur obstare defectus formae; nam quamvis definiti iuris sit, iudices Romano Pontifice inferiores proprias sententias rationibus decidendi munitas edere debere, tamen, in casu, Curiae sententia non ita est rationibus destituta, ut nullitate laborare dicenda sit.

Quod vero, uti apponit appellans, deficiat saltem ipsa substantia cum rationes allatae et allegata facta non concludant; hoc non videtur admittendum; quia literae, testium depositiones, et actricis ratio agendi sufficientes esse possint ad pariendam in iudice eam moralem certitudinem necessariam ad sententiam de illo negotio pronunciandam.

Ultimum vero appellantis argumentum, nempe quod actrix non extitisset contumax si vera fuissent, quae in iudicio asserere non dubitavit; appellanti retorquetur, quippe et ipse contumax fuit, quum eius maxime intererat se defendere ad bonam famam tutandam et ad initas nuptias ad exitum perducendas.

Si vero inspiciatur series factorum, Aloysio ea magnopere nocere videtur circumstantia nempe, illum admisisse Annitam in familiam, scopo iterum instaurandi tractatus matrimoniales, quando ipsa in oppido Aloysium et familiam omnimode insectaretur et veluti lacessere non timeret, proclamans sibi fidem sponsalitiam fuisse violatam et virginalem florem violentia, fraude praereptum. Adeo ut, facto suo, Aloysius videatur Annitae accusationes confirmasse, et ratas habuisse.

SENTENTIA CURIAE INFIRMANDA VIDETUR. Sed ex adverso animadvertantur, aturam sponsalium eam esse, ut contractu consistant seu nupturientium conventione; scilicet promissione et repromissione futurarum nuptiarum. Huiusmodi facta non praesumuntur, sed expresse probari debent. Important enim vinculum libertatis, quae semper integra praesumitur donec contrarium manifeste probetur.

Adminicula vero probationum huius processus in medium allata, rite dubitari potest an sint sufficientia ad huiusmodi claram probationem. Nam quoad literas amatorias et alia huius generis signa, quae intercedere solent inter iuvenes invicem se adamantes , haec debent animadverti cum cl. Gasparri *Trac. can. de matr.* V, I, *num. 22* citante Marc, ibi « Quae cum ita sint merito observat » Mare n. 1951 in nota: «Saepe numero promissiones futuri matrimonii, quae inter adolescentes, sese invicem adamantes, fieri solent, non sunt vera sponsalia, cum propositi potius quam contractus onerosi conditiones prae se ferant in illis praesertim regionibus, *ubi est in more positum, ut sponsalia cum aliqua solemnitate ineantur* ». Ad rem vero ci. D'Annibale *Lib. III, tract. IV De mart. n. 505 in nota 1,* haec habet: «V.° Demum quoties non satis apparet voluntas contrahentium, si alias promptiores esse debemus ad solvendum quam ad ligandum, *(I. 96 De A. et O.)* heic maxime, quia coacta matrimonia difficiles solent exitus habere, *cap. 17, 4. t. § Alph., VI 840;* adeo *ut quocumque etiam minimo dubietatis anfractu, pro omnimoda exclusione sponsalium iudex pronunciare debeat*

Rot. Rom. 8 Feb. 1705 cor. Bonillo; quamquam haec S. Rotae verba accipienda sint cum grano salis ».

Quoad crimen vero deflorationis seu stupri, haec animadvertenda videntur. In primis deflorationis factum non apparet sufficienter comprobatum donec asseritur tantum ab ipsa muliere in aestu irae et zelotypiae, et crimina non praesumuntur, sed manifeste probari debent. Eo magis quod haec mulier videretur debere esse aliena a propria macula revelanda, adeo ut facilitas detegendi suam ignominiam, suspicionem ingerere possit de mala fide accusatoris, iuxta vulgare effatum: *excusatio non petita, accusatio repetita.*

Insuper quia vir cogitur ad deflorationis damna resarcienda non iste posset ita alloqui mulierem: nonne tu ipsa tibi damnum intulisti, quando tuam infamiam in vulgum disseminasti ? Et restitutio sane urgenda est pro quantitate damni certe illati.

Denique ex processu non clare patet an agatur de defloratione in quam, absque fraude aut dolo defloratoris, consenserit mulier, an potius verum intercesserit stuprum, quo violenter virgo florem virginalem amiserit ; uti etiam ex dictis non videtur sufficienter comprobatum an promissio matrimonii, saltem ex parte defloratoris intercesserit. Quae omnes circumstantiae quamnam vim exerceant in huiusmodi iudicia docte pro more suo , inter alios Canonistas, disserit Reiffenstuel, com. in *Lib. VI Decret. Greg. IX tit. I.*

Quocirca, hisce omnibus hinc inde adductis, suppositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 15 Decembris 1894 censuit respondere : *Praevia solutione summae ab Episcopo determinandae, favore Annitae, removeatur oppositum* « nihil transeat ».

EX QUIBUS COLLIGES : I. Ex doctorum sententia sponsalium validitatem magis probari per mutuam significationem voluntatis a partibus editam , quam a formulis verborum.

II. Hinc sufficere ad probanda privata sponsalia, probationem mutui consensus, collectam sive ex verbis, sive ex facti adiunctis, sive etiam ex coniecturis, ponderandis in eiusmodi quaestionibus.

III. Sponsalium existentiam sequi debere coactionem resilientis mediis a sacris canonibus designatis; sed quum matrimonia coacta malos soleant habere exitus, ideo benigna iuris interpretatio concessit resilienti facultatem aut nubendi, aut pecuniariam praestationem tradendi.

IV. In themate adhibitum fuisse remedium dotationis, tenendum videri, etiam ob matrimonii civilis existentiam.

SUESSANA

PRIVATIONIS PAROECIAE

Die 1 Septembris 1894.

Sese. 24 cap. 5 de reform.

COMPENDIUM PACTI. In dioecesi Suessana paroeciam ab anno 1891 obtinuerat legitima institutione sacerdos Ioseph. Famulatus gratia hic in parochialem domum receperat quamdam Eleonoram Gaetanam, aetate congrua et bonis moribus, uti videtur, praeditam ; quae tamen scandalo quam citius parocho fuit, quia eius filia non aeque bona fama fruens, nomine Maria Gratia Migliozzi subintroducta in parochi domum, huius amorem vehementer sibi conciliasse videtur. Saltem in vulgus statim graves suspiciones in dies disseminabantur, quas probabiliores nonnulla facta reddebant. Gratia quae sponsalitiam fidem promiserat cuidam viduo viro, parochi, ut fertur, suasionibus, a promissis deflexit, ut adhaereret cuidam Iosepho Passeretti, qui una cum matre et filia continenter parochi domum frequentabat. Sed matrimonium tantum contraxerunt, ita dictum *civile*, quod nihilominus, data opera,

adiuvit parochus se praebens sponsorem pro parva locata domo, pro empta terrula et sue et nonnullis supeliectilibus. De religioso connubio ne verbum quidem, quamvis sponsi, parocho addictissimi, eius domum assidue frequentarent. Ad aures Episcopi huiusmodi parochi conversationis rumores pervenerunt; qui ut coram, rei notitiam assumeret, inopinato die 13 Octobris 1892 adstitit in parochiali domo, ubi duas feminas invenit. Graviter de tali scandalo increpans parochum, iussit ut illico illas dimitteret et curaret, ut Gratia cum Iosepho Passeretti matrimonium religiosum iniret. Sed dissolutio huius non bene initae familiaritatis, occasio fuit ut apertius de tegeretur scandalorum radix. Nam vir recusavit amplius cohabitare cum Gratia, quam infectam pessima lue incusavit, adeo ut cognoscere debuerit Praetor de hac causa separationis : vicissim uxor nonnullas res domesticas restituere recusabat viro, has suas esse asseverans; et ambo se convertebant ad parochum, ut suas adimpleret sponsiones factas, tempore initi coniugii. Has facti circumstantias comprobare potuit Episcopus, processu in Curia per inquisitionem extraiudicialem confecto, quo tamen pendente oblatus fuit Summo Pontifici quidam libellus subscriptus a nonnullis parochianis testantibus de bona fama parochi Iosephi; quibus tamen Episcopus nullam fidem adiungendam esse, asserit. Proinde ob resultantia processus, Episcopus decretum edidit quo parochum a divinis et paroeciae administratione suspendebat : intimans ut interim spiritualibus exercitiis vacaret et per mensem a parochia abesset. Decretum ***primo*** praesentatum fuit parocho a Primicerio Capituli die 3 Nov. 1892, sed incassum, quia expresse parere recusavit; ***secundo*** per Curiae apparitorem fuit intimatum et tunc parochus suis manibus decretum laceravit. Sed postea resipiscere visus, Curiam adiit profitens se acceptare suspensionem, promisit exercitia spiritualia se peracturum quod perfecit, et solvit Gratiae Migliozzi summam 50 libellarum ob litteram cambii - vulgo cambiale - a muliere habitam, vel, uti alii aiunt furtive subtractam, tempore initi coniugii. Nihilo secius non

in melius res verterunt, nam aliae accusationes ad Episcopum contra parochum assidue deferebantur, quas potius quam refutare visus est confirmare ipse parochus, qui in parochia incedebat sclopo armatus quasi accusatores minitatus, et alia arma deferendi veniam petiit a politica auctoritate quod vero non obtinuit. Quamobrem Episcopus sub die 12 Ianuarii 1893 reiteravit suspensionis decretum et praeceptum abessendi a paroecia, insimul suadens ut sponte paroeciae renunciaret. At non solum perfracte renuit renunciare, sed non multo post tempore armatus in parochiam rediit ibique suspensus celebrare ausit. Non destitit Episcopus eum acriter admonere, ut quam citius a tanto populi scandalo abstineret et denique *sub die 7 Februarii 1893* decretum ei intimari iussit per tres canonicos Ecclesiae Cathedralis cum praecepto, ut Ecclesiae renunciaret. Parochus protestatus se esse innocentem, omnia subire dixit, sed nunquam parochiam renunciaturum. Quia scandala et ipsam publicam quietem civilem perturbabant, ipsa civilis auctoritas de ratione agendi parochi a Curia dioecesana notitiam exquisivit, quae evasive respondit, scilicet pendere ecclesiasticum processum et se iuxta canones interim in parochum animadvertisse. Succrescentibus difficultatibus, Episcopus recursum habuit ad S. C C. quae eidem rescripsit *sub die 11 Martii 1893* ut curaret ulterius parochum inducere ad renunciationem paroeciae sub reservatione pensionis, in quem effectum referret de statu activo et passivo beneficii paroecialis. At omnibus in irritum cedentibus pacificae transactionis mediis, Episcopo sub die 21 Aprilis 1893 rescriptum fuit, ut processum conficeret iuxta Inst. S. C. EE. et RR. anni 1886 ad parochi remotionem. Pendente processu, contumaciae non paucos opposuit actus parochus, quos inter in sui defensionem delegit laicum quemdam patronum a Curia legitime non admissum, qui proinde in Episcopum libellum conscripsit.

Processum remotionis sententia definivit Petrus Ceraldi, canonicus ecclesiae Cathedralis Suessanae, Iudex specialiter constitutus et delegatus animadvertens :

QUOAD FACTUM. « Visis libellis Rmi Promotoris Fisci huius Curiae Caietani primiceri! Zattara, super vita moribus et agendi, seu, sese gerendi ratione reverendi domini Iosephi parochi huius Suessanae dioecesis ;

« Attentis documentis ipsis super vita, moribus et agendi, seu, sese gerendi ratione praefati parochi Iosephi a promotore Fiscali collectis, prout in Actis ;

« Auditis testibus iuratis ab eodem Promotore Fiscali inductis ;

« Perpensa parochi Iosephi protestatione incusante tamquam suspectus Rmae Curiae Episcopalis Suessanae Officiales, tum verbis in sua defensione, tum scriptis prout in supplici libello diei 9 Septembris 1893 ad Emum Cardinalem Praefectum S. C. C. misso, et ad praefatum Episcopum Suessanum remisso ;

« Audito et mature perpenso eiusdem parochi Iosephi orali constituto ;

« Auditis omnibus testibus ab eodem parocho productis et inductis ;

« Lectis et perpensis omnibus Uteris, depositionibus, declarationibus, documentis, libellis prout in Actis ;

« Auditis et lectis conclusionibus in scriptis datis et exhibitis die 5 Februarii volventis anni a Rmo Promotore Fiscali; qua die causa fuit proposita et discussa ;

« Audita eadem die oratione defensiva in scriptis exarata a Defensore ex officio electo, dno Biasio Rotondano canonico theologo cathedralis ecclesiae Policastrensis, exhibita postera die 6 Februarii ;

« Lectis et perpensis responsionibus datis ab Illmo Promotore Fiscali contra defensionem a supradicto Defensore ex officio electo, exhibitam ;

« Perpenso insuper quod ex innumeris et indubiis documentis, meridiana luce, constet de turpi agendi ratione parochi Iosephi cum muliere, de qua in actis ; animadversis omnibus circumstantiis, abusu nempe proprii ministerii, negotiationibus saecularibus cum muliere ipsa, matrimonio ee-

clesiastico per parochum dilato, post actus civiles iam contractos, et maximis exinde scandalis exortis ;

« Attento quod per hasce turpes relationes cum suis adiunctis praedictus Parochus diffamatus exsistat, nedum apud suae Paroeciae incolas, sed et in tota civitate et dioecesi ;

« Perpensa exinde iactura illius fiduciae quae pastorem maxime decet, ut bono et saluti ovium sibi commissarum consulat, adeo ut etiam fautores eius apertissime confessi sint se nunquam ab eodem Sacramentum Poenitentiae suscepturos et alia uti ex testibus a Promotore Fiscali inductis ;

« Attento et perpenso quod, si in turpia, prout antea cum praefata muliere non reinciderit, post acceptas monitiones, scandalum tamen interfuerit grave, maxime omnibus circumstantiis prout in Actis consideratis, et certo perseveret, ob rationem sese gerendi, in omnibus consequentibus factis ; eo vel magis si attendatur quod mulier ab eo turpiter cognita et decepta eiusque sponsus solo actu civili iuncti ac in praesentiarum seiuncti et inimicitia adhuc de tenti, semper in eodem pago penes Ecclesiam et parochialem domum permaneant ; unde clamores , convicia , rixae et scandala cum illa et parentibus ante habita, denuo reiterari poterunt maxime in praesenti rerum statu ; attento recursu ad Forum saeculare contra mulierem ipsam et alios ;

« Attenta fere unanimi consensione, qua incolae in magna parte eiusdem pagi G. supradictum Parochum odio et adversione prosequuntur, praesertim post recursum ad Forum saeculare a Parocho factum, adeo ut tuto dici possit illius in paroecia praesentiam magis ad destructionem quam ad aedificationem inducturam , uti patet ex omnibus testibus productis et maxime ex diversorum Sacerdotum depositionibus, seu declarationibus qui locum, incolas et facta omnia bene norunt ;

« Attento quod populi magnae partis aversio ob ipsam parochi agendi rationem in dies crescat, uti ex actis prostat,

et sedulo in casu sit consideranda ac perpendenda propter incolarum et ipsius parochi indolem ;

« Attenta constanti ac pertinaci insubordinatione, per innumera facta comprobata, parochi eiusdem in suum Episcopum, qui adhortationibus, suasionibus, monitis, coercitionibus aliisque id genus iterum atque iterum ab eo defecit, et Decretum ipsum suspensionis laceravit; perpensis omnibus adiunctis prout in Actis , et insuper perpenso quod vetita Episcopi spreverit pluries pagum G. petendo ibique diu commorando et colloquendo ad effectum de quo infra ;

« Attentis repetitis actibus rebellionis, quibus ipse reverentiam et obedientiam ipsi Episcopo iuratam, tum verbis tum scriptis denegavit, quinimo Uteris et etiam libellis anonymus auctoritatem et dignitatem Episcopi eiusdem Rmae Curiae aggressus est, quorum non ultimus libellus famosus nomine proprii Patrocinatoris civilis typis editus, cui titulus - Un atto di procedura canonica alia Curia di Sessa - cuius tamen ex certis indiciis et confessionibus ipse parochus complex habendus est, quae omnia a Rmo Promotore Fiscali in actis relativis adnotata sunt ;

« Attento quod per actus rebelles eo devenerit idem parochus ut, pagum G. contra Superioris vetitum petens, tum adhortationibus, tum promissionibus, tum pecunia aliisque argumentis aversionem et rebellionem suorum fautorum in ipsum Episcopum excitare ausus fuerit, eosque infestos in illum reddere conatus sit, ut patet ex demonstrationibus et minis apud episcopalem residentiam, et uteris minatoriis ut in actis ;

« Attentis pluribus recursibus in scriptis civili potestati in Episcopum eiusque ordinationes missis, et praecipue attento recursu ad Forum saeculare, dum canonicus processus agebatur, contra deponentes et recurrentes Curiam ecclesiasticam ad effectum certe impediendi iurisdictionem Fori ecclesiastici, quapropter censuratus cum suo Advocato civili etiam manet, ad tramitem Bullae *Apostolicae Sedis* cap. VI ;

« Attentis et perpensis omnibus quae cum parocho Iosepho

a prima monitione eidem facta die 13 Octobris 1892 et deinceps paterna charitate ab Episcopo tum per se, tum per alios sive saeculares inutiliter acta gestaque sunt ad amicam compositionem inducendam, praesertim post literas S. C. C. diei 11 Martii 1893, quibus sciscitabatur - an spes sit quod parochus cum reservatione pensionis paroeciae nuncium mittat - imo ipse in dies pertinacior evasit, unde incorrigibilis in sua pravitate adhuc perseverat ».

QUOAD IUS. « Viso, attento et perpenso Cap. VI Sess. XXI S. C. Tridentini quo cautum est - Eos vero qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coerceant ac castigent ; et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent , eos beneficiis , iuxta ss. Canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant ;

« Visa, lecta et perpensa decretali - *Nisi pridem,* Cap. X, de renuntiatione, pro gravi quoque scandalo vitando quod aliter sedari non potest ;

« Inspecta etiam magistrali illustratione huius decretalis per Prosperum Fagnanum dicentem : - Iusta et legitima causa - renunciationis sive remotionis - tum dicitur cum curatus iam non potest munia parochialia exercere, et ovibus sibi creditis ad salutem proficere ;

« Attentis denique Canonistarum doctrinis de scandalo permanente, perseverante et in dies crescente ;

« Perpenso Can. *Scias* Cap. VII q. I circa odium et aversionem plebis, itemque decretis S. C. Concilii diei 23 Martii 1885 in Mediolanen, et 23 Iulii 1892 in Lucana; (1)

« Viso tandem ac perpenso Cap. *Gravem* XV *De Excessibus Praelatorum et subditorum,* in quod, uti sapientissime exponit Reiffenstuel *tom. V tit. 31* p. 272* offenditur. I°. Si subditi negent Episcopum esse dominum suum ; cum sic agant contra fidem *homagii* reverentiae et obedientiae in recipiendis ordinibus vel beneficiis promissae. - 2°. Si in causa spirituali

(1) *Lucana* relata fuit Vol. XXV, 412.

vel ecclesiastica illum trahant ad Forum saeculare. - 3°. Si iniquos adversarios Episcopi consilio vel auxilio iuvent, iuxta c. *Gravem h. t.* ubi etiam iubetur beneficio privari, qui aliquem ex his tribus *excessivus* contra Episcopum committat;

« Attentis, visis, lectis auditis omnibus, tum de iure, tum de facto attendendis, videndis, legendis et audiendis ; rationibus omnibus mature perpensis, invocato humiliter SSmo Christi Iesu Nomine , iustitiam et charitatem prae oculis habentes, iudicamus et declaramus Adm. Revñdum Dnum Iosephum Parochum pagi G. huius dioeceseos, iam ab officio parochiali suspensum per Decretum episcopale diei 11 Novembris 1892, pluries deinceps confirmatum, a dicto officio et beneficio parochiali iudicialiter et definitive remotum et privatum, iuxta votum Illmi Promotoris Fiscalis, eumdemque damnamus ad omnes huius iudicii expensas prout de iure.

« Ita decernimus ac definitive sententiamus, non solum isto, sed omni meliori modo et forma. Et ita interesse habenti ad formam iuris notificetur. »

At Episcopo, post sententiae promulgationem a qua parochus appellavit, fastidia adaucta sunt. Nam citatus fuit apud Iudicem Conciliátorem ut restitueret illas 50 libellas a parocho depositas in manus Episcopi ad sedandam controversiam cum Gratia Migliozzi ob suam litteram cambii, a parocho retentam. Verum postea gravius accidit ut parochus rapuerit, querela diffamationis, ad tribunal civile omnes sui accusatores in processu canonico criminali, et in huiusmodi querelae agitatione sacerdos Ioseph calumnióse probrosa verba in Episcopum protulit ; sed quamplurima contra se dicta audire et remeari facta ignominiosa coactus fuit a suis accusatoribus, qui rei impudentiâ ad iracundiam excitati fuerunt una cum tribunali ipso.

Disceptatio Synoptica

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. In iure recolenda videntur quae statuuntur, praecipue iure decretalium, quoad laicorum accusationes in clericos. Experientia enim docuit laicos nimis

faciles esse ad accusandos clericos, quibus veluti gestiunt crimina impingere quasi ad suam excusationem, et ad opprimendos sacros morum censores. Proinde ex sententiis Patrum in Decreto Gratiani *can. 1, 2* 3, 5, 6, 8, 9* et passim caus. 2 qu. 7* invenitur laicis prohibitum clericos accusare. Iure vero decretalium inter ceteros Alexander III in rescriptis suis respondit, non esse laicos ad accusandos clericos admittendos : ita in *cap. 14 De testibus* decernit : *« De cetero laicos ad accusationem vel testimonium contra clericos non esse aliquatenus admittendos, censura canonum manifestius edocet ; nisi forte suam vel suorum iniuriam prosequantur. Nec tunc etiam ad testimonium; sed ac accusationum possunt admitti* ». Et Pontifex admittit ad accusationem, a testimonio repellens, quia accusator, si in probando defecisset, poenam talionis subire debebat, iuxta leges romanas. Idem Alexander III in *cap. X. De accusationibus* ita disposuit « *Cum P. Manconella presbyter ex una parte et Bonus presbyter et I. Bonus Coeti laicus frater eius ex altera, in nostra essent praesentia constituti; eundem I. quia laicus erat* in dicti P. accusationem non duximus admittendum* ». Sane Vos non latet EE. PP. hanc doctrinam postea paulisper temperasse Innocentium III in *cap. 17 De iudiciis ;* sed semper urgendo principium ; laicos nonnisi magna cum circumspectione attendendas esse in iudiciis criminalibus contra clericos ob gravitatem negotii, et ne laicis clericos calumniandi facilis praebeatur occasio.

Haec memoranda visa sunt, quia ea agitur causa contra clericum , in qua laici vehementer presbyterum parochum accusant et contra illum testantur; dum alii e contra, de mala fide istorum testium deponunt de earumque fraudibus, quibus expellere conantur parochum bonis moribus imbutum.

Quibus animadversis suppositum fuit diluendum

Dubium

An decretum curiae Episcopalis sit confirmandum vel infirmandum in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii re disceptata sub die 1 Septembris 1894 censuit respondere : *Esse locum remotioni.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. Parochos turpiter et scandalose viventes, postquam praemoniti fuerint, coerceri et castigari posse ab Ordinario, necnon suis privari beneficiis, quatenus in sua nequitia perseveraverint.

II. Iustam et legitimam remotionis causam exhiberi a Parocho, qui nequeat munia parochialia exercere, et ovibus sibi creditis ad salutem proficere.

III. Omnia haec in themate adfuisse neminem ambigere, qui motiva perlegerit, quibus innixus Iudex dioecesanus sententiam privationis et remotionis a paroecia protulit.

ROMANA

CIRCA QUODDAM ONUS INHAERENS CUIDAM CANONICALI PRAEBENDAE CAPITULI S. MARIAE TRANSTYBERIM

Die 15 Decembris 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum S. Mariae Transtyberim retulit S. C. Congregationi: Anno 1859institutum fuisse, illa in Ecclesia, Clericatum beneficiatum de *Peneranda* cum annuo reditu lib. 620, constituto iure nominationis favore Capituli ; cum onere assistendi choro quolibet die communi, et litandi 100 missas annuas in singulis diebus festis, expleta chori officiatura, reliquas diebus ferialibus iuxta commodum,, Ob temporum adiuncta missarum onus redactum fuisse ad solos dies festos usque nunc, assensu Apostolicae Sedis.

A pia beneficii fundatrice, facultatem datam fuisse Canonico administratori pro tempore retinendi duas libellas pro unaquaque celebrationis omissione. Investitum huius beneficii censuisse exonerari a celebratione Missae per dies festos, quatenus relinqueret administrationi eiusdem duas libellas pro

qualibet omissione. Quae vis pecuniae quum par non sit, ut alius sacerdos eamdem dicat Missam pro fidelium commodo, Administrator petit ut S. Congregatio Concilii confirmet reductionem Missarum ad solos dies festos, et declaret iustam esse piae fundatricis voluntatem, ita ut quaevis omissio a novo investiendo multari possit pro ea summa pecuniae quae necessaria sit ad alium inveniendum Sacerdotem, qui eamdem celebret.

Disceptatio Synoptica

PETITIO RESPUENDA VIDETUR. Intentioni Capituli videtur obstare e diametro iuris communis dispositio, enunciata sub rubrica *tit. 12 lib. III Decret. Greg. IX;* nempe *«Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur* » quae rubrica est clare praeceptiva continens legem expressam, uti adnotant Canonistae. Sub nomine vero diminutionis comprehenditur quaecumque immutatio facta in beneficii oneribus vel redditibus, unde onera graviora evadant vel reditus minores ; uti videre est apud Reiffenstuel *h. t. n. 2;* et praecipue Fagnanum, qui ad *caput Significatum 11 De praebendis** copiose S. C. C. iurisprudentiam refert, *{ibi)* ita disserens sub n. 3: « Unde sacra Congregatio eiusdem Concilii interpres saepius declaravit, Episcopum non posse novum beneficiis onus imponere, sed tantum curare debere, ut quae illis ex fundatione vel consuetudine incumbunt, exacte adimpleantur ; et in specie, alias censuit novum onus missae in hebdomada non potuisse Episcopum imponere beneficio habenti onus anniversarii tantum... Hinc cum beatae mem. Card. Borromaeus vellet cogere obtinentes simplicia beneficia in parochialibus, ut per se vel substitutos deservirent... S. Congregatio ab eo consulta respondit, non esse cogendos ad aliud quam ad dicendas horas canonicas... Rursus cum Episcopus Asculanus imposuisset onus paucae eleemosynae cuidam Prioratui, quod est beneficium simplex, pro missis bis in hebdomada celebrandis in cathedrali ecclesia, idque quia licet dictus Prioratus actu ecclesiam non haberet, cum

tamen haberet reditus et adessent vestigia veteris ecclesiae, non erat verisimile illam sine onere missarum celebrandarum erectam fuisse ; S. Congregatio consulta an id potuisset Episcopus, respondit nullum onus novum imponendum ex coniecturis verisimilibus. » Quae postrema decisio videtur etiam obstare petitioni Capituli cupientis partim reddere gravius antiquum onus beneficiati, ob verisimilem Institutoris voluntatem. Et iure merito ita se gessit S. C. C. pressius adhaerens S. C. Tridentini praescriptionibus *in sess. 24 c. 14 De ref.;* et in *sess. 25 c. % De ref.* ubi provide animadvertit *« Ratio postulat, ut illis quae bene constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur. »*

PETITIO EXCIPIENDA VIDETUR. Sed contra est quod « *nulla regula sine exceptione* » uti fert effatum etiam iuridicum ; et inculcat *cap. un. tit. praecitata in fine;* scilicet « *ut ipsi proventus retineantur ad tempus pro causa iusta et necessaria... credimus esse licitum.* » Sed an et quomodo Ordinarii ex voluntate iuris communis possint imponere novum onus diminuentes reditus beneficiales est quaestio non facilis , uti fatetur ipse Fagnanus *ad cap. Nisi essent* 21 *De praebendis num. 14 ;* qui tamen auctor, sub n. 28 interpretatus haec postrema verba capitis « Nisi essent » nempe « Nos... toleramus ut ad praestationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona prioris maneat onerata, ne forte circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus ; ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad praestationem quadraginta librarum minime teneatur » ; disserit, cit. Auctor, de impositione pensionis, quippe est modus generalior diminuendi beneficiato suos beneficiales reditus, et concludit, cum communi, Ordinarium Papa inferiorem posse tantum imponere beneficiato, cum ipsius beneficiati assensu, aliquod moderatum onus ad ipsius vitam perdurans, seu quod non beneficium, sed ipsum beneficiatum afficiat. Quocirca iuxta hanc praxim, S. C. C. declarationibus iamdiu confirmatam, in themate quia huius novi oneris imponendi adsunt probatissimae rationes et aliunde antiquum

onus missarum fuit notabiliter diminutum ob earumdem reductum numerum, videtur posse agi cum clerico instituendo in beneficio ut onus sibi assumat, quotiescumque in diebus festis in sua ecclesia non celebret, remittendi in manus camerarii Capituli, praeter quadraginta nummos a testatore taxative impositos, residuam pecuniae summam necessariam pro eleemosyna, sacerdoti in eius loco celebranti, tribuenda. Quod novum onus cum beneficiatum, non beneficium pertingeret, minus laedit expressam testatoris voluntatem.

Verum quum Summus Pontifex in beneficia libera polleat dispositione et adsint graves causae novi oneris inducendi et testatoris voluntas, si ad nostra tempora referatur, facile praesumatur novo oneri favorabilis, EE. PP. deliberabunt an expediat, verba facere cum Sanctissimo, qui dignetur novum legitimum onus ipsi beneficio in perpetuum imponere.

Quibus praenotatis , quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. S. C. C. re cognita sub die 15 Decembris 1894 censuit respondere : *Quoad prorogationem indulti reductionis missarum pro gratia in forma et terminis praecedentis rescripti: quo vero ad postulatam declarationem, iuxta petita.*

CUSENTINA

FUNERUM

Die lo Decembris 1894.

Sess. 25, c. 13 Concil. Trid.

COMPENDIUM FACTI. Haec controversia primum proposita fuit die 24 Februarii 1894 sub hisce dubitandi formulis « 1. *An ius recitandi officium super fidelium cadaveribus, impertiendi absolutionem, celebrandi missas in ecclesiis Franciscalium in publicum coemeterium addictis, competat Regularibus vel potius parochis in casu.* » Et quatenus affirmative favore parochorum ; « *An eisdem funera diei tertii,*

septimi, trigesimi et anniversarii competant, in casu; » quibus respondere censuistis «. *Episcopo qui proponat concordiam de consensu partium ineundam* » (1).

Cum in irritum cesserint concordiae conatus, sub eisdem dubiis iterum Vobis proposita fuit haec quaestio sub die 14 Iulii huius anni, et Vobis respondere placuit « *Firmo remanente iure Regularium celebrandi officium funebre super cadaveribus defunctorum, sepulchrum gentilitium in ecclesia regularium habentium, et eorum qui sepulchrum inibi elegerint; quoad reliqua placere de concordia, intra 15 dies ineunda, praesentibus perdurantibus circumstantiis valitura; quo termino inutiliter elapso, Episcopus schèma concordiae cito conficiat et ad S. C. transmittat* ».

Episcopus de mente S. Congregationis certior factus, sequens transmisit concordiae schema.

I. In funeribus celebratis, praesente cadavere, parochus ius habeat explendi cunctas functiones necessarias, unumque aut plures accersire valebit religiosos, qui participes fient ceu clerus Ecclesiae paroecialis, quia functiones locum habent in Ecclesia Regularium.

II. In die tertio, septimo, trigesimo et anniversario Regulares liberi relinquantur in suis functionibus et iuribus. Onerari tamen possent tradere quartam funerariam, mensura a S. Congregatione determinanda.

III. Sex candelae a fidelibus traditae pro funere in die obitus, ceu supra dicitur, praesente cadavere, ad parochum pertinent proprium; ceterae autem, adhibitae circa feretrum, si relictae fuerint a fidelibus, sicuti fieri solet apud diversos populos, dividantur inter ecclesiam paroecialem et Religiosos. Animadvertit Ordinarius dedisse in articulo I parocho facultatem vocandi ad participationem unum aut plures religiosos; nam si omnes vocarentur, hoc in casu quasi omnia cederent eisdem, dum parochus unus est.

(1) Recole huius Vol. pag. **103:** quo loco relata fuit integra quaestio.

Retulit etiam Episcopus, Minores Observantes esse paratos concordiae ineundae, quae ab ipso proponetur; patres autem Reformatos animadvertisse : praedictam dispositionem nullum habere motivum apud se, quia coemeterium extraneum est ab eorumdem Ecclesia, et cadavera iuxta singulorum dispositionem deferuntur ad Ecclesiam in qua funus celebrari vult ; a dicta ecclesia defertur cadaver ad coemeterium, quin nostram adeat ecclesiam.

Hisce praenotatis, proposita fuere diluenda

Dubia

I. *An ius recitandi officium super fidelium cadaveribus, impertiendi absolutionem, celebrandi missas in ecclesiis Franciscalium in publicum coemeterium addictis, competat Regularibus vel potius parochis in casu.*

Et quatenus affirmative favore parochorum.

II. *An eisdem funera diei tertii, septimi, trigesimi et anniversarii competant, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C C . discussa iterum quaestione sub die 15 Decembris 1894 censuit respondere : *Firmo remanente iure Regularium celebrandi officium funebre super cadaveribus defunctorum, sepulchrum gentilitium in Ecclesia Regularium habentium, et eorum qui sepulchrum inibi elegerint* quoad reliqua, attentis peculiaribus circumstantiis, iisque perdurantibus, servandam esse normam ab Episcopo propositam, statuta quantitate quartae funebris, de qua in articulo secundo, iuxta Synodum dioecesanam, vel loci consuetudinem.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

ORDINIS S. MARIAE DE MERCEDE

NULLITATIS PROFESSIONIS

Die 8 Martii 1894.

COMPENDIUM FACTI. Antonius Diella e civitate Barulensi an. 1886 ingressus Ordinem Mercedariorum, exacto novitiatu, emissisque votis simplicibus ad tempus, tandem ad vota solemnia an. 1891 Romae in Monasterio S. Adriani admissus fuit, insignitusque nunc etiam est quatuor Ordinibus Minoribus.

Contra hunc professum clericum initio p. p. anni 1894 Superior Generalis memorati Ordinis recursum S. Congregationi EE. et RR. obtulit, petens, ut nullitas eius professionis declararetur ex defectu sanae mentis : quod argui aiebat, tum ex perpetua eius agendi ratione pertinaci et cerebrosa, sive ante sive post professionem, tum ex opinione medicorum concludendum ex irregulari conformatione capitis et evolutione cerebri - *dolicouphalici* - naturalem et permanentem in eo amentiae causam : insuper ad probandam perturbationem mentalem clerici Diella, nonnulla eius epistolia et schedulas allegavit.

E contra Diella datis variis Uteris accusationem impletae pertinaciae et amentiae a se reiiciebat, contendens hanc persecutionem ex parte P. Magistri Generalis et aliorum Confratrum ex eo derivari quod ipse exoptabat fundare Congregationem discipulorum I. C. Crucifixi: proinde instabat vel manuteneri in Ordine, vel sin minus, in casu egressus, ordinem damnari ad sibi tradendum subsidium non inferius duobus millibus scutatorum pro sua in futurum vitae honesta substentatione.

Cum S. Congregatio rescripto diei 19 Ianuarii an. 1894 iussisset confici peritiam medicam status mentalis dicti clerici et examen religiosorum qui interfuerunt professioni ab ipso factae, P. Generalis sollicitus fuit subsequenti mense Martio expostulatam peritiam, a duobus specialistis redactam, una cum aliis documentis transmittere : quibus habitis res pro solutione remissa fuit ad plenarium EE. PP. auditorium.

Disceptatio Synoptica

OBSERVATIONES EX OFFICIO. Advocatus summista praemittebat in merito praesentis controversiae haec iuris principia.

1. Cum professio religiosa spectari debeat ceu verus contractus bilateralis, ad eius validitatem concurrere debent nedum elementa specifica entitatem iuridico-canonicam ipsius constituentia, sed etiam generalia requisita contractus. Hinc amens sicut inhabilis est natura sua ad contrahendum, *quia mente caret Inst. §. 8 de Inutil, stipul. leg. 43. D. de Oblig. et act.* ita et ad professionem religiosam emittendam.

2. Iura cum agunt de invaliditate actuum ex hoc titulo, nullam distinctionem ponunt inter dementiam absolutam et partialem seu monomaniam, tantum excipiunt actus ab amente positos in lucidis intervallis, quorum valorem admittunt.

3. Cum inhabilitas ex infirmitate mentis sit inhabilitas facti, et non iuris attendi debet tantummodo utrum amentia extiterit tempore emissae professionis, tunc enim ea nocet etiamsi aliis temporibus abfuerit, sicuti viceversa valet professio, si quando emissa fuit, religiosus erat sanae mentis, etsi postea supervenerit amentia, quia uti tradit Iustinianus *in Inst. lib. 2 tit. 2 % 1 « neque testamentum recte factum neque ullum aliud negotium, recte gestum, postea* furor superveniens perimit ».

4. Cum quilibet praesumatur sanae mentis, amentia ab allegante concludentissimis argumentis probari debet; inter quae potissimum locum obtinent peritiae medicae : Verum uti ad rem observat *Troplong de Donat, inter vivos Cap. 2,*

art. 901 iudices potissimum duci convenit a propriis luminibus et non debent confundere quosdam caracteres insólitos et cerebrosos cum amentia et furore.

Hisce praestitutis, pergit summista, totum negotium in themate reducitur ad cognoscendum utrum Diella tempore quo emisit professionem erat sui compos: quod remittit iudicio E E . Patrum ut ut P. Magister Generalis Mercedariorum aliter sentiat, innixus praesertim peritiae medicae, in qua ad duo quaesita a se proposita: 1. Utrum Diella ante professionem votorum solemnium ceu amens retineri possit. 2, Utrum in eodem statu adhuc in praesentiarum perseveret : medici ad hoc delegati responderunt: affirmative ad utrumque, retinentes enunciatum religiosum sicuti ante professionem religiosam, ita et nunc affectum - *paranoia cerebrali mixta.*

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS PROFESSIONIS RELIGIOSAE. EX alia vero parte Defensor *ex officio* professionis religiosae sustinet , professionem votorum solemnium emissam a Diella omnino validam esse. Nam requisita ad huius valorem iuxta S.Thomam sunt *deliberatum, propositum voluntatis, promissiopronunciano oris et testimonium aliorum.* Atqui, subdit Defensor, haec omnia in themate adamussim comprobantur.

1. Professio emissa fuit *deliberate:* Diella enim usque ab infantia indubia signa dedit pietatis et vocationis ad statum religiosum: anno 15 suae aetatis in religione recipitur, an. 16 vota temporanea emittit et tandem an. 22 solemniter profitetur; proinde cum plena cognitione regularum et Constitutionum Ordinis, statum religiosum amplectitur.

2. Adfuit *propositum voluntatis:* Diella semper habuit tendentiam ad vitam religiosam et nullum argumentum in contrarium adduci potest : quin imo matri et fratri in hoc sibi adversantibus fortiter obstitit : haec itaque perseverantia nullum ambigendi locum, iuxta defensorem ex officio, relinquunt circa eius firmam voluntatem quoad professionem.

3. Demum quod aliae conditiones non defuerint, alia argumenta omittendo, abunde probant etiam circumstantiae antecedentes et concomitantes, cum hae manifeste excludunt

omnem suspicionem nullitatis religiosae professionis : nam haec emissa fuit solemniter post probationem et novitiatum exacte completum, in aetate 22 annorum; praevio assensu Communitatis religiosae coram suo Superiore.

Probata validitate professionis religiosae. Defensor ex officio progreditur ad expendenda argumenta in contrarium adducta. Et primo reiicit argumentum desumptum ex scriptis et Uteris clerici Diella: haec enim redolent pietatem, et ostendunt suum amorem erga religionem, erga Crucifixum et desiderium vivum perfectae vitae : hinc potius comprobare dicit validitatem professionis emissae a clerico Diella iuxta spiritum Constitutionum Ordinis.

Item secundo reiicit opinionem medicorum alienistarum in casu : iuxta enim ipsorum theorias omnes personae piae, quae quotidie SS. sacramenta frequentant, et ad religiosam perfectionem tendunt, traduci deberent ceu affectae a *megalomania* vel a *paranda cerebrali mixta :* quod quam sit absurdum nemo est qui non videat. Concludit Defensor ex officio, observando quod in casu deest verus iudicialis processus, et non fuit servata forma Benedictinae Const. *Si datam;* non enim fuit deputatus defensor professionis religiosae non fuere examinati idonei testes, desunt articuli, et interrogatoria ab eodem defensore proponenda : quae tam rigorose a citata Constitutione sunt praescripta *ut processus ipse et sententia dependenter ab eo prolata insanabili nullitatis vitio corruere censeatur.* Quibus aliisque ponderatis ad propositum

Dubium

An valida censenda sit religiosa professio votorum solemnium emissa a, clerico fr. Antonio Biella in casu ?

RESOLUTIO S. Cong. Epis, et Regul. causa sub die 8 Martii 1895 disceptata, rescripsit: *Non constare de nullitate professionis.*

EX HIS COLLIGES: I. Cum quilibet praesumatur sanae mentis esse, impugnantem validitatem religiosae profes-

sionis, utpotae emissae a non compote suae mentis, concludenter probare debere, emittentem professionem vere dementia affectum esse : neque satis esse allegare quod insania antecesserit, vel subsecuta sit professionem, sed opus esse demonstrare eam extitisse tempore emissae professionis.

II. Potiora argumenta in hisce causis desumi ex peritiis medicorum; sed non ita eis deferendum, ut aliae coniecturae prorsus excludantur: et a iudice confundendos non esse cum inordinationibus mentalibus nonnullos actus, qui potius adscribendi sunt singularitati caracteris et fervori indolis, et qui communiter dicuntur *originales* et tamen dici nequeunt insani actus.

III. Circumstantias antecedentes et concomitantes professionem, multum concurrere ad eius valorem statuendum; hinc si novitius regulariter novitiatum expleverit; et expleto triennio votorum simplicium, solemniter professus sit, quin aliquid in contrarium umquam exorsum sit, praesumitur eius professionem potiri omnibus conditionibus a iure requisitis.

RUREMONDEN.

DUBII QUOAD VOTA MONIALIUM URSULINARUM

Die 22 Martii 1895.

COMPENDIUM FACTI. Quaedam virgines Burdigalenses, quae sub invocatione S. Ursulae, ad virginitatem servandam, et puellarum institutioni incumbendum, in quamdam domum sese receperant, ibique sub beneplacito Apost, simplicia vota perpetua emiserant, per Cardinalem De Sourdis Episcopum Burdigalensem nonis Feb. 1618 a Paulo V obtinuerunt Bullam, *In Supremo militantis...* qua domus illa erecta fuit *in Monasterium Monialium Ordinis S. Augustini*, quae perpetuam servare clausuram et professionem emittere regularem tenerentur. Tractu temporis Ursulinae Burdigalenses

propagatam sunt in exteras regiones. Unde Episcopus Cameracensis petiit et obtinuit die 12 Octobris 1667 a Clemente IX Literas in forma Brevis, quibus Bulla Pauli V. extensa fuit ad omnia eiusdem Instituti monasteria in Germania erecta et erigenda. Post Breve Clementis IX. inter alia, erectum fuit in Germania Monasterium Dorstense an. 1699.

Anno 1876 Ursulinae Dorstenses, ob leges hostiles, mense Maio a Gubernio Borussiae editas, ex Dorsten confugerunt Veertani in oppidum dioecesis Ruremondensis in Hollandia, ubi cum assensu Ordinarii manentes, tempore exilii octo virgines receperunt, quae, peracto novitiatu nuncupaverunt vota *tamquam sorores Conventus Dorstensis.* Cessante dein persecutione an. 1888, ceteris Ursulinis regressis in Conventum Dorstensem, tres de illis, quae venerant ex Dorsten, et illae octo, quae tamquam sorores conventus Dorstensis emiserant vota tempore exilii, manserunt Weert ibique cum licentia Ordinarii novum atque a Dorstensi independentem condiderunt Ursalinarum conventum, in quem deinceps plures aliae sorores fuerunt admissae ad vota nuncupanda.

Iam vero Episcopus Ruremondensis perpendens quod domus Werten sis erecta est solum cum licentia Ordinarii, et pro erectione domus Dorstensis anno 1699 nullum rescriptum Pontificium reperitur* quamvis Moniales dicant hoc ablatum fuisse an. 1817 cum aliis documentis Conventus a Gubernio Berolinensi, perpendens, quod iuxta praefatas literas Apostolicas necessaria est venia Pontificia pro erectione ; et Ursulinarum domus in Germania, tum inferiore, tum superiore, vera sint Monasteria Monialium Ordinis S. Augustini, sequentium dubiorum solutionem a Sancta Sede expostulavit nempe:

I. *Num trium illarum Sororum* quae nunc Wertae in dioecesi Ruremondensi degunt* vota olim in Dorsten emissa habenda, sint solemnia cum omnibus solemnitatis consectariis.*

II. *Num idem censendum sit de votis octo illarum Sororum quae Wertae, equidem durante exilio*. sed tamquam Sorores Conventus Dorstensis vota sita emiserunt.*

III. *Nam idem censendum sit de votis ab anno 1888 in novo conventu Vertensi emissis vel in posterum emittendis, an vero vota haec ob defectum licentiae apostolicae ad erigendum conventum* habenda sint ut simplicia.*

IV. *Quod si haec vota sunt simplicia, adeoque in strictiori illo sensu non sint Regulares, num tamen petentibus ibi habitum et admissionem ad' tria vota dici possit illas fore non pias tantum feminas, sed Moniales in sensu Ecclesiae cum omnibus privilegiis et consectariis.*

Super hac quaestione S. Cong. EE. et RR. exquisivit votum unius ex suis Consultoribus, cuius summa haec est.

VOTUM CONSULTORIS. Consultor antequam veniat ad solutionem praefatorum dubiorum, quaerit utrum vota Ursulinarum Burdigalensium, usque ad politicas perturbationes censeri possint solemnia, et respondit *affirmative* ex tribus praecipue capitibus: I°. Ex erectione *in Monasterium Ordinis S. Augustini*, qui est ordo a S. Sede approbatus seu recognitus cum solemnitate votorum ; et rem firmat etiam auctoritate Bened. XIV, qui in Constitut. *Quamvis iusto* § 13 loquens de votis Virginum Anglicanarum, tradit ea non esse solemnia quia, quamvis emissa *ad formam regularum a Clemente XI approbatarum, tamen coniuncta dici nequeunt cum expressa aut tacita professione in aliquo Ordine per Sedem Apostolicam in statu verae religionis approbato.* Hinc ratione contrariorum dici debent solemnia, concludit Consultor, vota Ursulinarum, quia emissa, nedum iuxta Constitutiones a S. Sede approbatas, sed etiam in Ordine S. Augustini per eamdem S. Sedem in statu verae religionis recognito.

2°. Ex emittenda ibi *professione regulari* quod in sensu iuris importat emissionem votorum solemnium. *Lucidi de Visit. SS. LL. Cap. 5 de Monialibus* § 8. 3°. Demum ex *imposita clausura papali* quae imponi tantum solet Monialibus, solemnia vota emittentibus, *Bouix de Iure Regular.*

Verum, observat Consultor, hoc valet pro tempore ante perturbationem Gallicam, nam, ceu patet ex pluribus rescri-

ptis Pontificiis, post vicissitudines politicas sub finem praeteriti saeculi, omnia vota Monialium in Gallia uti simplicia tantum fuerunt habita.

Progrediens deinde ad expendenda vota emissa ab Ursulinis Dorstensibus, respondit non constare, quod haec sint solemnia et ita disserit. Iuxta Episcopum Ruremondensem in sua relatione ad S. Congregationem, non constat utrum in erectione Monasterii Dorstensis beneplacitum Apostolicum intercesserit. Atqui hoc est omnino et absolute necessarium, sive pro canonica erectione cuiuscumque domus Regularium in genere, sive pro erectione conventuum Mulierum in spècie.

Quoad primum erui dicit Consultor, ex antiqua consuetudine, ex lata interpretatione capitum *Religionum de religiosis domihus in 6. et cum ex eo de excessio. Praelator. in 6.* et Constit. Innocentii X. *Instaurandae,* ex antiqua praxi Rom. Rotae et S. Congregationis EE. et RR. ex comuni Doctorum sententia et praecipue ex verbis Urbani VIII in Constit. *Romanus Pontifex,* Benedicti XIV in opere de synod, dioec. lib. 9. cap. 2 n. 9 et regnantis Leonis XIII *Romanos Pontifcesr* quae omnia probant, absque dubio, existere legem quae obligat ad apostolicum beneplacitum impetrandum, sub poena nullitatis erectionis; sed et 2. necessarium esse tradit specifice pro erectione monasteriorum mulierum, quia, ipsis contrariae sententiae patronis fatentibus, dum nova monasteria eriguntur, necesse est recurrere ad S. Sedem etiam pro examine a S. Congregatione instituendo super fabrica, pro numero monialium statuendo, pro imponenda clausura papali, pro translatione novae Abbatissae de suo ad novum Monasterium etc. et quidem necessarium esse patet non tantum pro tempore praesenti, quo temerarium esset, iuxta Consultorem, id negare, sed etiam pro tempore quo monasterium Dorstense fuit erectum, quia etiam tunc valebant rationes, quae hodie valent.

Secundo loco Consultor examinat vota illarum octo sororum, quae tempore exilii admissae fuerunt in Wert *tamquam sorores Conventus Dorstensis* et respondet eadem uti

solemnia haberi non posse : quia admitti nequit quod moniales tempore dispersionis, vel persecutionis, vel exilii erigant canonice novam domum cum novitiatu, sine venia Apostolica, quae facile impetrari potest, et expedit etiam ut impetretur ad recipiendas instructiones quid faciendum sit, durante tempore exilii.

Ad tertium quaesitum Consultor putat rescribendum esse *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam ; seu dicit omnino esse excludendam votorum solemnitatem, eo quia ex relatione Episcopi Ruremondensis certo certius constabat in fundatione Monasterii Wertensis non fuisse impetratum beneplacitum Apostolicum, quod erat absolute necessarium uti superius ostensum est.

Demum ad quartum propositum dubium, Consultor respondet cum distinctione: Quod nempe dici nequeant vere religiosae seu moniales in sensu strictiori seu in sensu iuris canonici ; quia hoc sensu a iure dicuntur tantum professae votorum solemnium. Neque dicendae sunt religiosae dumtaxat in *sensu lato,* quia hoc sensu religiosae dicuntur etiam illae, quae uno tantum voto, vel alio quocumque vinculo ligatae, per specialem vivendi modum Dei servitio consecrantur. In sensu autem stricto seu iure divino vere et proprie religiosae dici possunt: quia omnia in eis sunt requisita, quae ad hoc sunt necessaria: videlicet 1. tria vota substantialia religionis paupertatis, castitatis et obedientiae; 2. vota perpetua; 3. vota coniuncta cum traditione totius personae Deo facta et nomine Dei acceptata; 4. vota emissa in ordine approbato; 5. et coniuncta cum vita communi. Quoad consectaria patet, subdit Consultor, eis tribui non posse quae sunt propria votorum solemnium sed tantum quae sunt propria votorum simplicium : idem sentiendum de privilegiis. Hinc Consultor ad proposita ab Episcopo Ruremondensi dubia respondet :

Ad I. *Non Constat.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad IV. *Etsi in sensu iuris moniales et religiosae dicuntur illae, quae vota solemnia emittunt, nihil tamen impedit, quominus Ursulinae Wertenses, de quibus est sermo., moniales ac verae religiosae dicantur cum omnibus consectariis et privilegiis, quae sunt propria votorum simplicium.*

RESOLUTIO. Sacra vero Congr. BE. et RR., re disceptata sub die 22 Martii 1895, rescribere censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Dilata.*

Ad IV. *Provisum in superioribus.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ROMANA. Dubia varia.

Die 5 Februarii 1895.

Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia fuere proposita :

Dub. I. S. R. C. per Decretum *Lyeien.* 4 Aprilis 1705 ad V. declaravit, Officia Sanctorum ad libitum esse omittenda, si ab aliquo Officio Dominicae anticipandae impediantur. Idem statutum legitur in recentiori Decreto *Namurcen.* 29 Maii 1885 ad I. Hinc quaeritur: Utrum Officium Dominicae anticipandae impediat quoque recitationem Officii Votivi ad libitum ex iis, quae Ssmus Dominus Noster Leo Papa XIII nuper indulsit ?

Dub. IL Caeremoniale Episcoporum lib. II, cap. III, n. XVh docet: « In duplicibus ... minoribus, semiduplicibus et feriis non oportet Celebrantem *(ad Vesperas)* esse paratum, nec fieri thurificationes ». Hinc quaeritur: An quando solus Celebrans paratus est sine Ministris, thurificationes in Vesperis fieri debeant, an tantum fieri possint, uti videtur innuere Decretum Ord. Min. de Observantia 16 Aprilis 1853 ad XXV?

Dub. III. Quaenam sequendae normae in coniungendis Hymnis Sanctorum propriis, si habeantur in Breviario, quando relativa festa primis Vesperis carent?

Dub. IV. Si feria VI post Octavam Ascensionis occurrat duplex 2 classis, quemadmodum omittenda est eiusdem Feriae commemoratio in Laudibus et Missa, omittine debet etiam in secundis Vesperis?

Dub. V. Cum commemoratio Crucis, tempore paschali, in Officio votivo de Passione fieri non debeat, eadem commemoratio omittendane est etiam in Officio votivo de Eucharistia, si tempore paschali recitetur?

Dub. VI. In Laudibus et Missa S. Agapiti P. C, die 20 Septembris, si facienda quoque sit commemoratio Vigiliae S. Matthaei Apostoli, quum pro S. Pontifice et pro Vigilia eadem habeatur Oratio, quaenam ex duabus mutanda?

Dub. VII. Quando Feria V. fit Officium votivum de Sanctissimo Sacramento, et Feria VI agendum est de Sacra Spinea Corona, vel de Sacratissima Sindone D. N. L C, quum in primis Vesperis commemoratio Ssmi Sacramenti sit omittenda, dicine debet doxologia eiusdem Sacramenti propria in hymnis eiusdem metri, sive ad secundas Vesperas, sive ad Completorium?

Dub. VIII. Quando in Vigilia Pentecostes occurrit Officium Sancti ad instar simplicis redigendum, legine debet eius nona lectio si sit historica ad Matutinum, uti ante reformationem Rubricarum faciendum erat?

Dub. IX. Quandoque in diem 20 Decembris incidunt simul Vigilia S. Thomae Apostoli et Feria IV. Temporum, cuius Evangelium legi quidem deberet in Missa, sed non potest, quia idem est ac Evangelium festi' quod recolitur. Hinc quaeritur : An legi tunc debeat in fine Missae Evangelium Vigiliae, an potius S. Ioannis?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad IL *Affirmative ad primum: negative ad secundum.*

Ad III. *Hymnus Vesperarum eoniungendus est cum altero ad Matutinum, quoties eodem metro uterque gaudet, et secundus est continuatio primi: quod si ordo historicus aliud requirat, servetur Decretum* Lincien. *3 Iun. 1892 ad XVII* (1).

Ad IV. *Negative.*

(1) Habes Volumine XXV, 58.

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *In casu, aliisque similibus Missa* Statuit *pro S. Pontifice et Confessore mutetur in aliam* Sacerdotes.

Ad VII. *Affirmative.*

Ad VIII. *Affirmative.*

Ad IX. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.* Atque ita rescripsit, et servari mandavit, die 5 Februarii 1895.

G. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L . * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

BRU6EN. Quoad titularem Ecclesiae.

Die Í4 Martii i 895.

Rmus Dnus Petrus de Brabandere Episcopus Brugen. Ii turgicis praescriptionibus sese per omnia conformare cupiens, sequens Dubium pro opportuna declaratione Sacrorum Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

Ex Litteris Apostolicis S. M. Gregorii Papae XVI, datis sub die 27 Maii 1834, Ecclesia Cathedralis Brugen. « sub invocatione SSmi Salvatoris et S. Donatiani Episc. Conf. nuncupatur »; cuius in ara principe habetur tabula referens Christum, e sepulcro resurgentem, itemque simile simulacrum ipsi altari imminens. Unde sunt qui autumant Titularem eiusdem Ecclesiae esse Resurrectionem, non vero Transñgurationem D. N. I. C. uti statuitur ex Decretis pro Ecclesiis, quae Titulo gaudent SSmi Salvatoris.

Quaeritur igitur, an in casu Resurrectio D. N. I. C. sit habenda ceu Titularis dictae Ecclesiae, eiusque commemoratio facienda in suffragiis, et quibusnam Antiphonis ac Versiculis? An vero Capitulum et Clerus, uti nusquam actum est praeteritis saeculis, ita posthac negligere valeant eiusmodi titulum; quamvis festum S. Donatiani, tamquam patroni aeque principalis quotannis, ritu duplici primae classis cum octava, soleant recolere ?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremo

niarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: « Festum Titulare Ecclesiae Cathedralis Brugensis est festum Transfigurationis D. N. I. C, ideoque commemoratio praeponenda suffragiis Sanctorum, sumenda est ex Antiphonis et Versiculis ad *Benedictus* in Laudibus et ad *Magnificat* in secundis Vesperis cum Oratione propria illius festivitatis: retento aeque Titulari S. Donatiano Episcopo Confessore. Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 14 Martii 1895.

C CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI S. R. C. *Secretarius.*

CADURCEN. Quoad patronum Ecclesiae.

Die 28 Martii 1895.

R. D. Paulus Devèze, Vicarius in spiritualibus generalis Rmi Episcopi cadurcensis, in Gallus, exposuit quae sequuntur:

In Kalendario Cadurcensi a S. Rituum Congregatione approbato die 29 aprilis 1894, Festum *S. Genulphi* Confessoris primi cadurcensis Episcopi, sub ritu Duplicis primae classis cum octava, affixum fuit diei 17 Ianuarii; et festum S. Antonii Abbatis translatum fuit in diem 19 eiusdem mensis, tamquam in sedem propriam. Item festum SS. Martyrum Crispini et Crispiniani assignatum fuit, sub ritu semiduplici, diei 27 Octobris; quoniam die 25 eiusdem mensis celebratur, sub ritu duplici, Festum *S. Capuani*, Episcopi Cadurcensis, Confessoris. — At exinde oriuntur dubia pro ecclesiis, quarum Beati illi sunt Patroni aut Titulares: ideo Sacerdos Orator rogat Sacram Rituum Congregationem pro solutione insequentium dubiorum:

I. Ecclesiae, quarum S. Antonius Abbas, in dioecesi Cadurcensi, est Patronus vel Titularis, debentne illius Festum celebrare, sub ritu duplici primae classis cum octava, incipiendo a die 19 Ianuarii in Kalendario, ut supra approbato; vel incipiendo a die 17 Ianuarii, die dormitionis S. Antonii, Festo S. Genulphi cum sua octava ad diem aliam translato?

II. Ecclesiae eiusdem Dioeceseos, quarum SS. Martyres Crispinus et Grispinianus sunt Patroni vel Titulares, tenenturne illorum Festum celebrare sub ritu duplici primae classis cum octava, incipiendo a die 25 eiusdem m. in qua inscripti sunt in Martyrologio Romano?

Sacra autem Rituum Congregatio, exquisita prius in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, referente infrascripto Secretario, et omnibus mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1um: Festum S. Antonii Abbatis in Dioecesi Cadurcensi fiat die decimanona Ianuarii, tanquam assignata, etiam in Ecclesiis ubi S. Abbas est Patronus aut Titularis.

Ad 2um: In Ecclesiis eiusdem Dioecesis, quarum Patroni aut Titulares sunt SS. Crispinus et Crispinianus, eorum festum celebretur die propria.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 23 Martii 1895.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. œ S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

EPISTOLA SSmi D. N. Leonis XIII ad Emum Card. L. M. Parocchi circa modum quo Catholici in Italia sese gerere debeant quoad concursum ad politicas electiones.

Signor Cardinale

Quale debba essere il contegno dei Cattolici italiani circa il concorrere alle elezioni politiche fu già dichiarato dall'Autorità Pontifìcia e confermato più volte. È nota la Circolare che, per ordine del Nostro Predecessore Pio IX di s. m., la Sacra Penitenzieria indirizzò ai Vescovi, notificando che il prender parte a tali elezioni, *attentis omnibus circumstantiis non expedit.*

E poiché quella decisione da non pochi traevasi ad altro senso, un Decreto del S. Offizio dei 30 giugno 1886, con Nostra approvazione, aggiungeva che il *Non expedit prohibitionem importat;* facendosi così manifesto il dovere pei cattolici di astenersene. Noi stessi di poi a viva voce ripetemmo che quanto il concorso dei cattolici alle elezioni amministrative è lodevole e più che mai da promuoversi, altrettanto è da evitare nelle politiche, siccome non espediente *per ragioni dì ordine altissimo ;* non ultima delle quali sta nella condizione stes-

Eme Cardinalis

Quaenam ex Catholicis in Italia sese exeréndi ratio quoad concursum ad politicas, ut aiunt, electiones servari debeat, ab hac Apostolica Sede iam satis declaratum fuit, ac saepius confirmatum. Apprime nota est Epistola encyclica, quam iussu antecessoris nostri Pii IX (cuius memoria in benedictione est) sacra *Poenitentiaria* ad episcopos misit: in qua sic ista edicebat : — Electionibus huiusmodi, perspectis omnibus rerum adiunctis, operam dare non expedit.

Quoniam vero ea definitio a plerisque in oppositum sensum detorquebatur, aliud congregationis, cui a S. Officio nomen est, Decretum, datum die 30 iunii, anno 1886, Nobis approbantibus, haec adiiciebat : *Non expedit,* prohibitionem importat : patefacto* hac ratione catholicis officio iisdem electionibus abstinendi.

Nos ipsi deinceps viva voce iterum declaravimus, quanto concursus ad electiones municipales laude dignus est, et hodie praesertim summopere promovendus, tanto ad politicas eumdem abhorrendum esse,

sa di cose che si è fatta al Pontefice, la quale non può certo rispondere alla piena libertà e indipendenza, propria del suo Apostolico ministero.

Con tutto ciò troppo bene siamo consapevoli come si venga continuando a discutere sulle intenzioni Nostre, a togliere peso alle Nostre parole, ad eludere ancora e fare eludere le disposizioni Pontifìcie. Appunto con ogni argomento ed arte si tenta far credere che siano intervenuti per parte Nostra certi temperamenti, onde sia oggimai consentito ai cattolici il concorso a quelle elezioni.

Noi dunque, Sig. Cardinale, riputiamo opportuno di pubblicamente dichiarare che nulla si è da Noi immutato delle suddette disposizioni e che perciò raccomandiamo a quanti sono veramente cattolici di volere acquietarsi ad esse e conformarsi con docile ossequio.

Intanto a pegno della Nostra particolare benevolenza, impartiamo di tutto cuore a lei, Signor Cardinale, l'apostolica benedizione.

Dal Vaticano 14 maggio 1895.

LEONE PP. XIII.

utpote qui ob causas supremi ordinis omnino non expedit; quarum ultima non est, ipsa praesens rerum conditio, Romano Pontifici imposita, quae plenae Ministerii Apostolici libertati atque immunitati profecto respondere non potest.

Attamen probe novimus idemtidem circa mentis nostrae sensa adhuc controversias agi, verborum nostrorum vim imminui, et quae praecipimus eludi atque eludenda contendi.

Utique omni studio et arte suadere plerique nituntur, quaedam a Nobis temperamenta prodiisse, unde aperte constet, catholicis ad easdem electiones accurrere fas esse.

Nos igitur, Eme Cardinalis, opportunum denuntiare arbitramur, nihil per Nos, de his, quae hac super re ante edixerimus, immutatum fuisse : ac proinde omnes, quotquot veri catholici sunt, hortamur, ut iisdem praeceptionibus acquiescant, ac docili obsequio sese submittant.

Interim specialis benevolentiae erga Te nostrae pignus, Tibi Eme Cardinalis, apostolicam Benedictionem ex corde impertimus.

Ex Aedib. Vatican, die 15 Maii anno 1895.

LEO PAPA XIII.

EPISTOLA SSmi D. N. Leonis XIII ad Praepositum sodalium Philippinorum, in testimonium pietatis Suae erga S. Philippum Nerium.

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod plurimorum pietas romanorum agere saecularia solemnia Ob memoriam PHILIPPI NERII sponte studioseque expetivit, agnoscimus quidem non modo honorem excellenti virtuti debitum, sed grati quoque animi significationem iustam ac meritam. NERIUM quippe tametsi christianae reipublicae universae praesidio atque ornamento, idque per tempora plena periculorum, nemo dubitat fuisse, praecipue tamen saluti natum populi romani res et facta comproba vere. — Id vel ex eo perspicitur, quod re, domo, propinquis valere iussis, patriam naturae cum urbe Roma adolescens commutavit, quasi praesagiens animo, quod serius cognovit, hunc revera campum sibi ad excolendum pro Indiis voluntate nutuque divino assignatum. Rem apertius acta in Urbe aetas atque exantlati labores loquuntur. Heic enim vel a principio, cum plane statuisset res moliri, arduas illas quidem sed animorum bono maxime frugiferas, cives omnium aetatum atque omnium ordinum complexus est suavitate et caritate memorabili : in eisque ad officium vocandis, ad Iesum Christum adiungendis tam incredibili studio constantiaque ad summam senectutem desudavit, ut huic uni factus operi videretur. — Profecto ea tempestate, desidentibus vulgo moribus, doctrinisque novis tota fere Europa invalescentibus, si letalium dogmatum Roma defugit afflatus; si emendatos compositosque mores plurimorum vidit, et multiplices pietatis artes, quae obsoleverant, revocatas, horum gratia beneficiorum Philippi dictis et factis, institutis et exemplis, magna ex parte debetur. Ex quo facile intelligitur cur tot ille tamque alte impressa apud Urbem reliquit vestigia sui, ut de sene sanctissimo atque optimo etiamnum superesse ac prope spirare aliquid romana intra moenia videatur. Hoc enim habent magnae animae, ut in caelum sublatae, maneant tamen in amore desiderioque hominum, in perpetuitate temporum, in rebus utiliter institutis, in alumnis disciplinae suae. Ex hac igitur, quam diximus, significatione publica religionis iucundum capimus solatium idemque peropportunum. Ceterum valde velimus ut, quo modo avis et

maioribus mire profuit ad salutem vox atque opera innocentissimi sacerdotis, ita nepotibus accidat recordatio salutaris. Sanctorum virorum ii recte venerantur memoriam, qui praecepta sequuntur, atque ex eorum contemplatione virtutum aliquid, quod imitentur, capiunt.

Vos quidem, quotquot estis ex Instituto PHILIPPI patris, hisce erga eum studiis gratae posteritatis rectum est laetari, velut gloria quadam domestica. Sed hoc ipso cogitandum magis quanti sit ei nomen sodalitati dedisse, in qua animum ille suum nominatimque sedulitatem officii apostolici voluit manere perpetuam. Eius memoriam similitudine colere, moribusque quantum potest, exprimere, tempora ipsa monent haudquaquam magnopere iis dissimilia, in quae PHILIPPUS incidit. Nam nostra quoque infensa virtuti aetas est, nec morum demutatio sane minor. Oportet igitur ut Clerici prae ceteris secum revolvant exempla PHILIPPI, potissimumque renovare se studeant ad illam viri admirabilem caritatem, quae non modo immutavit per illud tempus faciem Vrbis, sed mansura in posterum beneficia christiano nomini peperit. —- Ad praesentem celebritatem quod pertinet, nihil posset iucundius atque optatius contingere, quam ut Nobis liceret, usitato decessorum Nostrorum more, ad sacros eius cineres venerabundis adire. Quoniam vero eius rei adimunt tempora facultatem, hoc saltem volumus, Nostrae erga PHILIPPUM pietatis aliquod extare testimonium : vobis propterea in honorem eius nonnullam supellectilem dono mittimus, sacris obeundis usui futuram. Respiciat ille Nos e caelo propitius, et Urbem idem atque Orbem perpetuo patrocinio tegat. Caelestium munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, dilecti filii apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv Maii, a. MDCCCLXXXXV. Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EX SECRETARIA BREVIUM

BREVE SSmi D, N. Leonis XIII, quo catholicis commendantur peculiares preces per sollemnia Sacrae Pentecostes.

Provida matris caritate dignum maxime est votum, quod Ecclesia rite Deo exhibere non cessat, ut populo christiano, quacumque ille patet, *una sit fides mentium et pietas actionum.* Similiter Nos, qui Pastoris divini ut personam in terris gerimus ita studemus animum imitari, idem propositum catholicas inter gentes fovere nullo modo intermisimus, idemque nunc enixius apud gentes eas urgemus, quas Ecclesia ipsa iam diu ad se magno revocat desiderio. Hisce vero consiliis curisque Nostris unde praecipue et auspicia petierimus et incrementa expectemus, non obscurum est apertiusque in dies extat: ab eo nimirum *Pater misericordiarum* iure optimo invocatur, et cuius est illustrare mentes benigneque voluntates flectere in salutem. — Nec sane catholici non videre possunt quanta sit susceptarum a Nobis rerum gravitas et praestantia; in eis namque, cum amplificatione divini honoris et christiani nominis gloria, salus plurimorum vertitur sempiterna. Quae ipsi si probe religioseque, ut aequum est, consideret, acriorem profecto sentient animis vim flammamque supernae caritatis, nihil quidquam Dei gratia recusantis, nihil non enitentis pro fratribus. Ita fiet, quod magnopere optamus, ut Nobiscum illi coniungant alacres non modo secundi exitus fiduciam, sed omnem etiam quam humiles sanctaequé preces a Deo conciliat. — Cuiusmodi officio pietatis nullum videtur accommodatas esse tempus, quam quo olim Apostoli, post Domini ascensum in caelum, simul constiterunt *perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre Iesu* (1), promissam expectantes *virtutem ex alto* omniumque dona charismatum. In eo nempe Caenaculo augusto ex eoque Paracliti illabentis mysterio , Ecclesia, quae iam a Christo concepta, ipso monente prodierat, tunc feliciter, quodam veluti afflatu divinitus accedente, suum coepit obire munus per gentes omnes, in unam fidem novitatemque christianae vitae adducendas. Brevique tempore fru-

ii) Act. i, 14.

ctus consecuti sunt uberes et insignes; in quibus ea voluntatum summa coniunctio, nunquam satis ad imitationis laudem proposita: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (1).

Ob eam Nos causam censuimus catholicorum pietatem hortatu atque invitatione excitare, ut per exempla Virginis Matris et Apostolorum sanctorum, proximis novendialibus ad sacrae Pentecostes sollemnia, Deum velint uno animo et singulari studio adprecari, illa instantes obsecratione: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terrae.* — Maxima enimvero ac saluberrima bona ex eo sperare licet, qui Spiritus est veritatis, arcana Dei sacris in Litteris elocutus, Ecclesiamque perpetua praesentia confirmans; ex quo, vivo sanctitatis fonte, regeneratae animae in divinam adoptionem filiorum, mire ad aeterna augentur et perficiuntur. Siquidem ex multiformi Spiritus gratia divinum in eas lumen et ardor, sanatio et robur, levamen et requies, omnisque prosequendae bonitatis animus, sancteque factorum fecunditas perenni munere derivantur. Idem denique Spiritus virtute sua in Ecclesia sic agit, ut mystici huius corporis quemadmodum *caput* est Christus, ita ipsemet *cor habet quamdam influentiam occultam; et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit* (2). — Quoniam ille igitur omnino *Caritas est* eique opera amoris insigniter tribuuntur, valde idcirco sperandum, fore per ipsum ut, evagante spiritu erroris et nequitiae cohibito, arctior fiat quae decet Ecclesiae filios vigeatque consensio et societas animorum. Qui quidem, secundum admonitionem Apostoli, nihil per contentionem agant, idem sapiant, eandem habeant caritatem unanimes (3); atque ita Nostrum explentes gaudium, civitatem quoque incolumem florentemque non uno nomine efficiant. Ex hoc autem catholicorum inter se christianae concordiae specimine, ex hac impensa divini exorandi Paracliti religione, eo sperandum est vel maxime de reconciliatione quam instituimus dissidentium fratrum provehenda: ut idem illi velint in semetipsis sentire *quod et in Christo Iesu* (4), eiusdem nobiscum fidei atque spei aliquando compotes, vinculis coniuncti optatissimis perfectae caritatis. — At vero, praeter bona emolumenta quibus fideles, quot-

(1) Act. IV, 34.
(2) *Summa th.* S. Thomae *p.* III, *q.* VIII, *art, 1 ad 3.*
(3) Philipp. II, 3, 5.
(4) *Ib.* 5.

quot hortationi Nostrae libentes responderat, talem pietatis fraternique amoris sollertiam certe a Deo cumulatam habebunt, placet Nobis praemia sacrae indulgentiae ex thesauro Ecclesiae addere et largiri.

Itaque omnibus qui novem continuis diebus ante Pentecostem quotidie preces aliquas peculiares ad Spiritum Sanctum, publice vel privatim, pie fecerint, concedimus in singulos eos dies indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum : plenariam autem in uno quolibet eorumdem dierum vel festo ipso die Pentecostes vel quolibet ex octo insequentibus, modo rite confessione abluti sacraque communione refecti ad mentem Nostram, quam supra significavimus, supplicaverint Deo. Hoc praeterea tribuimus, ut si qui easdem precum conditiones iterum pro pietate sua praestent per octo dies a Pentecoste proximos, ipsis liceat utramque consequi iterum indulgentiam. Quae beneficia etiam animabus piis igni purgatorio addictis converti ad suffragium posse, atque in posteros item annos esse valitura, auctoritate Nostra decernimus atque edicimus; iis ceterum salvis quaecumque de more sunt ac iure servanda.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die v Maii anno MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo octavo.

C. CAR. DE RUGGIERO.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ROMANA

REDUCTIONIS ONERIS

Die 15 Decembris 1894.

COMPENDIUM FACTI. Summis Pontificibus semper maxime cordi fuit Ecclesiae Lateranensis decor et magnificentia, quippe omnium Ecclesiarum *Urbis et Orbis* Mater et Caput est, nec unquam neglexererunt Ei dotem comparare et servare congruentem ad peraugusti Templi sustinendas expensas. Late-

ranensi Basilica a Constantino Imperatore fundata Summorum Pontificum sumptibus aedificata fuit, qui privilegiis et reditibus cumularunt eamque incendio destructam. *Clemens V* iterum ad ampliorem ornatioremque formam restituit. Ob auctam Templi magnitudinem, auctis expensis. Pius IV dotem pro fabricae manutentione ditiorem reddens, proventus anulorum, quibus Cardinalium sublimis dignitas insignitur, Eidem applicuit.

Urbanus VIII Brevi Apostolico sub die 2 Octobris 1625 huiusmodi proventus Fabricae Lateranensi assignatos iussit ut in posterum S. Congregationi de Propaganda Fide solverentur, et ad istam dotis diminutionem compensandam praescripsit ut ex reditibus in Regnis Hispanicis collectis ob ampliationem Bullae Cruciatae, summa *mille et quingentorum scutatorum* praedictae Fabricae attribueretur et persolveretur. Hoc fideliter servatum fuit, donec Innocentius X eamdem summam, per Breve diei 24 Martii 1647, Fabricae Basilicae Vaticanae retrocessit. Haec enim ingentem pecuniae vim Ecclesiae Lateranensi suppeditaverat ad urgentes reparationes et sumptuosa ornamenta explenda. Quae dotis suspensio seu retrocessio adhibita fuisse videtur pro extinguendo aere alieno a Lateranensi Capitulo cum fabrica S. Petri contracto.

Lapsu temporis Lateranensi Basilica, hac dote destituta, manutentioni Ecclesiae impar omnino effecta, per Breve *diei 4 Decembris 1727 Benedicti XIII* quoad partem dotis amissam, scilicet *summam scutatorum 1500,* in integrum restituta fuit. Verum summa scutatorum 1500 ad eamdem summam ducatorum *inferioris valoris* redacta fuit.

Primo tempore Rev. Fabrica S. Petri, nulla expetita compensatione, summam constitutam solvit, at non multo post exquisivit, *primo* ut canonici lateranensis pro hac pecuniae exactione, proportionaliter, pensitarent, *sexto quolibet anno,* summam scutatorum *8 et obolorum 54* pro strennis (vulgo *mancie)* officialibus Bullae Cruciatae, a Fab. S. Petri persolvendis. Insuper, *secundo,* instabat ut sibi cederet lucrum proveniens ex pecuniae canibus et recambiis, ut vocant; eo

quia praefata Fabrica pollicebatur se soluturam quotannis in posterum supradictam summam statim ac Matriti exacta fuerit; ita ut periculo sortis ipsa obnoxia semper esse debuit. Post varios tractatus, capitulum lateranense et Fabrica S. Petri inierunt quamdam conventionem quae a Congregatione Generali praedictae Fabricae excepta et confirmata fuit sub die 23 Ianuarii 1771. Ob capitalem gravitatem huius conventionis iuvat integrum referre textum :

« Quum illmus ac rmus Oeconomus Congregationis rev. Fabricae S. Petri institerit penes nostrum rmum Capitulum, ut ab eodem quolibet sexto anno remitti debeat favore praefatae Fabricae summa scutatorum octo et obolorum 54 quae Matriti solvuntur pro strennis debitis Officialibus cruciatae, et a quibus ea tantum exigitur summa quae Fabricae nostrae sacrosanctae Ecclesiae persolvitur, scilicet ducata 1500, ac praeterea ut favore eiusdem rev. Fabricata nobis cedi debeat lucrum quod ipsa faciet ex cambiis et recambiis, ut vocant, et quod ratione praefatae summae nobis pertineret, eo quia Congregatio praefatae Fabricae pollicetur soluturam quotannis se nobis in posterum supradictam summam statim ac Matriti eadem exacta fuerit, ita ut periculo illius iacturae eadem rev. Fabrica obnoxia semper esse debeat : hinc illmi et rmi DD. rebus sic stantibus statuerunt favore supradictae Fabricae tam scutata octo, et obulos 54, quolibet tantum sexennio, quam lucra ex cambñs et recambiis profectura remittere , dummodo tamen promissio solvendi quovis anno rev. nostro Capitulo summa ducatorum 1500 simul ac in Hispanus exacta fuerit a plena fiat Congregatione supradictae rev. Fabricae ».

Postquam haec conventio executioni demandata fuit, usque ad annum 1892 quo praesens controversia mota est, duo alia intercedunt documenta iuridica respicientia huius summae solutionem. *Primum* habetur sub anno 1800, quo ob politicas vicissitudines cum Fabrica S. Petri exigere non potuerit in Hispanus suum creditum ex Bulla Cruciatae, petiit et obtinuit a Capitulo Lateranensi quamdam suae praestationis di-

minutionem, sub ea tamen conditione, *nullimode praeiudicandi iuri iam. quaesito per initam conventionem. Alterum* documentum se refert ad annum 1843 quando ob rerum publicarum eversionem in Hispanus gravem iacturam pecuniae exigendae ex Bulla Cruciatae, passa est rev. Fabrica S. Petri, unde a Lateranensi Capitulo iterum petiit summae reductionem quam consecuta est sub pacto ita expresso ab ipsa rev. Fabrica, scilicet.... quod concessio haec pro una sola vice facta intelligatur, nec valeat praeiudicium ferre initae iamdiu conventioni.

Ratio vero praesentis controversiae repetenda est ex literis a rev. Fabrica S. Petri, Capit lo Lateranensi datis *sub die 13 Augusti 1892,* eum in finem ut praestatio solvenda ex reditibus Bullae Cruciatae diminui deberet pro rata diminutionis passae a praedicta Fabrica ob diminutum valorem pecuniae hispanicae in comparationem Italicae seu *ob auctum cambium,* uti appellant.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CAPITULI LATERANENSIS. Capitulum istud per exhibitum iurisconsulti votum in primis advertit, se ultro concedere quod omne lucrum ex vicissitudine commercii ad rev. Fabricam pertineat, dummodo integ ra ac invariabilis maneat designata summa scutatorum 1258,97 correspondens libellis italicis 6766,96, favore Basilicae Lateranensis, veluti praelevata summa ex longe maiori quantitate, non secus ac evenit in beneficiis, quorum titulares taxativam pecuniae summam pensionariis, *absque ulla diminutione,* persolvere adstringuntur. In themate vero Pontificem excludere voluisse quamcumque diminutionem in summa Lateranensi Capitulo persolvenda, apertissime docent clausulae a Benedicto XIII appositae Suis Literis ; nempe clausula *sublata* et *decretimi irritans* « contra quamcunque vel minimam mutationem in posterum inducendam suae dispositioni ». Verba decretoria Pontificis hac de re iam relata sunt in facti specie. Quoad effectum vero iuridicum earum clausularum sufficiat referre

unam S. Rotae decisionem cui concinunt omnes canonistae, scilicet: « Privilegium continens clausulam *sublata et decretum irritans* inficit quameunque possessionem contrariam » *Rota Decis. 1008 n. 6 cor. Molines.*

Quod si etiam, instat Orator, rev. Fabrica S. Petri ex Bulla Cruciatae nunc perciperet non centum mille libellas, sed dimidium dictae summae, nihilominus designatam ac taxativam ex supremo Concedentis placito summam s. 1258,97 D. favore Ecclesiae Lateranensis persolvere obligaretur. Non infrequenter existunt in utroque iure duriora casuum affinium exempla, quae hic in medium produci possent, ut ecce emphyteuta non excusatur a solutione canonis, licet fundus sit corrosus a flumine vel ex parte, et domus fuerit diruta, dummodo supersit area, et idem si contingat domum comburi (Fulgin. *De solut. canon. cap. 9 n. 7)* unde vulgatum effatum : Si perit res tota liberabitur emphyteuta, si perit ex parte, nulla se liberat arte.

Eadem theoria themati applicari potest sive designata summa, titulo oneroso consideretur pensio, sive dotatio pro Sacristiae vel Fabricae expensis, in quo casu debitor nisi totaliter substantiam et fructus amittat, susceptum onus fideliter adimplere tenetur sicut docet *De Luca Disc. 91 n. 4.* « Cum iste beneficiatus sit Dominus fructuum eius damno cedere debet illorum diminutio non pensionarii, eodem modo quo e converso eius commodo cederet augmentum absque quod pensionarius de illa participatione aliquam praetendere posset, cum augmentum et diminutio sint regula dominii. - Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei adnexum contemnit ». *Legem unicam cod. de caduc, tollend.*

Per totum posset in casu applicari, prosequitur orator, doctrina Card. De Luca Disc. XXI *De pensionibus.* In facti specie illius disc, Collegii Germanici, cui Abbatia S. Crucis cum onere pensionis attributa fuit, administratores praetensionem excitaverant, quod ob notabiliter diminutos fructus dictae Abbatiae S. Crucis diminuì etiam pro parte deberent dictae

pensiones. Hinc per Alexandrum VII deputata aliquorum Cardinalium particulari Congregatione ab eadem prodiit resolutio dictae resolutionis negativa. Praefatus auctor productis contrariae sententiae dubitandi rationibus subdit *n. o* - ibi: - «His tamen non obstantibus contrarium verius esse dicebam scribens pro pensionano Collegio Neophytorum; negando in primis applicationem dicti ratiocinii super sociali unione huius Abbatiae, quae per quotas, quamvis inaequales inter ista Collegia supponatur, quoniam pensio non tangit ius vel substantiam beneficii in quo, eiusque administratione, vel praeeminentiis pensionarius nullum ius acquirit quod totum tunc residet penes titularem, cuius vice in hac Abbatia successit Collegium Germanicum cui unio facta est, et consequenter ista societas vel communio nullum habet fundamentum nec in facto nec in iure. Item quia societatis effectus vel sequela est non solum periculum diminutionis, sed etiam commodum augmenti neque damno subiacere debet qui participationem lucri non sperat; *Mutins H. pro soc. secundum naturam H. de reg. iuris etc.* Ideoque ubi huius Abbatiae fructus notabile incrementum habuissent utique dicta alia collegia illius participationem praetendere non potuissent, dum eorum ius ad certam quantitatem restrictum fuit. Et consequenter neque pati debebat damnum decrementi. Ita quoque docente observantia dum in facto iustificabatur quod iuxta temporum varietates aliquando fructus fuissent longe maiores, et tamen pensiones nullum receperunt incrementum, ideoque istud ratiocinium vere nullum habeat fundamentum etc. »

Adeo vero certa, et practica executione ista communis iuris principia servantur, notat orator, ut pro beneficiis in Italia existentibus peculiare Summi Pontificis decretum : *Cum nuperrimis,* die 28 Ianuarii 1871 editum fuerit. Quo decreto norma fuit praestituta ut amissio vel diminutio redituum beneficiorum in communi beneficiarios ac pensionarios afficiat etc. (1). Haec exceptio quae papali auctoritate pro miser-

(1) Decretum hoc adest Vol. VII pag. 325.

rima Italiae conditione fuit emanata non est porrigenda ad controversias exterarum nationum quae iure communi reguntur. « Quod voluit expressit, ubi noluit, consulto omisit». Rota *Dec. 174 p. 18 rec.*

Dein orator ad aliam iuris considerationem descendens, advertit quod observantia plusquam saecularis huius praestationis non modo exhibet favore Rmi Capituli Lateranensis indubium argumentum in linea interpretativa, sed etiam si deesset Apostolicum Breve abscisse in linea praesumptiva exhibet meliorem de mundo titulum. Nam ex dictis re vinci tur iamprimum ab anno 1625 scilicet duobus abhinc saeculis cum dimidio, Urbanum VIII dotationem mille et quingentum scutatorum pro ecclesia Lateranensi assignavisse. Ac subinde Benedictum XIII formaliter et cum amplissimis clausulis ferme eamdem summam, nempe ducata millia et quingenta favore sacrosanctae eidem Basilicae perpetuo concessisse. Sed haec postrema summa generositate canonicorum redacta fuit ad scutata 1259,97, scilicet ad libellas 6766,96 ut ad petitionem administratorum Fabricae S. Petri proportionabiliter concurrerent pro remunerationibus, vulgo : *mancie.*

Qui administratores, vix ac Matriti ea summa exacta fuerat , eam, demptis strennis, Capitulo Lateranensi integre persoluturos adpromittebant, dummodo favore Rev. Fabricae S. Petri cederet lucrum quod « ipsa faciet ex cambiis et recambiis ». Quam petitionem ratam gratamque canonici Lateranenses in capitularibus comitiis die 2 Septembris 1770 habuerunt. Et e converso Rev. Fabricae S. Petri administratores confirmarunt decreto resolutionis diei 23 Ian. 1771 declarantes in facto iam praeterlapsam observantiam saecularem a tempore Urbani VIII, scilicet ab anno 1665. Haec periculorum assumptio ex partium conventione est adaequatum correspectivum et late ac generice est interpretanda veluti ample, ac indiscriminatim quodcumque lucrum complectitur. Etenim ferendus non foret qui lucrum quidem complectitur, onus autem contemnit. « In correlativo *siquidem* contractu iniquum est quod quis exequi postulet quidquid sui favore stipulata sit, quae

vero contraria réfugiât » Rota *cor. Riminaldo Dee. 148 n. 6.* Ac summum illud iurisprudentiae lumen Benedictus XIV *De synodo dioeces, lib. 10, cap.* 7, sic edocet. - ibi - « Ut autem societas iusta sit, sicuti lucrum, ita et periculum, ac damnum debet esse commune: nam ut ait Ulpianus in *leg. 29. H.* pro socio, si alter lucrum tantum, alter damnum sentiret $ societas dicetur *Leonina* ab apologo Leonis qui absque ullo sui periculo aliarum ferarum venationis particeps esse voluit ».

Periculum vero a Rev. Fabrica correspective susceptum non restringitur ad alterumve damnum vel praeiudicium, sed extenditur ad omnem iacturam, sive depereat capitale, sive fructus diminuantur, sive commutatio pecuniae ex canibus et recambiis propter commercii vicissitudines, et temporáneas oscillationes vilescat. Quod enim lex aut pactum non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Filologica porro vocabulum : *pericolo* lat. *periculum* quamcumque iacturam, et discrimen complectitur. Si ergo *periculum* quod in aleatorio pacto Rev. Fabrica reparandum suscepit, graviora damna comprehendit, non patet profecto quare minora réfugiât ; prorsusque ignoramus quare obligatio resarciendi damna cohibeatur ad caput et sortem non vero ad fructus, et eventualem diminutionem capitis , et sortis !

Hinc , advertit orator , risum excitare , adversae partis hanc conclusionem : sicuti igitur capitulum, uti repraesentans lucri obvenientis a cambio favorabili, habet a R. Fabrica beneficium cautionis contra nummulariorum decoctum. Sed hoc subterfugium, urget, potiori ratione demonstrat adimplendam esse a Fabrica S. Petri obligationem pro resarciendis minoribus damnis, quae plus minusve contingere solent, sicuti evenerunt ingentia lucra de quibus siluerunt, ac silent Vaticani administratores. Nonne si Rev. Fabrica ex sua confessione obligatur ac! tutandam totam summam quae taxative designata fuit, nonne vehementius tenetur ad minimam partem quae in toto comprehenditur ? Hanc minimam partem damni ex accidentalibus casibus cambiorum et recam-

biorum, quod postremis hisce annis confirmatum fuit, *con poca differenza,* prouti consul regni Hispaniarum contestatur.

Imo, iniquit Orator, ad abundantiam probari posset quod viceversa indemnitas quae stipulata fuit porrigatur etiam ad graviorem iacturam. Iure siquidem civili sic inter ceterqs docet Ulpianus *leg. 150 ff. de verb or. signifie.* « Si ita stipulatio fuero : quanto minus a Titio consequutus fuero, tantum dare spondes, non solet dubitari quin si nihil ..a Titio fuero consecutus totum debeas quod Titius debuerit ».

Quare concludebat in sua perbrevi responsione Capituli Lateranensis procurator : quod si Capitulum Lateranense reliquit favore Capituli S. Petri lucra omnia quae colligi possent a *canibus* et *recambiis* monetae, id factum fuit, ut fixa constitueretur et invariabilis pecuniae summa. Quae conventio quum accepta fuerit a Capitulo Vaticano vim legis habet. Qua de re sicut Capitulum Vaticanum vi eiusdem conventionis plures per annos sensit utile ex cambiis monetae, sic hodie et damnum ferre debet.

Istas conventiones, observat orator, ab anno 1771 usque ad annum 1892 proxime translatum, spatio duorum saeculorum et 21 ann., Rev. Fabrica S. Petri adimplevit et taxativam summam persolvit quodcumque obvenerit augumentum vel diminutio ex cambiis et recambiis,. Pacta vero et concessiones, quas anno 1800 et 1845 Canonici Lateranenses ad preces Rev. Fabricae fecerunt, quia sub id temporis damnum ex cambiis non lucrum, uti antecedenter, consecuta fuerat, confirmant, ac validissimum robur addunt ipsi observantiae. Siquidem ex forensi adagio concedere , et cedere differunt : quia concedere est temporaneum, cedere vero perpetuum ; Barbosa *cl ausiti. 531 n. 41.*

Imo in his concessionibus non modo Capitulum Lateranense praeservavit iura sua, sed etiam superaccedit confessio, et agnitio ipsius Rev. Fabricae S. Petri in duobus mandatis 27 Iunii 1800 ubi declarat se ex peculiari benignitate obtinuisse diminutionem cum expressa declaratione, nihil per hoc innovatum fuisse pro futuris solutionibus.

Si Rev. Fabrica, notat consultor, aliquod ius, et veram actionem experiri posset, adiunxisset aliquam clausulam praeservativam ex. gr. salvo iure, sine praeiudicio recurrendi in petitorio, vel aliquam inseruisset protestationis literam. Ast longe aliud evenit, ipsa confessa est se nullam diminuendi canonicam rationem habuisse, nec id se consequi iure iudicioque posse cum alterius praeiudicio. Porro compertissimum est nullam dari posse validiorem probationem, quam « proprii oris confessionem. Probatio siquidem obligationis satis eruitur, tum ex conciliatorum verbis, tum ex testibus facto proprio certaque scientia deponentibus ; tum ex confessione ipsiusmet contrahentis, quae quidem genus omne probationis antecellit » *(cap. Per tuos de probat.* Rota *coram Bichio Bec. 464 n. 19 coram Molinet. Dec. 1122 n. 6 et in recent. Dec. 749 n. 12 part. IS).* Quia e contra Rev. Fabrica S. Petri, opponit se tantum esse mandatariam ad exigendum, respondet in suis animadversionibus procurator Capituli, ast cum mandato particulari, de quo conventum fuit inter partes, quodque observatur a /plus quam centum annis, sibi assumendi damna et utilitates omnes super canibus, et dandi semper Capitulo Lateranensi summam certam, absque imminutione. Unde concludit patronus, bissaecularem observantiam huius praestationis per se sufficere ad constituendum *titulum* meliorem de mundo. Nam sicut haec observantia evidentissima est in facto utrimque confesso ; ita receptissima est in iure scilicet per centenariam observantiam praesumi quemque titulum meliorem de mundo ob facultatem (ut docet De Luca *De benef. disc. 32 n. 2)* « allegandi privilegium Apostolicum, vel quemcumque alium titulum de mundo meliorem, quem sufficit allegare absque necessitate probationis ita praesumptive resultantis a possessione centenaria ». Ac eadem Rota in *Praenestina 22 Mar. 1779 coram Martinez:* « Qui possessione utitur centenaria ; is certe quocumque meliori ac potentiori titulo, iureque suffultus est, vis pactum? vis privilegium ? cuncta haec et si quid aliud exoptes ex possessione centenaria sunt praesumenda ». Hoc itidem

principium fuit semper constanterque retentum a S. Concilii Congregatione sive in linea praescriptiva, sive praesumptiva, et maxime in linea interpretativa. Hinc lemma est « quod attendi magis debeat quod fuit observatum, quam quod fuit cautum in fundatione » *S. Cong. in Regien, beneficii 26 Ianuarii 1861.* Hinc etiam lemma est « quod habens centenariam allegare valeat privilegium non tamen e contra habens privilegium allegare potest centenariam ». Riganti in *Reg. Cancellar, tom 1 n. 139.*

DEFENSIO CAPITULI VATICANI. Sed ex adverso, Rev. Fabricae S. Petri Procurator, advertit ipsa generaliora iuris principia perfracte condemnare et Capituli Lateranensis instantiam iugulare. Nam in dubium nemo revocat, Benedictum XIII ab integra ducatorum summa a Fabrica Vaticana possessa, aliquam partem *dismembrasse,* nimirum ducatos nummos 1500, favore Lateranensis ecclesiae. Cohaerenter ad factam dismembrationem, ipse Pontifex iussit quod semel hac integra summa exacta fuerit, non amplius inscriberetur universa nomini Fabricae S. Petri, sed pro parte Fabricae Lateranensis attributa, eidem referretur « *in credito libero* ».

Exinde, arguit procurator in aperto est* omnes commercii vicissitudines donec haec pecuniae summa in Italiam traiciatur, ferendas esse sive favorabiles sive perniciosas, partim a Fabrica Vaticana, partim a Lateranensi pro rata portionis utrique attributae.

Nec obstat, advertit, quod Argentarii sive nummularii Hispanici integram summam Romam mittant, inscriptam nomini Fabricae S. Petri; nam Pontifex Benedictus XIII disponens de certa huius pecuniae parte, favore Capituli Lateranensis, suum decretum non dedit exequendum argentariis Hispaniae, sed ex integra summa aliqua dismembrata parte, iussit Fabricam S. Petri, ut 1500 ducatos nummos Lateranensi ecclesiae assignatos, a momento factae exactionis eidem iam *pleno et libero iure* consideraret adiudicatos.

Quocirca, infert procurator, in facto exactionis et pecuniae traiectionis ex Hispanus in Italiam, Fabrica S. Petri,

nomine Basilicae Lateranensis, mandatarii gerit personam in quam proinde incivile et durius esset transferre quamcumque pecuniae iacturam, periculum et damnum.

Dein procurator, ad obiectiones adversariorum convertens sermonem, notat conventionem anni 1770 qua omne lucrum ***ex cambiis et recambiis*** cessit Fabricae S. Petri, non evincere quod ab eadem Fabrica aeque ferendum sit omne damnum exinde proveniens, imo opinatur contrarium omnino probare. Nam ex textu conventionis patet, Capitulum Lateranense sibi, pleno iure, vindicasse quodcunque lucrum derivans ex ***cambiis*** et ***recambiis*** quoad d. 1500; eoque lucro disposuisse quasi ***pretio*** et ***mercede*** in correspectivum oneris sibi assumpti a Fabrica S. Petri, scilicet subeundi quodcunque periculum summae capitalis, etiam pro parte ad Lateranensem ecclesiam spectante. Unde, concludit, ex contractu admodum pro fabrica S. Petri oneroso, haec sibi attribuit utile valde exiguum, et incertum ex cambiis percipiendum, dum onus subibat gravissimum solvendi summam d. 1500 integram etsi illa ex nummulariis Hispanicis nihil exigere potuerit. Quaproter effatum « ***quem commoda sequuntur, eumdem sequi debent incommoda*** » retorquet in Fabricam Lateranensem, petens ut ipsa quae levi concessione sartam et tectam habuit exactionem sui crediti, recedat a sua instantia, qua vellet S. Petri Fabricae onus etiam imponere sustinendi quodcumque damnum resultans in permutatione pecuniae hispanicae cum italica.

Demum procurator in medium affert transactiones sub annis 1800 et 1843 initas, quibus in quota praestationis Fabrica S. Petri quamdam obtinuit diminutionem, contendens ex eisdem evinci, Fabricam S. Petri nunquam acquievisse intentioni Fabricae Lateranensis quod nempe haec immunis evadat a quocumque sortis et fructuum periculo; nam S. Petri Fabrica, pro bono pacis, usa concessione granose sibi facta, non neglexit appellare « ***preteso*** » ius a Fabrica Lateranensi sibi arrogatum. Et si protestationes huiusmodi non defuerunt etiam ex parte Capituli Lateranensis, concludendum huius

generis protestationes ad invicem collidi et destrui, et tantum remanere factum diminutae praestationis, quacumque protestatione fortius.

Denique quia procuratoris animadversiones excipit quoddam schema concordiae, iuvat hoc referre eiusdem verbis, italico sermone, ne quid addatur vel dematur: en verba: « Quantunque per le riflessioni fin qui brevemente svolte sia evidente che nè la ragione giuridica, nè alcun atto suffraghino l'assunto della Fabrica Lateranense, tuttavia l'amministrazione della Fabrica di S. Pietro non intende disdire la offerta che per dare prova di non volersi attenere al rigore del diritto a riguardo della Fabrica Lateranense, generosamente fece; e che consiste in ciò, che il lucro dell'eventuale cambio favorevole e la perdita del cambio sfavorevole cedano rispettivamente a suo profitto ed a suo danno fino al 5 °/₀ ; e pel di più cedano a profitto ed a danno della Fabrica Lateranense. Questa per tal modo rimarrebbe esonerata di una buona parte della perdita che per intiero dovrebbe sostenere, non avendo alcun diritto che l'autorizzi a riversarla in tutto o in parte sulla Fabbrica di S. Pietro. »

Quibus praenotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An oneris reductio concedi debeat in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 15 Decembris 1894, censuit respondere: *Negative.*

PARISIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Sess. 24 Cap. 1 De reform.

Die lo Decembris 1894.

COMPENDIUM FACTI. Cum, labente anno 1892, Maria, orbata parentibus, penes consobrinum dominum Marchand in civitate Fontainebleau rusticaretur, nuptiae conciliatae fue-

runt inter ipsam 27 annos agentem et Brnestum annorum 45, viduum, septem filiorum patrem ex priori coniugio susceptorum. Cito matrimoniales tractatus absoluti fuere, ac die 30 Novembris eiusdem anni, sponsi, iam actu civili praemisso, in ecclesia S. Philippi, vulgo dicti *du Roule,* Parisiensis civitatis, mutuum consensum de matrimonio contrahendo coram parocho delegato rite emittebant.

Illico post nuptias Niciam, se contulerunt sponsi, et insequentibus diebus Lugdunum atque Massiliam concesserunt. At matrimonium non consummarunt, licet ter coire inutiliter experti sint, ut ipsi referunt. Tertia decima ab expietis nuptiis die coniugibus Lutetias Parisiorum re versis, Maria virum improviso reliquit, litteris nuncians, se eius conversatione iam pertaesam fuisse, et cum sobrino suo, Domino Marchand, quem insano amore iam a multis annis deperibat, ad exteras regiones migrare.

Ernestus, ut tantum dedecus quod suo nomini imminebat propulsaret, iudicialem separationem a sponsa a civili magistratu petiit ac facile obtinuit ; simulque ad Supremum Principem recursum habuit, atque die 25 Februarii 1893, Rescriptum a S. C. C. obtinuit, quo committebatur Emo Archiepiscopo Parisiensi , ut processum conficere curaret *super asserta inconsummatione matrimonii ac causis dispensationis, servata forma etc., et cum facultate subdelegandi** quod Emus vir maxima cum diligentia explendum curavit ; atque ex actis iam a die 22 Decembris anni nuperrime elapsi ad S. Congregationem transmissis constat, Ernestum ab omnibus, qui eum noverunt haberi tamquam veracem, honestissimum et omni exceptione maiorem. Unus testis Carolus, uxoris frater haud confidit in actoris verbis, et fabulis accenset factum inconsummationis. Mariam etiam, ream in causa, fide dignam reputari debere quum affirmat coniugalem actum fuisse quidem attentatum, sed nunquam consummatum. « Ad nos quidem non pertinet, concludit iudex delegatus, hac de re iudicare ; attamen maxima cum fiducia nostram sententiam aperimus : mens istius tribunalis, quod et

testes audivit et interrogavit, haec est ; matrimonium non fuisse consummatum ».

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MARITI. Vir huiusmodi dispensationem efflagitans, patronum sibi adlegit, qui in primis ad inconsummationem matrimonii evincendam, meminit, iura tas sponsorum depositiones, si consonae, si a probatis, religiosis ac fide dignis personis procedentes, si demum septimae manus suffragio sint suffultae, tanti esse valoris, ut iuxta cap. *Laudabilem 5 De frig. et male f.,* Sánchez *De matr. lib. 7disp. 108, n. 6,* et iuxta ipsam S. C C . in Parisien. *26 Iunii 1855,* Burdigalen. *26 Febr. 1825,* atque in aliis, sufficiant ad moralem persuasionem inducendam de non consummatione matrimonii et ad dispensationem, etiam sine physico virginitatis experimento, impetrandam ; in casu vero, adnotat, subesse quamplurima alia argumenta adminicularía, v. gr. amasii confessionem, repugnantiam uxoris erga maritum, eiusque fugam, publicam non consummationis opinionem, ex quibus magis magisque matrimonii non consummatio confirmatur.

De cetero, recolit patronus, confessio non consummationis matrimonii nedum in iudicio, sed vel antea, tempore non suspecto, facta perhibetur. Ernestus enim nullam adhuc de mulieris fuga suspicionem habebat et iam multis nihil adhuc actum esse manifestavit. Idem post fugam cognitam repetiit Parocho, Confessori, Episcopo aliisque passim. Mulier etiam, perdurante adhuc nuptiali itinere, similes revelationes amasio significavit. Fuga vix capta ad maritum scribit : « Je suis à bout, je n'en peu plus, je sens que je ne pourrais jamais être votre femme ».

De confessionum sinceritate nullimode suspicari posse, dicit patronus, cum coniugum confessiones inter se mirifice conveniant. Ambo sane in tempore, numero conatuum, et recusationis causa consentiunt. Vir asserit a muliere gelide exceptum fuisse, mulier idem confirmat-; vir turbatum animum ad coniugales actus gessisse fatetur, mulier idem con-

firmat ; ambo nullam ne imperfectam quidem penetrationem locum habuisse fatentur, ambo denique iterum iterumque matrimonium non fuisse consummatum solemniter declarant.

Porro constans et consona huiusmodi sponsorum depositio tum in iudicio, tum antea, tempore non suspecto facta, vel maximam sibi vindicare auctoritatem, adnotat orator, si pensetur quod testes et acta processus de veracitate utriusque coniugis proclamant, et de eximia pietate et honestate saltem alterutrius. Quoad virum haec confirmant Canonicus Doublet, Parochus s. Dionysii, Curia Atrebatensis, et Domina Storez. Demum, ut uno verbo plura comprehendantur, etiam alii duodecim testes viri honestatem ac religionem summis laudibus unanimiter extollunt. Post huiusmodi testimonia orator puerilem et ridiculam putat Mariae fratris affirmationem, asserentis in Ernesto fidem non habere.

Nec deterius revera esse, sequitur, de muliere testimonium ; nam haec quoque, licet « fragilitate potiusquam malitia peccaverit », ut fide digna, religiosa renunciatur a Curia Parisiensi, a Renda Sorore Martha, Mariae amita, a Domina Marin atque ab aliis passim.

Ulterius orator animadvertit, testes et Tribunal quod ipsos audivit et interrogavit non solum de coniugum credulitate iurare, sed de non peracta matrimonii consummatione moralem se habere certitudinem solemniter profiteri. « Ad nos non pertinet, inquit Curia Parisiensis, hac de re iudicare, attamen... mens istius tribunalis quod et testes audivit et interrogavit haec est : matrimonium non fuisse consummatum ». « Je regarde, ait parochus Roger, cette non consommation non pas seulement comme probable, mais comme moralement certaine ». Quod una voce sacerdos Gelandais, Ernesti confessor, Soror Martin, Soror Martha, domina Isaac et ceteri omnes conclamant. Atque ita morale de inconsummatione argumentum numeris omnibus absolutum haberi patronus concludit.

At hic non immorat, nam in themate praesto alia adminicula sunt, inter quae principem tenet locum adulteri te-

stimonium. Profecto statuto quod iudices ab amasio quaerere non poterant utrum Mariam adhuc intactam invenerit nec ne ; id enim significaret ab eo quaerere utrum adulterium incestuosum cum muliere commisisset, et nullus testis tenetur suam turpitudinem in iudicio revelare ; nihil, ait orator, tribunali supererat quam oblique ab eo quaerere utrum matrimonium consummatum fuisset, et sub hoc respectu oratori videtur, iudices propositum finem plene attigisse. Amasius enim persuasum habet plenissimam mulieri, non consummationem affirmanti, adiungendam fidem esse; aliis verbis declarat, matrimonium inter Mariam et Ernestum consummatum non fuisse. Iamvero quis non videt quam pretiosum non consummationis argumentum sit haec confessio in ore amasii, qui mulieris corpus in possessione habuit? Qui loquitur ex scientia et facto ?

Aliud argumentum eruit patronus ex repugnantia geluque mulieris erga maritum. Re sane vera nil mirum, adnotat, si homo qui iam quadragesimum quintum aetatis annum praetergressus erat, qui itineris laboribus fractus, turbatoque animo, ad virginem primum accedebat, gelide nulloque amoris signo exceptus, in primo actu defecerit. Miraretur potius si contrarium accidisset. Primo autem actu in irritum verso, minor Ernestus ad secundum et tertium evasit. Praeter enim cetera animi sensa, praeter immotum mulieris gelu, quod cuivis hominum vires ademisset, quoddam rei infectae dedecus adiiciebatur. Praeterea, cur mulier, quarta vice, recusavisset, cur amasio et amitae moniali propositum matrimonii non consummandi per litteras manifestasset, si reapse matrimonium consummatum fuisset?

Aliud argumentum inconsummationis ex fuga mulieris desumit orator. Mulier sane cum amasio minime rerum aufugisset si germina futurae sobolis in sinu gessisset, perpenso praesertim amore, quo vir mulierem prosequebatur. « Comment pourrai je, ita Maria ad Ernestum scribebat, jamais me faire pardonner tout ce que je vous ai fait souffrir? La fatalité m'a poursuivie au moment même ou vous m'accabliez

de toutes vos bontés ». Postremum tandem non consummationis argumentum ex publica fama desumit. Vox populi, vox Dei. Nemo unquam fefellit omnes. Tota civitas persuasum habet matrimonium non fuisse consummatum. Iam, concludit patronus, nullam causam inveniri posse, in qua actor maiori probitate, pietate, sinceritate, integritate polluerit. Nec raro accidit ut S. C. C. perspecta dumtaxat Oratoris probitate, pro dispensationis gratia rescripserit. Ut in Tergestina *Matrimonii, Decembris 1876.* Deerat in causa corporis mulieris inspectio, deerat eius iurata fides, imo mulier pro consummatione contendebat, ac aborti etiam suspicio occurrebat. Attamen, attenta probitate viri spectatissimi, S.O.C, pro dispensatione consuluit (1).

Quo, ut praerequisito, dispensationis fundamento posito, deinde ad causas dispensationis proponendas gradum facit orator. Et inter causas primum recenset mulieris fugam ac adulterii certitudinem. Atqui sola suspicio adulterii causam praebet dispensationi, uti docet Coscius *De separ. thori coniugalis 461 e ad. 16 n. 269 ;* utque saepius S. C. C. tenuit; veluti videre est in Albiganen. *Matrimonii 16 Sept. 1801.*

Aliam dispensationis causam deducit ex sententia separationis quoad thorum et bona, quam iam vir a Tribunali civili petiit et obtinuit.

Aliam causam erui dicit ex insuperabili coniugum aversione. De qua abunde dissert Ursaya *Discept. 21, h. 60, 61, 62, tom. 1, part. 2 et discept. 7, n. 76, 77, tom. 3, part. 1;* Corrad. *In praxi dispensat, lib. 8, cap. 3, n. 33;* et cui denique nulla, ne remota quidem, spes est medendi. Unde omnes unanimiter praedicant reconciliationem inter eos impossibilem nunc iam evasisse.

Gravissimum praeterea subsequitur argumentum dispensandi ex spirituali utilitate petentis dispensationem ; Perez *De matrim, in disputât. 20, sect. 7, n. 11;* Sacra Rota in *decis. 86, sect. 7 post secund. vol. Farinae,* et S. C. C. in

(1) Habes hanc quaest. Vol. X, pag. 376.

pluribus causis, et celebre votum Card. Laneellotti, Praefecti S. C. C. a qua quidem praxi S. Congr. et Summorum Pontificum, ait orator, non esse recedendum; veluti docent Lott. *De re benefic. lib. 1, quaest. 11, n. 3;* Sacra Rota *Decis. 18, n. 11, sub tit. de probat, coram Falen.* etc.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. E contra vinculi defensor in primis observat, coniuges mire concordare inter se dum conatuum numerum designant, sed e diametro pugnare, dum conatuum inanitatem demonstrare moliuntur. Enimvero Ernestus ait : « Soit par suite de fatigue, soit à cause de l'émotion que j'éprouvais et qu'on éprouve toujours en approchant pour la première fois de sa femme, soit aussi à cause du respect qu'inspire naturellement une personne qu'on croit vierge, il n'y eut pas intromission ». Versa vice Maria Ernestum in hominem traducit, qui pudoris et naturae ornamenta furore ac cupiditate perfregit. Inquit enim : « J'en fus profondément blessée... C'est surtout dans son langage pendant les moments les plus intimes de nos relations..... J'affirme que si j'avais été la compagne d'un homme plus réservé dans ses allures, je n'aurais jamais songé à déserter mon devoir ». Nec causam videt cur sive Ernestus, sive Maria veritati contraire voluerit, si matrimonium reipsa inconsummatum mansisset. Parvi namque tum Ernesti cum Mariae intererat rem infectam fuisse potius ob timiditatem, quam ob viri vetusti audaciam. Quocirca timet agi,praesenti in causa non iam de inconsummatione matrimonii, sed de alia re quae a matrimonii inconsummatione distat toto coelo, quae matrimonii quinimo consummationem necessario praesupponit.

Expendit deinde testimonium, quod momentosissimum vocat, Caroli, Mariae fratris, unici testis qui tempore non suspecto vidit coniuges eosque allocutus est. — « Le témoin, Carolus, n'a aucune foi à la véracité *viri:* il est persuadé que le mariage a été plusieurs fois consommé : il regarde comme impossible que cette consommation n'ait pas eu lieu : l'entrevue de Marseille ne lui laisse aucun doute à ce sujet...

Le témoin ajoute, que sa sœur lui a assuré qu'elle n'a refusé à son mari ses droits matrimoniaux qu'après 4 ou 5 jours, ne pouvant plus s'accommoder de ses légèretés... Le témoin a vu les époux (à Marseille) : il a passé avec eux quelques heures, et il a pu s'apercevoir qu'il y avait entre eux un peu de froideur: il en a fait l'observation à sa sœur qu'a répondu : qu'il n'y avait rien » ; et advertit in hoc testimonio nihil desiderari ; re enim vera facta Carolus nitide narrat, causam scientiae adamussim suppeditat: nec circumstantias omittit atque adiuncta loci et temporis. Carolus cum coniugibus Massiliae egit : « Le témoin a trouvé les époux à Marseille , occupant une seule chambre, à un seul lit » ; egit cum coniugibus non primis, sed postremis coniugalis cohabitationis diebus, et coniuges animo abalienatos invenit : « Le témoin a pu s'apercevoir qu'il y avait entre eux un peu de froideur » : perquisivit abalienationis causam, et a coniugibus certioratus est non esse inconsummationem matrimonii : « Le témoin est persuadé que le mariage a été plusieurs fois consommé____L'entrevue de Marseille ne lui laisse aucun doute à ce sujet... sa sœur lui a assuré qu'elle n'a refusé à son mari ses droits matrimoniaux, qu'après 4 ou 5 jours, ne pouvant plus s'accommoder de ses légèretés ».

Verum, pergit defensor, illo minime suspecto tempore Carolus a coniugibus didicit non solum matrimonii consummationem , sed didicit praeterea animorum abalienationem exinde esse secutam : scivit nempe coniugale dissidium exortum ex notitia facti, quae nonnisi per matrimonii consummationem haberi potest. Sane quindecim post Mariae fugam diebus Carolus ad Ernestum de causa fugae scribit : « Comme vous, je me demande quel mobile a pu la pousser, Mariam, à tenir une semblable conduite. Pour vous parler à cœur ouvert... je ne vois qu'une explication. C'est la honte trop fort à supporter, d'une conduite antérieurement coupable, que l'a fait abandonner tout à coup un foyer où elle aurait été si heureuse !...».

Profecto, ratiocinatur orator, inter coniuges Ernestum

et Mariam actum minime esset « d'une conduite antérieurement coupable », si Ernestus nihil huiusmodi advertisset; nec quidquam huiusmodi, illis diebus, longe a patria, advertere potuisset, nisi matrimonium consummasset. Carolus vero, Mariae « conduite antérieurement coupable » cognoscere, nonnisi in colloquiis cum coniugibus Massiliae habitis, potuit: et dato etiam quod aliunde id scivisset, nunquam Ernesto revelasset pudenda sororis suae. Imo Carolus dum dicit: « La honte trop fort à supporter » aperte ostendit, et Mariae lapsum perspectum Ernesto esse, et Ernestum sibi illatam iniuriam minime uxori ignovisse, et Mariam, veniae amissa spe, cum persentiret quam sit intolerabile malum ob oculos habere virum semper infestum, potius elegisse viro valedicere.

Ulterius, ait orator, frater profitetur Mariam Ernesto nupsisse tutissima spe confisam, virum lapsum condonaturum. Haec si admittas, prosequitur sacramenti vindex, omnia plana sunt, si paulisper hunc inficiaris, incomprehensibilia omnia sunt.

Verum, pergit orator, Mariam inquis forsan, Ernesto nupsisse quia speravit coniugales amplexus vires sibi suppeditaturos ut ab insanis, quibus sobrino devinciebatur amoribus se expediret: ideo subinde aufugit, quia mariti amore minime adstricta, fatui in consobrinum amores magis atque magis exarserunt. Rem dilemmate confici potest: scilicet, Maria Ernesto devincta amore non esset, vel quia ipse Ernesto amore coniungi noluisset, vel quia experta esset se eum amare non posse. Si primum, quorsum virum sibi Ernestum adiunxit? si alterum, sero nimis ista coniugalis amoris impossibilitas deprehensa esset. Ap age fabulas, Maria testimonio eloquentissimo uteris consignato, professa post fugam est se et posse et velle viro adhaerere, viresque praesto sibi esse quibus insanis consobrini amoribus resistere valeat.

Nec aliquid officere, censet matrimonii adsertor, epistolam, quam Maria Ernesto dedit, dum fugae se commisit: qua

quidem in epistola Maria scribit : « Je suis à bout, je n'en peux plus. Après les huit jours que nous venons de passer ensemble, je sens que je ne pourrais jamais être votre femme. Je lutte depuis sept ans; j'ai voulu lutter jusqu'au bout. Je ne puis hélas! je suis folle! Tuez-moi, si vous voulez, si vous cherchez à me retrouver. Mettez-moi en prison : tout me sera plus doux que la pensée de continuer à partager mon existence avec vous ». Etenim nihil in recitata epistola deprehendi^ quod sit ab iis quae hucusque disseruit dissonum. Maria enim, iuxta oratorem, desperationem inibi describit, ad quam adducta est, cum culpae veniam ab Ernesto per octo dies frustra speraverit, eique significat esse impossibile sibi uxorem agere viri semper infensi ; carcerem, mortem tolerabiliores sibi esse, quam individuam vitae consuetudinem cum indignato viro. Hunc esse, asserit, genuinum saepedictae epistolae sensum. Rursum, adnotat defensor, si teneas octo illis coniugalis cohabitationis diebus Mariam perperam ab Ernesto efflagitasse facti in matrimonii consummatione detecti veniam, iam mirum non est, quod Maria, omni amissa condonationis spe, ad consobrinum pergere quam maxime optaverit, sive gratiam ut et ipse posceret, sive ut fugam cum eo arriperet ; mirum non est quod eam ad amasium pergere ultro citroque consenserit Ernestus, quippe qui infidelis uxoris fugam non aegre ferebat. Sed fatuis econtra accensendum esset factum viri, qui uxorem genio indulgere detrectantem, comitatur ad amasium.

Huc accedit, memorat orator, quod in confessis est coniuges non solum per tredecim dies condormiisse, sed etiam coitum expertos esse. At hisce in facto positis inconsummatio matrimonii oratori miraculum sapit. Ad rem refert Coscius *De separat, tor. coniug. lib. 3, cap). 2, num. 261 et seqq.*, qui haec habet : « Si vero coniuges non solum simpliciter condormierint, verum etiam copulam vir tentaverit, et sponsa se ad actum, etsi non libenter, praebuerit, et uterque affirmet quod nihilominus propter reciprocum odium et antipathiam copulam habere non potuerint, hoc opus, hic labor

erit inveniendi aliquem, qui absque ulla amaritudine statim illis credere possit hoc fecisse miraculum. Illud profecto (miraculum)... non posse facere dubitarunt etiam viri sanctissimi tantum odium implacabile nutrientes contra peccatum, quantum habere poterant qui ex intimo sensu Deum amabant.... Durum est ergo credere quod duo sponsi ambo potentes, qui ad explendam libidinem voluntarie statum coniugalem elegerint in ea aetate, quae viribus pollet, inter noctis tenebras... inter tactus cuiuscumque partis corporis diversi sexus, inter amplexus, qui in actu simili evitari non possunt, nec semel forsan, nec una tantum nocte, sed pluries in actuali situ coniunctionis positi, durum, inquam, est credere quod in duas lapideas statuas converti possint. Durum est credere, quod adulescens cum puella, solus cum sola, nudus cum nuda, propter solam antipathiam in actu coniunctioni tam proximo libidinis aestus concorditer et constantissime suffocaverint, nisi dicendum quoque sit, quod ignis cum palea, flamma cum stuppa nequaquam magnum incendium excitare valeant... In his ergo circumstantiis non ita facile coniugum confessioni de non consummatione, nec obstetricum relationi de mulieris virginitate deferendum venit, sed scrupulose investigandum, an coniuges in eo actu, in quo, ut ait D. Augustinus, libido totam absorbet rationem, vere et realiter se non consummasse cognoverint, an obstetrices decipi potuerint, vel mendacio decipere tentaverint ». Eapropter nemo non videt quid responderet Coscius ad praesentem controversiam, in qua testimonium obstetricum nullimode obtinet, nec obtinere potest ; a qua exulat quaecunque matrimonii coacti vel antipathiae suspicio ; qua in controversia testes, qui adversus matrimonium testimonium dicunt, nihil de inconsummatione sive a coniugibus sive ab aliis tempore non suspecto audierunt.

Hisce quae matrimonium consummatum esse suadent praemissis, argumenta quibus actio adversa innititur breviter perpendit orator. Et primo immerito, ait, contradictorem autumare iuratam coniugum fidem, septimae manus iurato

testimonio roboratam ad gignendam inconsummati matrimonii certitudinem sufficere. Nam coniugum confessio cum sit in confitentium favorem, nihil probat, quemadmodum docet Sánchez. Septimae autem manus iuramentum semper quidem requiritur, ceu tradit idem Sánchez *De matr. lib. 8, disp. 108, n. 7',* « ut cautiori diligentia adhibita dissolutio matrimonii fiat. Quae res maximi momenti est » ; at veram probationem in nulla unquam, et multo minus in gravissimis matrimonii causis constituere potest.

Neque Sacramenti vindicem movet testium atque Brnesti honestas, religio, integritas. Siquidem recolit, nonobstante quacunque coniugum et septimae manus pietate, iudices matrimonium dissolvere, cum alia argumenta exulant, nequire quin sacramenti sanctitatem in grave discrimen adducant.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 15 Decembris 1894 censuit respondere: *Affirmative.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. Iuratas sponsorum depositiones, consonas, procedentes a personis fide dignis, suffultas suffragio septimae manus, sufficere ad inducendam moralem persuasionem de matrimonii inconsummatione, quin locum habeat physicum virginitatis experimentum.

II. In themate concessam fuisse dispensationem a matrimonio tantum rato super depositione sponsorum, et *septimae manus,* nec non super argumentis nonnullis adminiculativis.

MONTISVIDEI

POSTULATUM EPISCOPI CIRCA PROPOSITUM OBLIGANDI SACERDOTES AD SUSCIPIENDAM REGULAM INSTITUTI VENERABILIS HOLZHAUSER

Die 25 Ianuarii i895.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Montisvidei multum adlaborat ut in toto Uruguai transferatur institutio ven. Holzhäuser, cuius finis est ut iterum instauretur vita communis cleri saecularis. Et ideo petit hic ut sibi liceat obligare ad eiusmodi communem vitam iuvenes ordinandos, qui dum carent titulo patrimoniali, promoventur ad sacros ordines titulo servitii paroecialis. Pandidit insimul dotes huius institutionis, requisita ut quis particeps fieri valeat, et onera subeunda ab istius membris.

Disceptatio Synoptica.

Solutioni quaestionis praestat nonnulla de hoc Instituto praemittere. Huius fundamenta iecit Bartholomaeus Holzhauser in Dioecesi Salisburgensi hoc consilio, ut vitam communem induceret inter sacerdotes, eos praesertim curae animarum in vicis et pagis addictos. Fuit approbatum novum Institutum magna cum laude ab Innocentio XI sub anno 1684, qui Pontifex multas dedit literas ad Germaniae Principes Praesulesque, ut Institutum protegerent, late propagarent. Hanc Venerabilis Sacerdotis Regulam amplissime laudant et inculcant Pius' IX et Leo XIII, feliciter regnans ; alter per Breve *diei 17 Maii 1875* datum Superiori associationis Sacerdotalis Dioecesis de *N* ***a*** *mar* Belgicae ; alter per Breve *diei 31 Maii 1880,* datum Praesidi « Unionis Apostolicae » in Gallia quae Associationes in citatis Literis commendatae Instituti V. Holzhauser scopo proxime inserviunt.

Instituti Regula exposcit ut Sacerdotes communem agant vitam, *saltem, tres* in qualibet Domo commorantes. Admit-

tuntur non per professionem votorum simplicium aut solemnium, sed per iuramentum, a solo Romano Pontifice relaxandum, quo promittunt, usque ad mortem, in Instituto permansuros. Obedire debent quoad internam disciplinam Superiori Instituti ; quoad propria particularia munera Episcopo; a quo nulla fruuntur exemptione. Quaeque familia habet suum patrimonium coalescens ex emolumentis perceptis a singulo Sacerdote, *vi sui officii* aut tituli Sacerdotalis, cuiuscumque generis sit ; quos reditus tenentur confratres in communem capsam referre. Alia vero bona *privata civilia,* quisque pro suo arbitrio administrat et aliénât. Imo cautum est, consanguineos et propinquos Sacerdotis, in casu necessitatis, subveniri etiam per reditus Instituti, quando his alia non suppetant bona sacerdotis propria. Munia vero parochialia et cetera cuiusque generis, explentur respective ab eo, qui habet illius officii titulum, aliis confratribus auxilium praebentibus, prouti res expostulet. Praeterea Institutum maiores adhibet sollicitudines ut presbyteris infirmis aut senibus vel aliunde a suo munere exercendo impeditis ea omnia praesto sint suapte natura accommoda ad animum et corpus sublevandum. Exinde patet quam iure merito hanc Regulam Summi Pontifices summis laudibus prosecuti sint, eamque exoptent quaquaversus propagatam iri.

Quantum vero vita communis ad corrigendos clericorum malos mores, bonosque conservandos conducat, neminem latet. Hac de causa Gregorius VII pro reformanda Sacerdotum vita in ea omnium corruptissima aetate, aliud efficacius medium adinvenire non potuit quam praescribere vitam clericis communem, prouti decrevit in cap. 9 *De Vita et honestate clericorum Lib. III ;* praescribens « Statuimus ut facultatibus Ecclesiarum, proventibus et expensis diligenter inspectis, certum in eis valeatis ponere numerum clericorum et statuere, ut bona eorum veniant in commune, in una domo vescantur atque sub uno tecto dormiant et quiescant. Si qui vero contradictores extiterint, licitum vobis sit ner suspensionem officii et beneficii aut graviori etiam

poena, si opus fuerit, ad hanc observantiam eos, appellatione non obstante compellere. » Summus Pontifex haec iubens, vestigiis inhaerebat antiquioris Ecclesiae disciplinae, ex qua clerici et Monachi veluti unum ordinem constituebant, ob communis vitae institutum etiam a clericis frequentatum, cuius regulae eximii propagatores extiterunt D. Augustinus et Eusebius Vercellensis pro Occidente.

Speciali vero recordatione dignum est Gregorii Magni praeceptum, quo Divum Augustinum, Angliae Apostolum, iussit clericos ita constituere ea in Ecclesia, ut omnes, more Monachorum, vitam agerent communem, prouti tradit Beda *I. 1, c. 27* apud Thomassinum *Vetus et Nova Ecclesiae Disciplina, Lib. III, c. V, n. 7,* qui auctor in hoc L. III, multa affert huius antiquioris disciplinae monumenta.

Sed ex adverso Episcopi desiderio, sane magnopere laudando, non pauca obstare videntur. In primis vigens, ex iure communi, Ecclesiae disciplina clericis saecularibus permittit apud suos morari iis tantummodo prohibita cohabitatione cum mulieribus de incontinentia suspectis, ut praecipit Titulus II lib. III *De cohabitatione clericorum et mulierum.* Imo celeberrimus est canon concilii Nicaeni Primi, prohibens clericis domi habere feminas *subintro ductas* seu suspectas, uti eruditi exponunt. Nec bonorum communio, ex iure communi, clericis praecipitur quum in Titulo 25 *De Peculio clericorum* Lib. III praescribatur quomodo Beneficiarius et Ecclesiae Rector debeat ecclesiasticos reditus administrare, quo pacto impendere, quosve in suum usum convertere.

Proinde Episcopus qui iure communi superior non est, non videtur posse, contra eiusdem praescriptionem, clericos cogere ad vitae communis rationem instaurandam.

Ad haec, ex huiusmodi constitutione forsan duo graviora incommoda oriri possent. *Primum* quod clerici ad vitandum vitae communis onus clericalem militiam desererent aut redigerent. *Secundo* etsi obsequerentur Episcopi mandatis, valde timendum esset, ne Institutum exinde vergeret in supre-

mam ruinam. Nam huiusmodi Instituta florent et vigescunt, si alumni, Deo adspirante et magno animi ardore Regulam amplectantur ; at corrumpuntur et tabescunt quando non Divinus afflatus, sed humana argumenta ad huius generis vitam alliciant. Quare sapientissime canones reformationem Institutorum vitae Religiosae aggrediuntur praecipiendo et ea vendo, hi arceantur, prohibeantur qui non a Deo vocantur, sed a lege carnis vel sanguinis.

Decretalis citata Greg. VII decernit de Canonicis qui vitam communem apud Ecclesiam cathedralem agere debebant. Alia vero historica documenta non pertinent ad ius commune, sed referunt tentamina introducendi vitam communem in clero, quod tamen obtineri haud potuit.

Insuper deordinationis in Dioecesi videretur esse fons, ista distinctio quae fit ab Episcopo inter clericos *titulo patrimonii* ordinatos et ceteros ; obligans ad vitam communem tantum clericos ordinatos titulo *patrimonii sacri* in beneficium parochiale ; adeo ut ditiores clerici uberiorem vitam agerent cum aliorum clericorum aemulatione et fidelium scandalo.

Quare in negotio tanti momenti caute procedendum videtur, uti inculcant ipsa *Brevia* Pii IX et Leonis XIII, quem Deus diu sospitem servet. Nam haec laudant spiritum, intentionem Instituti Venerabilis Holzhauser, quod late propagari in votis habent. Sed interim pressius inculcant alias affines clericorum associationes, veluti « *Unionem Apostolicam* » quae habet pro scopo arctiori vinculo piae fraternitatis, mutuae exhortationis, mutuique auxilii inter se Sacerdotes constringere et consociare, *ad divinam legem complendam, alter alterius onera portantes seque mutuo exhortantes,* iuxta Apostoli praecepta.

Quum vero Episcopus testetur, se habere in Dioecesi ad minus decem Sacerdotes iam paratos ad amplectendum V. Holzhäuser Institutum, enixius videtur exhortandus, ut per pios presbyteros fundamenta Instituti iaceat, quod in excelsum aedificium excrescet si fundatorum exempla late et mire splendescant. Namque homines ad perfectionem debent exem-

plis et amore pertrahi et allici ; sed legibus cogi non possunt. Eo magis quod pio et prudenti Episcopo media deficere non videntur, quibus *suaviter* et *fortiter* hanc vivendi rationem ita reddat fructuosam, dulcem eamque commodam ut vehementer omnes invitet.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 29 Ianuarii 1895 censuit respondere : *Ad propositam vitam communem clericos posse allici* sed non urgeri.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL

CENTUMCELLARUM

PRAECEDENTIAE

Die 15 Martii 1895.

COMPENDIUM PACTI. In civitate Centumcellarum duo inter alios extant Conventus quorum unus ad Ordinem Minorum Observantium, et alter ad Ordinem Capuccinorum pertinet. Inter hos duos Conventus nonnullae exarserant contentiones occasione processionum, associationum funebrium aliarumque publicarum functionum. Capucinis asserentibus sibi spectare praecedentiam, ratione anterioritatis fundationis eorum Conventus, supra Minores observantes, hi e contra praetendebant praecedere semper debere Capuccinis ratione tituli paternitatis, nam eorum fundator P. Mathaeus de Basci erat de Ord. Minor. Observ.

P. Guardianus Observant, post varias et inutiles factas protestationes, ad removendum omne dissidium inter duas religiosas familias die 14 Iunii 1892 exoravit Episcopum localem, ut dignaretur hoc negotium componere utendo facul-

tate sibi tributa a Conc. Trid. sess. 25, cap. 13 de ReguL Episcopus ad se Capucinorum Guardianum arcessivit, qui Ordinarii ingerentiam in eiusmodi causa declinans declaravit velle controversiam resolvi per iudicium supremum S. Congregationis, ad quam proinde partes suas allegationes remiserunt.

Disceptatio Synoptica

IURA MINOR. OBSERVANTIUM. P. Minister Generalis Ord. Minor. Observ. suam allegationem in duas partes dispescit, in quarum prima inquirit de regula seu principio generali iuridico, iuxta quod quaestiones de praecedentia inter Observantes et Capuccinos resolvi debent, in altera disserit de proposito casu particulari.

Quoad primum adnotat quod omnes praecedentiae quaestiones regulantur principio - *Pt aecedentia debetur digniori* - cum autem maioris vel minoris dignitatis tituli varii esse possint, hinc varia Romanarum Congregationum responsa; quae, si penitus res inspiciatur, non sibi contradicunt, sed potius conveniunt ad statuendam regulam generalem pro resol vendis huiusmodi quaestionibus.

Sane Gregorius XIII in sua Const. *Exposcit Pastoralis* diei 25 Iulii 1583 ad praecidendas controversias inter fratres Mendicantes in materia praecedentiae haec statuit : *Qui in quasi possessione praecedentiae ac iuris praecedendi sunt positi, ii in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant. Et quando non probetur aut non constet de quasi possessione praecedentiae huiusmodi, ii qui antiquiores sunt in loco controversiae praecedere debeant.* Hinc iuxta Bullam duo tituli prae oculis haberi debent pro resolvendis quaestionibus circa praecedentiam ita gradu distincti, ut primo attendatur possessio, vel quasi possessio et deinde maior antiquitas fundationis in loco controversiae.

At, pergit Minister Generalis, haec Constitutio quoad secundum titulum applicari non potest quando Capuccini agunt contra Observantes : et refert Ricciotti *de Iure Regul.*

pag. 371 : Praelaudata Constitutio Gregoriana de Ordinibus inter se diversis et distinctis est intelligenda veluti sunt Ordinis Conventualium, Carmelitarum etc., non vero de his Ordinibus, quorum unus originem ab altero ducit, sicuti est Capuccinorum familia ab illa Observantium promanans tamquam filia a matre. Quamobrem haec S. RR. C. in quaestionibus de praecedentia definiendis inter Capuccinos et Observantes respectu primitivae institutionis et qualitatis filiationis aliam viam inivit ac tenuit: et quin illi Pontificiae Constitutioni aliquid detraheret in ipsa praedictum casum non includi declaravit. Hinc mihi videtur Capuccinos illius Constitutionis perfugio excludi dum agunt contra Observantes ; quia Constitutio ipsa de anterioritate Conventus non intrat dum contenditur inter Observantes et Capuccinos qui sunt illorum filiales. Cui concinit Card. de Luca in adnotat, ad Conc. Trid. sess. 25 de Regul. cap. 13.

Hanc doctrinam deinde dicit formiter admissam fuisse a S. R. Congr. in una Ampurien. diei 26 Nov. 1678, quae ita sonat : *Praecedentiam deberi fratribus Minor. Observantibus; ex quo Observantes sunt priores ordine qualitatis et approbationis Apostolicae et Capuccini, licet priores in fundatione in eodem loco, sunt tamen filiales ex eadem religione Observantium et longe posteriores in approbatione Apostolica, quo in casu non intrat Bulla Gregoriana de anterioritate Conventus in eodem loco.* Igitur non anteriontas fundationis Conventus, sed prioritas institutionis et approbationis Apostolicae spectari debent. In allata decisione insistit nedum quia approbata fuit in forma specifica ab Innoc. XI in suo Brevi *Nuper a Congregatione* 16 Ian. 1679, sed etiam quia aliae resolutiones eidem conformes a praefata Congregatione prodiere. Uti est *Conversanen.* 27 Feb. 1847, et *Assisien.* 21 Febr. 1856.

Ex quo deducit quod decretum Ampuriense a S. R. C. retentum est ceu regula ad dirimendas quaestiones praecedentiae inter Capuccinos et Observantes.

Hoc principio firmato Minister Generalis expendit prae-

cipuas ex adverso difficultates : et primo quoad obiectum quod Capuccini in Bulla Urbani VIII appellantur filii ex non interrupta linea s. Francisci, respondet quod hoc verum est in quantum ipsi Regulam Franciscalem profitentur : sed hoc non excludit eorum originem et filiationem ab Observantibus, cum hoc sit factum historicum. Et quod ita Constitutio sit intelligenda patet ex decreto Ampuriensi posteriori praefatae Bullae et eam quodammodo interpretanti.

Neque regeras decretum Ampuriense intelligendum esse de casu particulari, hoc enim contradicitur ab ipso tenore decreti : nam illa verba *quo casu* sunt relativa ad verba immediate praecedentia enunciantia principium generale de filiatione et in hoc casu traditur quod titulus filiationis et non anterioritatis fundationis conventus attendatur. Deinde Minister Generalis enititur explicare decisiones Congregationis Rituum quas Capuccini afferunt in contrarium : ipse notat quod titulus filiationis praevalet quando opponitur titulo anterioritatis fundationis conventus iuxta decretum Ampuriense, non vero quando opponitur titulo possessionis, quo in casu valet Constitutio Gregoriana; hinc nil mirum si in Barensi diei 25 Septembris 1688 et in altera Potentina an. 1695 praecedentia adiudicata est Capuccinis supra Observantes r decisionem Venafrensem an. 1858 ita enucleat: Capuccini sibi praetendebant praecedentiam nixi titulo possessionis et anterioritatis fundationis : Observantes nixi decreto Ampuriensi contendebant sibi semper praecedentiam deberi et non curarunt refutare oppositum titulum possessionis et sic causa ceciderunt.

Hinc concludit allatas in contrarium decisiones non esse derogatorias decreti Ampuriensis, sed potius constantem applicationem in quaestionibus praecedentiae inter Capuccinos et Observantes duorum titulorum possessionis et filiationis, qui titulus filiationis nedum a decreto Ampuriensi, sed etiam a Sede Apostolica est recognitus ut probatur Bulla Benedicti XIII *Pastoralis officii*, quae statuit Observantes praecedentiam habere super Reformatos ab ipsis descendentes

nidia ratione habita antiquitatis Conventuum. Haec iuxta Ministrum Generalem clara sunt, tamen ad omnem viam quaestionibus praecludendam invocat declarationem auctoritati vam S. Sedis, quae tamquam regula habeatur in futurum.

Descendens autem ad propositam speciem Centumcellarum, sustinet nullimode adiudicari posse Capuccinis illius loci praecedentiam super Observantes, sed in sua plenitudine esse applicandum titulum filiationis. Sane Capuccini nequeunt invocare titulum possessionis, neque ante, neque post fundationem Conventus Observantium : non ante, nam tunc Capuccini erant soli, et non extantibus Observantibus praecedere non poterant : non post constitutionem Conventus Observ. quia Observantes semper protestati sunt, proindeque possessio invocata non est pacifica. Demum Minister Generalis utitur alio argumento quod ita se habet. Iuxta varia decreta in districtu Urbis qui iuxta Card. de Luca Relat. Rom. Cur. Diseurs. 37 et alios doctores se extendit ad 40 millia, inter regulares in praecedentia is ordo servari debet qui servatur Romae : ita edicitur in Mantuana S. Congr. Episc, et Reg. diei 30 Martii 1593. *Ad componendas lites inter Regulares super praecedentia in processionibus is situs et ordo inter contr over tentes servari debeat, qui in Alma Urbe quae est omnium caput et magistra, servari consuevit et actu servatur. Et est quod praecedant Regulares illi, quorum Ordo prius approbatus fuit a S. Apostolica ; non obstantibus Brevi et declaratione Gregorii XIII diei 25 Iulii 1583;* idem sancitum esse duobus decretis S. RR. C. refert *Lantusca Theatr.* Regul. pag. 470; idem habet Synod. Albanensis an. 1886 *in art. V de processionibus : Religiosae familiae in processionibus publicis eum inter se praecedentiae Ordinem in nostra dioecesi servare debent* quem servant in Urbe (S. R. C. 2 Martii 1613) neque hic locum sibi vindicant Const. Gregorii XIII 25 Iulii 1583 et Urbani VIII 18 Dec. 1639.* His decretis adhaerens Emus Parocchi Episc. Albanensis an. 1893 resolvebat quaestionem de praecedentia exortam inter Capuccinos Albanenses et Minor. Observantes de Palazzuolo et Re-

formatos Oppidi Castelgandolfo contra Capuccinos ceu patet ex uteris ipsius Emi 1 Decembris 1893 ad P. Procuratorem Generalem Capuccinorum.

Atqui subdit Minister Generalis Civitatis Centumcellarum est in districtu Urbis, nam non plus distat ab Urbe quam 30 millia, et dein adnotari debet quod usque ad annum 1825 erat incorporata dioecesi Portuensi. Ergo inter regulares huius civitatis is Ordo servandus, qui servatur in alma Urbe, nempe Observantes praecedentiam habere debent super Capuccinos.

IURA CAPUCCINORUM. Aliter vero sentiunt P. Capuccini qui oppositum filiationis titulum undequaque impugnant : et primo illustris "Wadingi verba referunt: *Eiusdem Parentis filii sunt Observantes et Capuccini, eiusdem regulae professores ; fratres sunt si non gemelli saltem germani, eadem excisi petra, eodem utero pro geniti.* Profecto intelligi nequit quomodo frater dici possit progenitus a fratre. Deinde recolunt quod ipsi usque ab initio independentes fuere omnino ab Observantibus, licet fuerint quoad electionem Generalis subiecti Conventualibus usque ad Paulum V, qui declaravit eos omnino autonomos, *esse vere Fratres Minores ac etiam filios S. Francisci,* et concessit privilegium sub propria cruce incedendi ad formam Constitutionis Gregorii XIII *Exposcit.* Hoc expressius firmatum fuit a Bulla Urbani VIII 28 Iun. 1627 in qua *considerans Capuccinorum originem esse cum effectu computandam a tempore primaevae et originalis institutionis Regulae Seraphicae... declaravit eos fuisse et esse ex vera et numquam interrupta linea veros et indubitatos fratres Ordinis S. Francisci.* Cum igitur ex allatis iuribus exulet praetensus titulus filiationis, Capuccini concludunt omnino standum esse Gregorianae Constitutioni *Exposcit,* editae praecise ad dirimendas controversias praecedentiae inter Regulares Mendicantes.

Quoad obiectum decretum Ampuriense Capuccini ita se expediunt. I°. Prae tensa filiatio non constituit partem dispositivam ipsius, sed simplex motivum : atqui est notum *quod ratio legis non cadit sub lege,* et quod leges firmantur vo-

limiate et non intellectu ; sed et 2°. neque potest constituere rationem decidendi, quia ipsius inexistentia constat ex historia et ex oraculis Pontificiis.

Hinc nil mirum, subdunt Capuccini, si postea S. R. C. recessit a motivis allegatis in decreto Ampuriensi et quaestiones resolvit ad tramitem Bullae Gregorianae uti patet ex decisione Barensi 1688, et Potentina 1695 in quibus praecedentia Capuccinis assignata fuit in contradictorio cum Observantibus, et praesertim ex Venafrana 14 Augusti 1858, in qua Observantibus praecedentiam reclamantibus ex titulo praetenso filiationis Capuccini victores evaserunt allegantes possessionem et anterioritatem fundationis Conventus.

Ad oppositam decisionem *Conversanen.* diei 27 Febr. 1847 Capuccini observant quod praecedentia Observantibus supra ipsos tributa fuit, non ex pluries refutato titulo filiationis, sed quia possessio ex iuridicis probationibus constabat favore Observantium. Deinde mirantur quomodo Observantes possint in sui favorem allegare decisionem Emi Episcopi Albanensis et eos carpunt tamquam male informatus in hoc negotio : nam cum post hanc decisionem mere provisoriam animadvertissent Capuccini quod Constitutiones synodales applicandae erant tantum Regularibus *eiusdem loci seu territorii*, in vocarunt decretum S. C. Episc, et Reg. diei 10 Sept. 1784 iuxta quod Emus Episcopus suam decisionem edidit : decretum autem ita sonat : *Competere religiosis Capuccinis et Conventualibus Albani praecedentiam supra Observantes et Refórmalos Conventuum extra territorium dictae civitatis.* Ergo, dicunt Capuccini, S. Congregatio reiecit paternitatem Observantium et praetensus filiationis titulus in tenues resolvitur auras.

Demonstrato quod omnes quaestiones praecedentiae inter Regulares Mendicantes resolvi exclusive debent ad tramitem Gregorianae Constitutionis, Capuccini progrediuntur ad propositum casum Centumcellarum et dicunt sibi competere praecedentiam ex duplici titulo, nempe anterioritatis fundationis Conventus, et possessionis. Ipsi enim suum formalem

Conventum habent usque ab an. 1712 dum institutio Conventus Observantium suam originem trahit ab anno 1863 ; proinde Conventus Capuccinorum in civitate Centumcellarum antiquior est. Item Capuccini publicis processionibus adfuerunt a fundatione Conventus usque ad praesens, et in concursu Observantium supra hos praecedentiam obtinuerunt; neque haec praecedendi possessio haberi potest ceu illegitima et non pacifica, ut vellent Observantes, quia protestationes extiterunt, nam respondent Capuccini, ut hae suum consequantur effectum, debent esse emissae formis legalibus, quod cum non contigerit, eorum possessio ceu legitima et pacifica est retinenda.

Hisce utrinque compendiose relatis ad

Dubia

I. *An admissa iuxta Btdlam Gregorianam praevalentia tituli possessionis vel quasi possessionis praecedentiae et iuris praecedendi, quando non probetur vel non constet de possessione vel quasi possessione, admitti debeat titulus filiationis iuxta decretum Ampuriense, vel titulus anterioritatis fundationis Conventus, uti volunt P. Capuccini?*

II. *An in processionibus aliisque sacris functionibus praecedere debeant Minores Observantes, vel P. Capuccini in casu?*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Episc, et Reg. re discussa sub die 15 Martii 1895 respondit: Ad I. *Non esse interloquendi^.* Ad II. *Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. In controversiis praecedentiae inter religiosos Mendicantes primo attendendam esse possessionem vel quasi possessionem praecedendi ; hic enim potior et principalis titulus est, cui alii subsunt.

II. At, hoc exulante, quando insimul concurrunt titulus anterioritatis Conventus et titulus filiationis vel prioritatis approbationis Apostolicae, ut supra discussum est, quinam ex hisce praevalere debeat, adhuc controversum manere cum S. Congregatio prudentius duxerit non esse interloquendum.

III. Ex decisione casus particularis Centumcellarum nihil deduci posse pro resolutione quaestionis generalis, cum non innotescat ratio decidendi S. Congregationis ; et si adhuc innotescunt, nihil conferre posset, cum ratio legis non cadat sub lege: proindeque

IV. Sicuti in praeteritum ita et in futurum in resol vendis quaestionibus praecedentiae inter Regulares attendendae esse Constitutionem Gregorianam, decretum Ampuriense aliasque Romanarum Congregationum decisiones.

SPOLETANA

SENTENTIAE

Die 5 Aprilis 1895.

COMPENDIUM FACTI. Ne damnum in spirituali administratione pateretur paroecia S. Petri Apost, *extra moenia* Civitatis Spoletanae, eius Priore parocho Antonio Campi fere per totum annum in suo oppido natali Morgnano residente, quod a praefata paroecia 4 vel 5 chilometra distat, Archiepiscopus Spoletanus deputavit tamquam cappellanum vel Vicarium sacerdotem Clitum Cardinali, promissa aequa mercede, suo tempore solvenda. In commisso munere Cardinali permansit fere per 4 annos, nempe ab an. 1884 usque ad annum 1888, ipso parocho assentiente : quin imo alia vice an. 1889 ab Archiepiscopo missus fuit ad subrogandum iterum absentem parochum, congruo pariter desponso stipendio.

Cum depactas mercedes Prior Campi persolvere detrectaret , praetexens eas ab Archiepiscopo deberi, exhaustis omnibus mediis ad suum ius obtinendum, sacerdos Cardinali necesse habuit expostulare auctoritatem S. C. EE. et RR. quae Archiepiscopum delegavit ad hanc controversiam definiendam etiam in contumacia' partis.

Et reapse an. 1894 die 31 Augusti, habitis prius hinc inde deductionibus, sententiam tulit, vi cuius Prior Campi damna-

batur ad persolvendas libellas 250 favore actoris Cardinali ob spirituale servitium ab hoc praestitum in paroecia S. Petri Ap. tempore absentiae titularis. Ab hac sententia appellavit Prior Campi petens ipsius nullitatem declarari, vel sin minus ut revocaretur in omnibus eius partibus. Interim sacerdos Cardinali novo oblato recursu expetivit a S. Congregatione, ut adversarius damnaretur ad integram a se expostulatam summam libel. 300 in priori iudicio ob damnum sibi allatum ex dilatione solutionis sui crediti.

Disceptatio synoptica

IURA PRIORIS PAROCHI. Procurator Prioris Campi 1°. impetit de nullitate sententiam Archiepiscopi ita disserens : sacerdos Cardinali ad supplendam absentiam parochi fuit deputatus non a parocho, sed ab Archiepiscopo; hic stipendium promisit, non Prior Campi, qui fuit deputationi extraneus imo inscius: proinde cum sacerdos Cardinali nulla actione gaudere possit contra parochum, sed tantum promissum stipendium reclamare ab Archiepiscopo, sponte sua fluit impugnatam sententiam, quae admittit Cardinali actionem contra parochum per se nullam esse.

Alterum nullitatis vitium Procurator contendit in eo consistere, quod iudex qui tulit sententiam erat etiam pars in controversia ; Archiepiscopus in hoc iudicio functus fuit munere Praesidentis et sententia eius nomine prodiit : iam vero hoc dicit fuisse maxime abnorme et absurdum, siquidem cum Archiepiscopus deputaverit sacerdotem Cardinali ad supplendas functiones paroeciales, congrua depacta mercede, maximum interesse habebat ad damnandum parochum Campi.

Sed pergit Procurator : sententia Archiepiscopi nedum est nulla sed 2°. etiam iniusta et hinc revocanda. Prior Campi suae absentiae precariae et *intermittenti* iam consuluerat relinquendo tamquam Vicarium vel supplentem Ezzelinum Inghes parochum proximi vici Rubbiano : quomodo ergo, clamat Procurator, alius ab Archiepiscopo substitui poterat

parocho inaudito? profecto si novum Vicarium statuere expediens vel necessarium putasset Archiepiscopus, parochus monendus erat: quod cum non fecerit, aequum est ut Archiepiscopus sui erroris ferat consequentias.

Tandem Procurator observat quod sacerdoti Inghes iam congrua merces repensa fuit, uti constat ex ipsius acceptilationibus : sed sententia Archiepiscopalis damnat Priorem Campi ad solvendas sacer. Cardinali libellas 250; ergo parochus duplicem expensam solvere cogeretur, quod iniquum et iniustum est, iuxta Procuratorem.

IURA SACERDOTIS CARDINALI. Aliter vero sentit sacerdos Cardinali in sua allegatione. In primis advertit nullimode a Priore Campi denegari posse ipsum per 4 et amplius annos munus Vice-parochi exercuisse in paroecia S. Petri; et hoc inter alia probat adnotatione obituum parochianorum ab Aprile an. 1884 usque ad Martium 1888, quibus ipse adstitit in paroecia S. Petri : hoc praemisso contendit iure merito ipsum delegatum fuisse ab Archiepiscopo Spoletano ad supplendum absentem parochum Campi : siquidem neminem fugere potest quod disponit Conc. Trid. *sess. 6 cap. 2* de Reformat,* nempe Episcopum *tamquam S. Apostolicae delegatum providere debere absentem parochum de idoneo Vicario, congrua portione fructuum assignata.*

Quin aliquid proficiat Prior Campi aiendo quod ipse iam statuerat suum Vicarium in persona sacerdotis Inghes, nam respondet Cardinali quod constitutio Vicarii probari debet ab Ordinario uti expresse tradit *Barbosa de officio et potestate parochi par. 1, cap. 8, n. 52,* ibi: « Nullo modo potest parochus Vicarium seu substitutum etiam idoneum et admissum in illo Episcopatu pro administratione Sacramentorum relinquere ad longum tempus, inconsulto Episcopo, nam dicitur in Concilio Tridentino : *Vicarium idoneum relinquat ab Ordinario probandum'».* At Vicarius Inghes constitutus fuerat a parocho Campi *inconsulto Episcopo.*

Deinde sacerdos Cardinali singillatim oggesta ab adversa parte confutat: et primo argumentum de carentia actionis

diluii observando, quod Prior Campi iam actionem ad mercedem habendam in sac. Cardinali admiserat, quando sibi obtulit pro munere exercito libellas 50 quas ipse respuit utpote quia non erant compensatio proportionata ; item inutili labore dicit carpi de nullitate sententiam Archiepiscopalem utpote latam a iudice et parte quando in comperto est Archiepiscopum delegatum fuisse ab ipsa S. C. Episc, et Reg. ad hanc controversiam decidendam *in primo iurisdictionis gradu.*

Tandem sacerdos Cardinali reiicit argumentum de duplici mercede invocatum a Priore Campi in casu quo cogeretur ad solvendam petitam summam libellarum tercentum, ipsum revincens de aperto mendacio, nam ex scripta et iurata declaratione sacerdotis Inghes resultat ipsum nihil, titulo compensationis a Priore Campi accepisse, quamvis ei decem libellae menstruae promissae fuissent.

Hisce utrimque per summa capita delibatis ad suppositum

Dubium

An et quomodo confirmanda vel revocanda sit sententia Curiae Archiepiscopalis Spoletanae diei 31 Augusti 1894 in casu?

RESOLUTIO. S. Congreg. Episc, et Regul. causa sub die 5 Aprilis 1895 discussa, rescripsit: *Confirmandam esse pro summa libellarum ter centum, solvenda a Priore parocho Campi infra mensem, sub poena suspensionis a divinis, ipso facto incurrenda, et amplius.*

COLLEN.

CANONICATUS

Die 5 Aprilis 1895.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum insignis Collegiatae S. Geminiani dioecesis Collensis variis a Romanis Pontificibus

decoratum privilegiis inter quae illud conferendi ad exclusionem Ordinarii omnia beneficia tam simplicia quam curata dicti oppidi, et expediendi Bullas ceu refertur in Brevi Innocentii XL 4 Aprilis 1695, ante leges eversivas proprietatis ecclesiasticae constabat, praeter Archidiaconum, 12 canonicis et 24 cappellanis. Nefastis editis legibus hoc Capitulum, ad instar aliorum in Italia, sensim sine sensu imminui coepit, ita ut an. 1888 ex duodecim canonicis titularibus dumtaxat 4 superessent.

Ad occurrendum huic malo et aliquatenus decori cultus et ss. functionum consulendum sacerdos Canutus Canuti proposuit Capitulo proprio aere iterum instaurare dotem unius ex canonicatibus titularibus suppressis, sub conditione tamen ut ipse primum investiretur. Libenter Capitulum, habito etiam ad hoc Episcopi consensu, oblationem acceptavit ; praemissoque de hoc negotio capitulari conventu die 11 Ianuarii 1889, die 21 eiusdem mensis solemnis conventio scripto redacta fuit, cui ipse Episcopus subscripsit.

Ex una parte sacerdos Canuti sese obligabat quamprimum ad deponendum apud auctoritatem Capitularem libellas 200, principium maioris summae quam novus Canonicus annua traditione redituum Capitularium sibi spectantium compleret usque dum haberentur 1000 libellae cespes statutus pro instaurato canonicatu.

Ex altera Capitulum ipso Episcopo assentiente, uti dictum est, declarabat ex tunc recipere et habere ceu canonicum titularem sac. Canuti. In executionem huius contractus Capitulum ceu inferior collator in vim Apostolicorum privilegiorum die 29 praefati mensis ipsi contulit solemni investitura in aula Capitulari canonicatum vacantem usque ab an. 1883 ob mortem titularis canonici Ducei et more consueto expeditis Bullis infra eamdem diem canonicus Canuti possessionem cepit.

Capitulum ingressus, primum ceu adiutor canonico Curato Cannicci iam seni et deinde an. 1890 ceu unus ex duobus canonicis curatis ius parrochiale collectivum exer-

centibus, curam animarum concreditam habuit, reportato ad hoc idoneitatis testimonio ab Ordinario.

Interea an. 1892 Episcopo defuncto in eius locum suffectus fuit actualis Episcopus Alexander Toti : hic autem renuit habere sacerdotem Canuti tamquam canonicum contendens canonicatus erectionem nullam esse, eique interdixit usum et exercitium iuris canonicalis. Aegre id tulit sacerdos Canuti qui proinde recursum habuit ad S. Congregationem Episcop. et Regul. Haec origo praesentis quaestionis, quae prius remissa pro solutione ad tribunal Metropolitanum, hoc declinante iudicium, iterum redit ad praefatam S. Congregationem.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO EPISCOPI. Episcopus primum sustinet nullitatem canonicatus Canuti evidenter patere ex defectu actus erectionis canonicae eiusdem : quin aliquid relevet quod ex adverso obiicitur, hunc actum non fuisse necessarium quia res erat non de novo instituendo canonicatu, sed simpliciter de restituenda dote canonicatus iam existentis et tantum civiliter suppressi, vacati per obitum canonici Ducei. Nam, respondit Episcopus, verum quidem est quod eiusmodi canonicatus coram ecclesia adhuc existit, sed etiam pariter verum est quod nullus actus vel syngrapha extet quod probet eiusdem canonicatus dotis restitutionem ; neque huius locum tenere potest conventio diei 21 Ianuarii 1889, nam in ea non agitur de instauratione dotis Canonicatus a Ducei possessi, sed tantum de promissione fundan di novum canonicatum, quod adeo verum esse dicit, ut sacerdos Canuti non dubitaverit cedere novi canonicatus iuspatronatus post mortem suam favore Capituli Geminiani.

Hinc Episcopus concludit vel canonicatus de quo fuit investitus sacerdos Canuti, est canonicatus possessus a defuncto Ducei et tunc investitura est nulla, quia in conventione non actum fuit de huius canonicatus praebendae restitutione, vel est novus canonicatus a Canuti institutus et

pariter investitura est nulìa, quia ad tramites ss. canonum canonicatus erectio non fuit peracta. Ergo in utroque casu electio in canonicum sac. Canuti est evidenter nulla.

Sed demus, pergit Episcopus, quod praefata conventio spectari possit ceu actus erectionis vel restaurationis dotis canonicatus, non ideo aliquid proficeret sacerdos Canuti ; nam haec conventio facta fuit sub conditione quod sacerdos Canuti solveret libellas 1000. Atqui huic conditioni ipse non satisfecit, siquidem solum 200 libellas persolvit ; ergo inutiliter sacerdos Canuti, iuxta Episcopum, appellat ad hanc conventionem ; quin aliquid relevet quod dictus sacerdos reliquam summam libellar. 800 iam deposuerit apud Arcam Parsimoniae, nam respondet Episcopus, cum depositi syngrapha vel libellus sit nominativus praefata summa semper repeti poterit ad arbitrium deponentis, proinde hoc depositum nullam Capitulo praestare valet cautionem.

Demum Episcopus advertit, quod si S. Congregatio sacerdotem Canuti tamquam canonicum titularem effectivum retineret, ipse contra pii pastoralis ministerii officium cogeretur tollerare in oppido S. Geminiani parochum indignum hoc munere aliisque honoribus et privilegiis quibus S. Geminiani Collegiata decoratur.

DEFENSIO SACERDOTIS CANUTI. EX adverso huius patronus denegat necessitatem formalis decreti erectionis canonicae ; res enim erat non de fundatione novi canonicatus sed simpliciter de instauratione dotis unius ex canonicatibus civiliter suppressis, scilicet illius possessi a canonico Ducei; quod evidenter constare ait ex actibus in huiusmodi negotio secutis : primo itaque expendit conventionem diei 21 1889.

Scopus huius conventionis erat consulere decori cultus et sacris functionibus augendo aliquatenus numerum canonicorum : iam vero ad hoc obtinendum non erat necessarium novos fundare canonicatus cum Collegiata satis provisa esset canonicatibus a pietate maiorum quorum reditus per suppressionem abstulerat Gubernium : satis proinde erat ut hi reditus instaurarentur : ergo, concludit patronus, etiamsi

conventio esset ambigua, ita contigisse praesumendum esset, quia nemo praesumitur facere inutilia.

Sed, pergit patronus, verba conventionis clara sunt; ibi enim edicitur quod sacerdos Canuti decreverat redintegrare dotem sua pecunia pro uno ex canonicatibus suppressis : iam vero redintegrare dotem beneficii non est novum beneficium fundare, sed iam existenti et fundato dotem iterum statuere. Examinans autem Bullam collationis dicit ex ea evidenter apparere cuinam ex duodecim canonicatibus suppressis fuerit nova dos statuta, et reiicit difficultatem Episcopi quoad cessionem favore Capituli Iurispatronatus, factam a sacerdote Canuti, observando quod iuspatronatus iuxta cap. 9 sess. 25 de Refor. Concil. Trid. censuram, acquiritur nedum fundatione, sed etiam dotatione beneficii.

Hinc, concludit patronus, cum sacerdos Canuti non de novo fundaverit beneficium, sed solum dotem restituerit, et praecise canonicatui a Ducei possesso, adductus ab Episcopo defectus decreti erectionis canonicae nullatenus obstare valet ; aliunde haec dotis restitutio facta fuit nedum assentiente et acceptante Capitulo, sed etiam cum assensu et acceptatione Ordinarii : proindeque legitima fuit.

Post haec patronus transit ad refutandam difficultatem factam ab Episcopo de insolutione libellarum 800: dicit quod iuxta art. 1, 3 et 5 conventionis, pluries citatae, haec solutio locum habere debebat per retentionem annualium quotarum canonicalium in neocanonico Canuti faciendam a Proposito Collegiatae usque ad concurrentem summam libellarum 1000 statutam tamquam dotem pro canonicatu: haec conventionis lex ; hinc nulla obbligatio hanc summam illico solvendi. Nihilominus sacerdos Canuti, ut promptiorem sese exhiberet in compiendo cespite pro dote canonicatus, summam libellarum 800 deposuit in Arca parsimoniae Capitulo tradendam quandocumque ipsum voluisset. Insuper cum de huius summae insolutione ab Episcopo esset coargutus sacerdos Canuti, hic se promptum obtulit, duobus adstantibus testibus, ad eam solvendam Praeposito quam tamen recusa-

"vit. Hinc deducit patronus quod sacerdos Canuti suae promissioni fideliter satisfecit; et si solutio non habuit locum certe ei culpae non est adscribendum.

Tandem patronus quoad appictam indignitatem sacerdoti Canuti ad exercendum munus paroeciale, omisso quod haec Episcopi accusatio est nimis vaga et indeterminata, respondit, quod insimulatio destruitur ab ipsa ratione agendi Episcopi Collensis, qui sacerdotem Canuti instanter rogavit ad acceptandam paroeciam S. Bartholomaei de Tonni: deinde observat quod idoneitas ad paroeciam non est confundenda cum quaestione de validitate electionis in canonicum: de prima enim reservatur iudicium Episcopo, altera pendet a Capitulo; aliunde defensor in votis habet non ut sacerdos Canuti declaretur idoneus ad munus paroeciale, sed tantum ut retineatur verus et effecti vus canonicus Collegiatae S. Geminiani.

Hisce utrimque relatis, ad propositum

Dubium

An sacerdos Canuti habendus sit canonicus titularis effectibus Collegiatae S. Geminiani in casu?

RESOLUTIO. S. Congreg. Epis, et Regul. re discussa sub die 5 Aprilis 1895 rescribere censuit: *Affirmative* praefixo sac. Canuti termino unius mensis ad deponendum in capsa dioecesana dotem libellarum mille; et scribatur Episcopo ad, mentem...*

Ex HIS COLLIGES I°. Aliud esse beneficium de novo fundare, aliud beneficii iam existentis dotem restituere : pro primo requiritur formale decretum canonicae erectionis, nempe quod Episcopus vel Pontifex dotem acceptans officium sacrum designet et adnectat, pro secundo sufficit quod adfuerit simplex Episcopi consensus. II°. Ex facto quod quis in beneficio Iuspatronatus acquisierit non recte inferri illud-etiam fundasse, quia iuxta cap. 9 sess. 25 de Refor. Concil. Trid. ex simplici dotatione beneficii aut dotis redintegratione Ius-

patronatus potest quis adipisci. Proinde S. Congregatio non attendens in casu obiectum ab Episcopo Collensi defectum erectionis canonicae, resolvit sacerdotem Canuti esse verum canonicum titularem.

EX 8. CONGREG. INDULGENTIARUM

ORD. CARMELIT. EXCALCEAT.

Quoad materiam ex qua confici debent Scapularia.

Fr. Bernardinus a S. Theresia Praepositus Generalis Ord. Carmelit. Excalceat. huic S. Congni Indulgentiarum et Sac. Reliquiarum humiliter exponit, morem inolevisse conficiendi imponendique Christifidelibus scapularia ex lana subcoacta *(feutre, feltro)* et non contexta *(tissée, tessuta).* Nonnullis ergo dubium obörtum est, quod huic S. Congni solvendum proponitur, videlicet:

An Scapularia confecta non ex lana contexta, sed subcoacta Christifidelibus imponi possint, quin ipsi amittant Indulgentias gestantibus scapularia concessas?

Porro S. Coñgtio, audito etiam unius ex Consultoribus voto, proposito dubio respondendum censuit:

Negative, iuxta Decretum in una Urbis d. d. 18 Augusti 1868 ad dubium 2um quod in originali textu ita legitur: « Utrum vox « Pannus, Panniculus ab Auctoribus communiter usurpata « sumi debeat in sensu stricto i: e: de sola lanea textura pro- « prie dicta *(tessuto),* vel utrum etiam intelligi possit de lanea « textura reticulata *(lavoro di maglia, tricotage),* et de quocumque « laneo opere acu picto *(ricamo, broderie),* adhibito tamen semper « colore praescripto? — Resp.: *Affirmative* ad 1am partem: *nega- « Uve* ad 2am ».

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 6 Maii 1895

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO PRAEFECTUS.

L. & S. *f* A. ARCHIEP. NICOPOLITAN. *Secr.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM SANCTI MINIATI Beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Theophili a Curte Sacerdotis professi ord. Minorum S. Francisci de Observantia.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Usque adeo, virtutibus in exemplum excultis et charismatum supernorum praestantia, Venerabilis Theophilus inclaruit, ut, vel eius aspectu, ad pietatem homines passim componerentur. Qui enim, Apostolo singularem in modum obsequutus, *proximo placere in bonum ad aedificationem* sategerat, et maiora in dies *incrementa* protulerat *frugum iustitiae suae ;* eundem incolae Corsicae ubi Curte ortum habuit, Franciscalium Minorum familia cui nomen a teneris dedit, gentesque Etruriae, quam potissimum, caritate adactus, pervigili animarum zelo fecit illustrem, mirum sane quantum veneratione suspicerent et prosequerentur amore. Immo, fama ad ceteros etiam populos diffusa, Theophilum, dum vita adhuc suppeteret, Dei, nomine et re, amicum et Christi imaginem referentem certatim compellare, omnibus in more fuit. Nec defuere viri dignitate conspicua, qui eum cum Beato Thoma a Cora saepenumero conferrent, quem non modo sibi societate coniunctum et moribus similem, sed etiam laborum comitem et fortitudinis aemulum fuerat nactus. Nam, qua scelestis hominibus ad meliorem mentem revocatis, qua religiosis Recessibus christianae perfectioni arctius addictis, qua innumeris omne genus aerumnis invicto animo contemptis, id unum habuit in optatis, quo Ecclesiae dire tunc temporis lacessitae adiumento et solamini evaderet. Quod eiusmodi obtigit, ut caeleste quoque prodigiorum testimonium famuli Dei sanctitati fidem cummaxime comparasse diceretur. Haec vero opinio ut continenter succresceret et aleretur, mors ipsa fecit, quam, placidissimo exitu, in oppido Phiceclo magis magisque cumulatus meritis Venerabilis Theophilus oppetiit, xiv calendas iunias anno millesimo septingentésimo quadragesimo. Inoleverat siquidem magnamque fiduciam ingesserat sen-

tentia, nihil non expectandum a Deo, qui iure conceptam in servi sui suppetiis spem populorum, apud pretiosas praesertim eiusdem exuvias, haud paucis obfirmaverat miraculis. Quo factum, ut, ad virum merentissimum Beatorum honoribus augendum, vitae eximie actae monumentis in examen omnimoda, qua par erat, iudicii gravitate adductis, iis caussa proficeret auspiciis penes Sacram Rituum Congregationem, quibus permotus Pius VII, vix a triennio post quinquennale exilium, universo catholico nomine plaudente, ad Romanam Sedem redux, Venerabilem Theophilum illis accensendum, quorum virtutes heroicum adeptae sint fastigium, solemniter pronunciaverit, die nascenti Deiparae sacro, vi idus septembres anno millesimo octingentesimo decimo septimo. Ut autem, sanctimonia penitus adserta, veritas etiam enucleate vindicaretur prodigiorum, quae populi, eius opem et interventione apud Deum sibi advocantes, Theophilo tribuere non destiterant, disquisitionibus ad iuris normas feliciter initis, de binis speciatim miraculis, quadruplici actione rite confecta, est disceptatum. In comitiis nimirum antepraeparatoriis vi idus maias anno millesimo octingentesimo nonagésimo secundo habitis in Aedibus cl. me. Cardinalis Aloisii Serafini Causae Relatoris ; in duobus conventibus praeparatoriis ad Palatium Apostolicum Vaticanum coactis x calendas maias posteriore anno millesimo octingentesimo nonagésimo tertio; et deinceps, quaestione tutius instaurata, hoc vertente anno millesimo octingentesimo nonagésimo quinto XVIII calendas februarias ; ac demum in coetu generali coram Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII ad Vaticanum indicto, eodem anno postridie calendas apriles. Hac vero postrema in Congregatione Rmus Cardinalis Vincentius Vannutelli Causae Relator, in Cardinalis Serafini e vivis erepti locum suffectus, dubium ad discutiendum proposuit : *An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur ?* Atque omnes qui interfuere Rrni Cardinales ceterique Patres Consultores suffragium singuli ediderunt. Beatissimus vero Pontifex Maximus LEO XIII, quamvis Sui quid iudicii robore probaret, satis innuerit ; pro rei tamen pondere, a Patre luminum impensius, exoraturus divinae sapientiae praesidium, sententiam Sibi adhuc differendam censuit.

Hodierno autem die auspicatissimo, qui anniversariis solemnibus Christi in coelum adscendentis festus incidit, cunctan-

dum diutius non esse duxit, quin supremum testimonium accederet miraculis, ad causam provehendam allatis Venerabilis Theophili, qui singulari in Christi triumphos amore praestiterat; ut, non sine providentis Dei consilio, nostris hisce tempestatibus Fidei vel maxime infensis, novam miraculorum facem demirati ad coelestia animi vehementius assurgerent. Sacro igitur religiosissime peracto, hanc Vaticanam aulam adiit, solioque Pontificio assidens, Rmos Cardinales acciri iussit Caietanum Aloisi-Masella S. R. C. Praefectum, atque Vincentium Vannutelli Causae Ponentem, nec non R. P. Augustinum Caprara Fidei Promotorem, meque insimul infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus edixit: *Constare de duobus propositis miraculis;* scilicet de primo : *Instantaneae perfectaeque sanationis puellae Iosephae Aleati a diuturna coxalgia, gravissimis stipata symptomatibus;* atque de altero : *Instantaneae perfectaeque sanationis Francisci Tognetti ab inveterata paraplegia, e sclerotica myelitide orta.*

Hoc insuper Decretum evulgari et in S. R. C. acta referri mandavit, x calendas iunias anno millesimo octingentesimo nonagésimo quinto.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, & *R. C. Secretarius.*

MACAONEN. Dubia varia quoad missam pro defunctis, quoad festum SSmi. Cordis, aliaque.

Rmus Dnus Ioachimus de Medeiros, Episcopus Macaonensis, Ditionis Lusitanae apud Sinas, maxime cupiens ut sacri ritus in sua Dioecesi, iuxta ecclesiasticas praescriptiones ab omnibus serventur, insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter petiit, nimirum :

I. Utrum presbyter qui Missam conventualem de Octava Omnium Sanctorum die 2 Novembris celebrat, possit ex parte uti concessione a Benedicto Papa XIV facta Regno Lusitaniae dicendi *tres* Missas pro defunctis, *alias duas* Missas de Requie celebrando ?

II. Utrum occurrente *prima feria sexta* Novembris, die quo fit commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, liceat Mis-

sam votivam celebrare de Sanctissimo Corde Iesu iuxta decretum Sacrae Rituum Congregationis 28 Iunii 1889?

III. Et quatenus affirmative ad II. utrum eadem die apud Lusitanos liceat celebranti praedictam Missam votivam, duas alias de *Requie* celebrare?

IV. Utrum feria V in Coena Domini in Missa Pontificali Presbyter et Diaconi assistentes, Canonicus baculum sustinens pluviali paratus, et Subdiaconus, si sint Presbyteri stolam assumere debeant priusquam de manu Episcopi communionem accipiant; an potius ad Sacram Synaxim teneantur accedere iisdem tantum modo paramentis, quibus utebatur ab initio Missae?

V. Utrum festum SS. Cordis Iesu quod inter festa secundaria duplicia Primae classis in Calendario Universali ex Decreto 22 Augusti 1893 a Sacra Rituum Congregatione recensetur, quodque iamdiu apud Lusitanos ut primarium celebratur sub praecepto in utroque foro, addito etiam ieiunio pervigilii, nunc vi laudati Decreti celebrari debeat ut secundarium; an potius ut primarium in Lusitana Ditione retinendum sit?

VI. Utrum consuetudo, qua simplex Sacerdos vel Canonicus Missam solemnem celebrans, concionatorem, qui post Evangelium praedicat, benedicit, servari possit?

VII. Utrum Sacerdos qui festo Nativitatis Domini, vel die secunda Novembris in Lusitania, tres Missas consecutive legit, quin ab altari recedat, teneatur post unamquamque Missam recitare ter *Ave Maria, Salve Regina* et ceteras orationes iussu Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII recitandas post Missam privatam, an potius semel tantum post tertiam Missam?

VIII. Utrum in choro ad Psalmum *Venite exultemus,* recitandum in tertio Nocturno festi Epiphaniae Domini teneantur omnes etiam Canonici stare deiectis capitibus, dum praedictus Psalmus cum antiphona recitatur?

IX. Utrum occurrente Festo Annuntiationis Beatae Mariae Virginis feria VI in Parasceve vel Sabbato Sancto, in locis ubi hoc festum celebratur sub praecepto audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, transferri debeat ad feriam secundam post Dominicam in Albis cum praecepto etiam pro populo?

X. Utrum feria VI in Parasceve retineri possit consuetudo in adoratione Crucis, ut ille, qui adorationem peregit, non re-

cedat facta cruci genuflexione unico genu, sed ter genuflexionem faciendo utroque genu ?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac referente subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario, omnibus accurate perpensis, propositis Dubiis respondere censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad IL Negative, iuxta Rubricas.

Ad III. Provisum in praecedentibus.

Ad IV. Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.

Ad V. Attento speciali privilegio, Festum SS. Cordis Iesu in Regno Lusitaniae est *per accidens* primarium.

Ad VI. Affirmative iuxta alia Decreta.

Ad VII. Negative, et preces praescriptae recitentur in fine ultimae Missae.

Ad VIII. Servetur consuetudo.

Ad IX. Detur Decretum generale diei 12 Februarii 1690.

Ad X. Post adorationem et osculum sanctae Crucis Celebrans, ministri, clerus et populus surgant, genuflectant unico genu et redeant ad propriam sedem.

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 10 Maii 1895.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

URGELLEN. Dubia quoad missam pro defunctis, et festum s. Angeli Custodis.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Urgellensis, de sui Rmi Episcopi mandato, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humiliter proposuit, nimirum :

I. Quum in Cathedrali Urgellensi non vigeat consuetudo recitandi Officium defunctorum, diebus a Rubricis designatis, quaeritur : An ibidem adsit obligatio celebrandi Missam pro defunctis ad tramitem Rubricarum Missalis Romani tit. V n. 1 ?

II. Die prima Octobris celebratur in Hispania festum Sancti Angeli Custodis sub ritu duplici secundae classis. Iamvero in

variis codicibus ponitur ad Vesperas et ad Matutinum hymnus *Tibi Christe,* desumptus ex festo Sancti Raphaelis Archangeli, mutata secunda stropha hoc modo : « Te laudamus venerantes — Omnes coeli principes — Sed praecipue Custodem — Huius regni et populi — Qui, te iubente, a malis — Nos tuetur omnibus»; in aliis autem codicibus notatus hymnus: *Custodes hominum.* Item in nonnullis codicibus assignantur secundae Vesperae Sancti Angeli Regni, sine commemoratione festi sequentis, nempe SS. Angelorum Custodum; in codice autem Ratisbonensi et in aliis ponitur commemoratio sequentis. Itaque ad omne discrimen tollendum quaeritur :

1. An dicendus sit ad Vesperas et Matutinum hymnus: *Tibi Christe,* mutata secunda stropha, ut supra?

2. An in secundis Vesperis, prouti in casu, facienda sit commemoratio sequentis?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac referente subscripto Secretario, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Quoad primam partem : Legendum esse hymnum *Tibi Christe,* mutata secunda stropha, ut sequitur : « Collaudarne venerantes — Omnes coeli milites — Sed praecipue Custodem — Huius regni et populi, — Qui, Te iubente, a malis — Nos tuetur omnibus ». Quoad secundam partem: Faciendam esse in II Vesperis Commemorationem SS. Angelorum Custodum. — Atque ita rescripsit et servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. — Die 10 Maii 1895.

CAIETANUS CARD. ALOISI-MASELLA
S. R. C. *Praefectus.*

L. © S.

ALOISIUS TRIPEPI, S. R. C. *Secretarius.*

APPENDIX VI.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

Instr. S. C. S. Officii 2 Iulii 1878. - (ad Ordinarios Imperii Brasil). Oe servandis a Clero circa modum agendi cum massonibus.

Pestis Massonismi, qui in istis regionibus tanta Religioni detrimenta infert, eo fortius reprimetur quo religiosius a clero isto servata fuerit regula catholicae doctrinae circa modum agendi cum massonibus, praesertim quod ad Sacramenta attinet, ceteraque bona spiritualia, a quorum communione illi prorsus sunt arcendi, donec impiae sectae nuncium remiserint. Cum autem S. Sedes certior facta fuerit multum discrepare hac in re praxim istorum parochorum, Sacrae Congregationi, approbante SSmo D. N. visum est sequentia in memoriam revocare, quae ab omnibus accurate servanda erunt.

Itaque loquendum primum de Sacramento Matrimonii. Nullo modo tolerari potest quod illic in quibusdam dioecesibus, sicut refertur, usuvenit, ut matrimonia, quae a massonibus contrahuntur, cum omni solemnitate ritus catholici celebrentur. Potius si quis matrimonio coniungi postulat, qui noscitur sectae massonicae adscriptus esse, parochus totis viribus ad id incumbere tenetur, ut illi sectae renuntiet, quod si renuerit, sedulo curandum est ut sponsa ac parentes eius, opportunis exhortationibus a tali coniugio deterreantur.

Quando vero parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire, et prudenter timet, ne ex denegata matrimonio adsistentia grave scandalum vel damnum oriatur, res deferenda est ad Ordinarium, qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur, inspectis omnibus casus adiunctis permittere poterit, ut parochus matrimonio passive intersit, idest absque benedictione, alioque ritu ecclesiastico, tamquam testis authorizabilis, dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae prolis, aliisque similibus conditionibus. Haec vero facultas, quatenus iudicio Ordinarii necessitas postulaverit, parochis secreto delegari poterit. Quoties autem agitur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae a fide ita defecit ut alicui falsae religioni, vel sectae haereticae sese adscripserit, requirenda est consueta et necessaria dispensatio cum solitis ac notis praescriptionibus et clausulis.

Praeterea Ordinarii, nomine S. Sedis, confessariis praecipiant, ut serio moneant suos poenitentes ne societati ***Franc Maçons*** aliisque huius generis ciandestinis aggregationibus nomen dare, vel earum conventícula adire aut fovere praesumant, ac pertinacibus sacramentalem absolutionem negent. Ut autem vere resipiscentes absolvi queant ab excommunicatione incursa, Sanctitas Sua necessarias et opportunas facultates Ordinariis concedit ad decennium. Ceterum confessarii sciant hominibus liberorum muratorum societati aggregatis, licet emissi iuramenti poeniteant, sacramentalem absolutionem non esse impertiendam, priusquam ipsi absolute et positive praedictam damnatam societatem in perpetuum relinquant, vel saltem serio promittant se id quantocius effecturas.

Insuper omnino prohibendum est, ne massones notorii officium patrini in Sacramento Baptismi, vel Confirmationis suscipiant. Illi enim, quatenus adhaereant sectae ab Ecclesia damnatae minime idonei sunt procurandae, si opus fuerit, educationi christianae spiritualium filiorum.

Reliquum est, ut quoad sepulturam massonum et exequias reddendas statuta Ecclesiae accurate serventur. Videlicet ecclesiastica sepultura massonibus notoriis concedi non potest, nisi debita retractatione emissa, per absolutionem Deo et Ecclesiae fuerint reconciliati. Si quando vero morte praeventi retractationem rite emittere non potuerint, dederint nihilominus ante mortem signa poenitentiae et devotionis, tunc poterit concedi sepultura ecclesiastica, vitatis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exequiarum. Praeterea ecclesiastica sepultura carere debet qui adhuc post receptionem Sacramentorum, ipse postulaverit sepeliri adhibitis signis sectae massonicae, nisi hanc voluntatem postea iterum retractaverit. Si vero perversa aliorum opera contra defuncti voluntatem emblemata sectae massonicae feretro apposita fuerint, cognita eorum appositione, statim amoveantur, et omnino ante associationem cadaveris. Ex iis quidem patet omnino non licere quod illic, prout relatum est, in quibusdam locis fieri solet, ut cum conventu et in praesentia cleri cadavera more massonum sepulcro inferantur.

Quoad eos casus in quibus sepultura ecclesiastica deneganda est, si ex ea re graves turbae pertimescendae sint, Ordinarii quo tutius in negotio tanti momenti procedant, pro norma habere debent responsum S. Poenitentiariae ; videlicet, quoties cum gravibus minis exequiae ac sepultura ecclesiastica requirentur pro defuncto, qui, cum fuerit excommunicatus notorius, iisdem plane privandus est secundum sacros canones et regulas DD., S. Poenitentiaria 10 Decembris 1860 hunc modum tenendum esse praescripsit : «Curandum ut cuncta ad normam

« ss. canonum fiant: quatenus vero absque turbarum et scandali periculo «id obtinere nequeat, parochus neque per se, neque per alios sacer- « dotes ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrat ».

Postremo cum societas massonica certo certius accensenda sit societatibus per Apostolicas Constitutiones condemnatis, nullo pacto permitti potest, ut massones in form'a officiali, idest a secta deputati, S. Sacrificio Missae aliisque officiis ecclesiasticis interveniant. Interdicendum quoque est ne clerus iussioni seu desiderio massonum pareat pro celebrandis Missis seu officiis ecclesiasticis, uti a massonibus iussis seu postulatis, seu uti talibus in invitationibus ac in publicis ephemeridibus enunciatus.

S. C. S. Officii 7 Martii 1883. — Ep. S. Hiacynthi.
De admittendis ad sacramenta qui nomen dederant sectis secretis tenore etc.

Se possano ammettersi alla partecipazione dei Sagramenti quei che solo per fine di evitare danni temporali si ascrissero a società segrete, intendendo di rimanere cattolici.

R. Iuxta exposita catholicos, de quibus agitur, admitti posse ad Sacramenta, praevia absolutione a censuris, quatenus opus sit, pro qua dantur Episcopo opportunae facultates dummodo: 1. reipsa sese omnino separaverint a societatibus praedictis ; — 2. promittant nunquam amplius fore ut sese immisceant alicui actui societatum ipsarum tum secreto tum publico, et praesertim numquam amplius se soluturos requisitam contributionem ; — 3. removeatur scandalum eo meliori modo quo fieri potest ; — 4. animo sint dispositi ad suum nomen revocandum, si et quando id facere absque gravi damno poterunt. — SSmus approbavit.

S. C. S. Officii 26 Iulii 1848. — Vic. Ap. Malacensis.
De translatione novi Testamenti.

Inter varios libros qui birmano vel cariano sermone passim in his regionibus disseminantur ab anabaptistis, cum quibusdam plus minusve erroneis, reperiuntur Novi Testamenti translationes, quarum quidam loci adulterati, quidam vero licet orthodoxi, non ad normam vulgatae editionis translati sunt ; alii tandem propter defectum verborum, aut accurati sermonis ignorantiam, ambiguitatem praeseferunt, vel saltem non adaequate ad genuinum sensum translati sunt. Hi libri et trans-

laUones difficile possent auferri a neophytorum praesertim anabaptistarum conversorum manibus, quatenus illorum lectioni sint assueti, et missionarii catholici meliores legendos illis praebere nondum valeant. Unde quaeritur.

1. An libri de quibus agitur possint relinqui in manibus conversorum, sub praetextu quod errores in illis inserti non intelligantur, vel saltem non credantur.

2. An possint absolvi missionarii, qui, sub iisdem praetextibus vel aliis huiusmodi, nollent auferre supradictos libros e manibus christianorum.

3. Utrum saltem, postquam errores reperti correcti vel suppressi fuerint, possint supradicti libri relinqui fidelibus usquedum habeantur libri accurate scripti vel translati.

R. Ad singula dubia, negative. Curandum omnino ab operariis evangelicis ut libri, de quibus agitur in praedicto folio, flammis comburantur, et omnem dent operam perficiendae catholicae emendataeque versioni Biblicae typis dein edendae, praevio S. Congr. de Prop. Fide examine et approbatione.

Litt. encycl. S. C. Indicis 24 Aug. 1864.

Inter multiplices calamitates, quibus Ecclesia Dei luctuosis hisce temporibus undique premitur, recensenda profecto est pravorum librorum colluvies, universum pene orbem inundans, qua per nefarios ac perditos homines divina Christi religio, quae ab omnibus in honore est habenda, despicitur, boni mores incautae praesertim iuventutis penitus labefactantur, et socialis quoque consuetudinis iura et ordo susque deque vertitur, et omnimode perturbatur. Neque, ut vetus ipsorum mos erat, id praestare tantum nituntur libris magno apparatu scientiae elaboratis, sed et parvis, qui minimi veneunt libellis, et per publicas atque ad hoc confectas ephemerides, ut non litteratis modo et scientibus virus illud insinuent, sed rudioris cuiusque et infimi populi fidem simplicitatemque corrumpant.

Qui autem super gregem Christi vigilias agunt legitimi Pastores, ut hanc perniciem a populis sibi commissis avertant, ad Sacram Indicis Congregationem quoscumque ex iis libris de more deferunt, zelo adlaborantes ut Romanae Sedis habito iudicio et proscriptione, a vetita lectione talium librorum fideles deterreant. Neque iis difficilem se praebuit et praebet S. Congregatio quae quotidianam operam studiumque

impendit, ut officio sibi a Romanis Pontificibus demandato satisfaciat. Quia tamen ex toto christiano orbe increbrescentibus denuntiationibus praegravatur, non id praestare perpetuo valet, ut promptum et expeditum super quavis causa ferat iudicium : ex quo fit, ut aliquando serotina nimis sit provisio et inefficax remedium, cum iam ex lectione istorum librorum enormia damna processere.

Ad hoc incommodum avertendum non semel Romani Pontifices prospexerunt, et, ut aliarum aetatum exempla taceamus, aevo nostro per s. m. Leonem XII mandatum editum est sub die 26 Martii 1825, ad calcem Regularum Indicis insertum, et hisce litteris adiunctum, vi cuius Ordinariis locorum praecipitur ut libros omnes noxios in sua dioecesi editos, vel diffusos, propria auctoritate proscribere, et e manibus fidelium avellere studeant.

Cum autem huius Apostolici mandati provida constitutio praesentibus fidelium necessitatibus, et tuendae doctrinae morumque incolumitati optime respondeat, SSmo Domino Nostro Pio Papae IX placuit eius memoriam esse recolendam, tenorem iterum vulgandum, et ab Ordinariis locorum observantiam exigendam, quod excitatoriis hisce nostris litteris, nomine et auctoritate Apostolicae Sedis sollicite praestamus. Queis si debita obedientia respondeat (sicuti pro certo habemus), gravissima mala removebuntur in iis praesertim dioecesibus, in quibus promptae coercitionis urget necessitas. Ne vero quis praetextu defectus iurisdictionis, aut alio quaesito colore, Ordinariorum sententias et proscriptiones ausu temerario spernere, vel pro non latis habere praesumat, eis Sanctitas Sua concessit, sicut nomine et auctoritate Eius praesentibus conceditur, ut in hac re etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, contrariis quibuscumque non obstantibus, procedant. Ad Apostolicum autem iudicium ea deferantur opera vel scripta, quae profundius examen exigant, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiratur.

***Mandatum s. m. Leonis XII additum Decreto S. Congreg. (Indicis) die Sabbati** 26 **Martii** 1825.*

Sanctitas Sua mandavit in memoriam revocanda esse universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque in Ecclesiarum regimen praepositis ea quae in regulis Indicis Sacrosanctae Synodi Tridentinae iussu editis, atque in observationibus, Instructione, Additione, et generalibus Decretis Summorum Pontificum Clementis VIII, Alexandri VII, et Benedicti XIV auctoritate ad pravos libros proscribendos abolendosque Indici Librorum Prohibitorum praeposita sunt, ut nimirum, quia prorsus

impossibile est, librorum omnes noxios incessanter prodeuntes in Indicem referre, propria auctoritate illos e manibus fidelium evellere studeant, ac per eos ipsimet fideles edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant, ne ulla in eo suscipiendo capiantur specie, ac pervertantur illecebra ».

Monitum S. C. (Indicis) editum feria III die 4 Martii 1828.

« Sacra Congregatio in mentem revocat omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Ordinariis, et Inquisitoribus locorum id quod praescribitur in Regula, inter editas iussu S. Concilii Tridentini N. II., his verbis : ***Haereticorum libri, qui de religione ex professo tractant, omnino damnantur***; et ea quae mandavit s. m. Clemens VIII in instructione de prohibemus libris, sequentibus verbis § VI : ***In universum autem de malis et perniciosis libris id declaratur atque statuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, et deinde prohibiti ac damnati a Sede Apostolica sunt, iidem quoque in quamcumque postea vertantur linguam, censeantur ab eadem Sede ubique gentium, sub eisdem poenis interdicti et damnati ».***

Monitum S. C. (Indicis) editum Fer. V die VII Ianuarii 1836.

« Cum ad S. Congregationem certo relatum fuerit sacratissimos Bibliorum Libros vulgari sermone nonnullis in locis typis edi, quin saluberrimas de ea re leges serventur, cumque inde pertimescendum sit, ne, quae hominum nequam, hisce praesertim temporibus, conspiratio est errores sanctiore divini Eloquii apparatu obvoluti perperam insinuentur, censuit eadem S. Congregatio revocanda iterum esse in omnium memoriam, quae alias decreta sunt, vernaculas nimirum Bibliorum versiones non esse permittendas, ***nisi quae fuerint ab Apostolica Sede adprobatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris*** (ex. decr. S. C. Ind. 15 Iunii 1757 in addit, ad Reg. Ind.) : iis praeterea omnino insistendum, quae per Regulam quartam Indicis, et deinceps ex mandato sa. me. Clementis VIII, in eam causam praestituta fuerunt ».

EPISTOLA APOSTOLICA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Coptos quoad unitatem christianam instaurandam.

Unitatis christianae propositum, instaurandae per Orientem vel affirmandae, vix Nos Patriarchis illarum gentium in consilium accitis, aggressi eramus, quum ab isto catholicorum Clero accepimus litteras obsequio in Nos et obsecratione referías. Eas paulo post alterae subsecutae sunt, similem filiorum pietatem spirantes similiterque supplices, ab optimatibus nationis vestrae communiter datae : quae pariter atque illae tam acciderunt ineundae, ut intimam erga vos animi caritatem permoverint. Hoc autem eo vel magis factum, quia ex utrisque luculenter testatum vidimus singulare, quo ardetis studium reconciliationis salutisque iuvandae vestrorum civium, quos a gratia sua iam pridem Apostolica Sedes dolet seiunctos. Dignus plane est professione catholica animus iste vester, dignus vera Christi fraternitate. Neque Nos cunctati profecto sumus ad postulata quae detulistis peculiares quasdam cogitationes convertere; rescribere tamen ad vos consulto in hoc tempus distulimus. Visum est enim rationibus vestris id fore utilius, si mentem nostram pleniore licuisset modo patefacere, simulque cum quaesito paternae curae solatio, nonnihil vobis hortationis apostolicae impertire.

Inditae ecclesiae gentique vestrae maxima Nos benevolentia, nec vos opinio fallit, omnino favemus, nihil habentes potius, quam ut afflictas eius res praesenti ope erigamus. — Siquidem, a religionis inde primordiis, arctissima et praeclara necessitudinis vincula intercesserunt Romanam inter et Alexandrinam ecclesiam. Hanc ipse apostolorum Princeps per Marcum discipulum et interpretem suum condendam regendamque curavit, futuram non uno nomine eximiam. Nec quisquam ignorat quam digne eam tenuerint viri sanctimonia et sapientia insignes, in his Dionysius, Petrus martyr, Athanasius, Cyrillus ; qui, ex praeconio sancti Caelestini I, semper defensores catholici dogmatis extiterunt (1), et quorum summa cum Pontifice romano consensio auctoritatisque eius par observantia multis factis elucet. Fuit etiam apud cathedram Marci schola electae doctrinae

(1) *Ep. ad S. Cyrillum Alex. n. 1.*

late nobilissima ; in qua iam tum patuit quid disciplinae humanae utiliter possint ad veritatem divinam sive illustrandam sive tuendam, prudenti iudicio advocatae. Sed clarior praeterea laus ecclesiae vestrae, specimina excellentis virtutis protulisse; in omnemque posteritatem manabit eorum memoria, qui desertas Aegypti solitudines in domicilia evangelicae perfectionis, magni Antonii instituto admirabili, commutarunt. — Infesta catholicae unitati successere tempora, eaque diu Alexandrinae quoque ecclesiae calamitosa : non defuere tamen ex ipsa, qui argumenta ederent non obscura pristinae repetendae romanae fidei et communionis. Illud quidem commemorabile sub exitum magni Concilii Florentini, quum Eugenius IV decessor Noster, splendida Coptorum atque Aethiopum legatione admissa, Alexandrinam sedem addictasque gentes Sedi Apostolicae reconciliavit, magna Ecclesiae laetitia. Atque utinam integra apud eas omnes permansisset concordia pacta, neque alienationis causae rursus acerbae incidissent. Nihilo tamen minus eodem providentiae caritatisque studio romani Pontifices in discordes filios constiterunt affecti: vosque ipsi nomina potissimum Pii VI, Gregorii XIII, Innocentii XI et XII, Clementis XI itemque XII, Benedicti XIV, Pii VII, in litteris vestris recoluistis grato animo et memori.

Ad Nos quod attinet, iucundum enimvero est, penitus vobis haerere in animis, ut religiose declarastis, eas de rebus vestris curas quas ab initio pontificatus suscepimus, multoque est iucundius nosse quam fideli eisdem curis voluntate et opera respondere nitamini. Id enim in primis est a Nobis consultum, ut aptum haberetis praesidium ab Alumnis Societatis Iesu : qui vobis adsunt quum sacrarum expeditionum muneribus, tum puerilis aetatis institutione, in eoque praecipue ut bonae indolis adolescentes rite ad clericatum educant. Mandato pariter Nostro, istuc deinde advecti sunt Missionales Africani Lugdunenses, homines apostolici, qui adhuc apud vos, in inferiore praesertim Aegypto,-- versantur. Egregiam autem eorum operam largeque fructuosam aequum est vos, ut facitis, collaudare, atque ex eo de resurgenti ecclesiae vestrae gloria, in tempus haud ita longinquum, optime augurari. Id ipsum adeo Nostram auget expectationem acuitque instantiam, ut nuper etiam aliquid rogationi vestrae concedendum libentissime censuerimus. Episcopum namque habetis a Nobis datum, popularem vestrum; virum, ut aetate, sic doctrina florentem, consilio, exemplo ; qui nullis pro-

fecto nec vigiliis nec laboribus parcet in vestram omnium salutem. Nobisque laetabilis vere fuit ampla ea significatio honoris, qua ipsum, prout novissimae nuncia verunt litterae vestrae, uno vos animo auspicantem dignitatis munia excepistis, debitae simul obtemperationis partes sancte polliciti. — Sed plura deinceps et maiora posse Nos efficere causa vestra, valde confidimus, favente Deo vobisque omni conspirantibus ope et pietate. Atque id vos primum curare studiosissime oportet, quemadmodum *depositum fidei* caute inviolateque custodiatis : nec enim vos fugit de bono agi omnium praestantissimo, eoque malis artibus fallaciisque quorumdam hominum istuc peregre commeantium nimis multum obnoxio. Et quoniam ad rectam fidei custodiam plurimum sane interest quali disciplinae ratione animi a teneris imbuantur, eam idcirco velle ab omni erroris periculo incolumem, atque adeo ministram religionis et probitatis, scholis multiplicatis optimis, enixe contendite. Qua in re tam gravi, a Nobis etiam bona vos habere volumus adiumenta. — Ista vero, quae commendavimus, non ita, ut opus est, benevertent, nisi accesserint christianae virtutis pietatisque exercitationes, ab illis maxime qui maiores natu, qui loco clariores : proinde agite, huc etiam pro virili parte alacriorem diligentiam conferte, *in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei* (1). Sacerdotum quidem copia, pro locorum atque hominum opportunitatibus, in desiderio est: attamen in hanc spem nonnulli ex vestra ipsa iuventute iam probe succrescunt. Qui si utraque ornentur laude et doctrinae sanae et vitae integerrimae, si religionis catholicae ardore et vera caritate patriae ducantur, laeta sane erunt vobis incrementa allaturi, ac subinde laetiora, aliis pluribus ad sacerdotium incitatis exemplo. Neque id minus curandum sperandumque est de virginibus sacris, educationi deditis puellari; quae floreant in tutela Catharinae vestrae, sapientis virginis et invictae. — Unum videtur reliquum, in quo vos peramanter hortemur ; hoc est ut animorum coniunctionem diligere atque colere ne cessetis. Et clerici inter se et inter se laici homines quanta, maxime fieri possit sentiendi agendique conveniant similitudine : utrumque vero ordinem copulatum et obstrictum teneant *vinculum perfectionis,* caritas Christi. Quae documenta ut eo amplius in animis valeant, libet compellare

(i) Coloss, i, io.

vos eodem pastorali studio quo maiores vestros beatus Cyrillus e patriarchali throno alloquebatur **(1) :** *Imitentur, dilectissimi et caelestis vocationis participes imitemur, pro sua cuiusque facultate, ducem nostrae salutis et consummatorem Iesum. Ampleetamur eam, quae in altum evehit, animi demissionem et caritatem, quae nos Deo coniungit, et erga divina mysteria sinceram fidem. Divisionem fugite, vitate discordiam.... mutua vos caritate f ovete; Christum audite edicentem: In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* **(2).** — Inter multiplices autem fructus eiusdem concordissimae caritatis, singularis quidam inest in eo, quod vestri qui de religione dissident cives, tali exemplo commoti, propensius adducantur ut catholicam vobiscum communionem expetant et requirant. Cuius rei eventum quum merito vos tantopere exoptetis, eumdem ipsi urgeatis velimus, et apud eos omnibus christianae humanitatis officiis, et sanctis apud Deum precibus; id quod a Nobis vel proxime est catholicis universis indictum.

Hoc loco sentit maxime animus ac testari gestit sollicitae caritatis vim, qua vos, quotquot coptico estis ritu a Nobis disiuncti, vos ad unum omnes prosequimur cupimusque *in visceribus Iesu Christi* (3). Sinite, fratres et Alios dulci vos desiderio appellemus; sinite alamus spem quam de reditu vestro non tenuem exhibetis. Comperta quippe est vestra in Nos ac nostros benevolens gratia; aeque ac mens pia, qua factum commiserantes patrum, tempora illa, sanctitatis fecunda et gloriae, saepius revocatis. Idque fiduciam addit quod complures ad hanc Petri Cathedram, tamquam ad arcem veritatis et salutis perfugium, non sine ardore respicitis, nihil fere iam dubitantes ad optima erga ipsam consilia inclinare. — Consilia eiusmodi, rectis animis auctore divino Spiritu iniecta, ut studiose Nos complexi antehac sumus, sic incensa magis magisque voluntate complectimur, Deoque misericordi votis maximis commendamus. Quidquid autem possit ex Nobismetipsis ad ea perficienda conducere, id Nos, certissimum habetote, non modo nulla in parte desiderari patiemur, sed ultro abundeque pro conscientiae officio praestabimus. Nempe plenam prudentiae et benignitatis rationem quam in eadem re adhibuit Benedictus XIV, Decessor illustris

(1) ***Hom.*** **in mysticam coenam, X *ex diversis, c. ult.***
(2) Ioann. XIII, 35.
(5) Philipp. I, 8.

beneque de natione vestra promeritus deliberatum Nobis est imitari, qui multa peropportune constituit, auctoritatem temperans indulgentia. *Ex hac porro indulgentia,* similiter Nos, ut est ille professus, *uberem in dies spiritualium gaudiorum messem expectamus, lucrum scilicet* animarum ad gremium Ecclesiae redeuntium: probe enim intelligent. Nos pastoris Iesu Christi vicem in terris tenentes, tantum quaerere et salvum velle quod perierat; ovesque inventas, non virga timoris, sed officio caritatis ad ovile congregare* (1). — Cor nostrum ita patet ad vos : et quoniam alia nulla Nos movet ad hortandum causa, nisi caritas Christi Iesu, in suam vos hereditatem vocantis, eadem vos ad respondendum movet impellatque obsecramus.

Quae quum ita sint, si unitatis catholicae studia tota Aegypto quotidie invalescant, quique coepere boni fructus, uberius consequantur, tum vero poterit Alexandrina ecclesia, quod vos percupere signifìcastis ad praestantiam veteris prosperitatis fidenter niti ; poterit iusta sibi et beneficia et ornamenta a romana Ecclesia, matre nunquam non amantissima, expectare. — Auspicia fauste emergentia benigne foveat Sanctorum praeclara cohors, quos in caelum Aegyptus transmisit, beatissimusque Petrus atque carissimus ei Marcus, vestrae auctores iidemque patroni ecclesiae; maxime vero sanctissima Virgo Maria, cui decus divinae matris Cyrillus idem constantia mirifica asseruit. Illud est denique exorandum, ut ipsa Familia Sacra quae divino iussu regionem istam profuga invisit beavitque hospitem, atque in proavis illis vestris semina prima indidit caelestis doctrinae et gratiae, ea vos salutariter respiciat singulos universos, muneribusque priscae pietatis cumulatissime don et.

Dat. Romae apud Sanctum Petrum die xi Iun. an. MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII

(1) **Pastoralis Instr, ad Coptos,** ***Eo quamvis tempore,*** **anno 1745.**

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

S. SEVERINI

IUBILATIONIS

Die 15 Decembris 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Hercules Bonsignori, in cathedrali ecclesia S. Severini canonicus, infirmitate aliisque incommodis ex aetate prope octogenaria laborans, post servitium chorale quadraginta annorum, quod laudabiliter se peregisse dicit, supplici libello ad SSmum die 26 Septembris anni 1893 porrecto, enixe iubilationis indultum effiagitabat.

Disceptatio Synoptica

Sciunt omnes Ecclesiae disciplinam, qua Canonici aliique sacris ministeriis addicti, vacatione perpetua donantur, nihil de suorum beneficiorum fructibus amittentes, si per annos quadraginta continuos et laudabiliter eos inservisse probatum legitime fuerit.

In themate ex capituli relatione ab episcopo confirmata, constat can. Bonsignori assiduo et valde diligenti servitio suo muneri satisfecisse ab anno 1853 ad annum 1883, sane tantum 98 fallentiarum punctis multatus fuit; ast ab anno 1853, ipse morbo praepeditus a choro abesse coactus fuit, quin tamen indultum ab Apostolica Sede impetraverit. Iudicandum ergo Emis Patribus relinquitur, utrum memoratus orator, etsi diligenter et cum laude choro semper interfuerit ab anno 1853 ad annum 1883, quadragenarium tamen illud servitium expleverit ad iubilationem obtinendam requisitum, cum ad numerum 40 annorum conficiendum necessario computari etiam in casu debeant decem alii postremi anni, quibus licet ex gravi et usque perseveranti infirmitate a choro ab-

fuerit, nullo tamen impetrato indulto abfuit. Ex quo statui non immerito posse videtur, iuvari quidem posse canonicum adducta infirmitatis causa ad dispensationem a choro obtinendam, quamdiu infirmitas ipsa fuerit duratura, minime vero iuxta praxim S. O. C. ad iubilationis indultum consequendum. Proposito enim casu inter *dubia iubilationum diei 24 Septembris et 17 Decembris 1718:* « *An indulgendo, sit iubilatio canonicis et beneficialis, qui spatio 40 annorum ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis et indultis ab fuerint ab ecclesiis vel ex causa infirmitatis, vel alia de causa?* » S. C. respondit : « *Affirmative quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis* ». Nec aliter ab huiusmodi resolutione dimissa est *Eugubina 19 Aug. 1775.*

Porro ex huiusmodi rescriptis consequi videretur, in casu denegandum esse iubilationis indultum, nisi forte Eminentiis Vestris placuerit ea uti benignitate, qua ex infirma valetudine aliquod tempus remitti solet ex commissis fallentiis, uti factum esse legimus in una *Brictinorien.*, in qua pro gratia iubilationis rescriptum est , etsi Episcopus testatus esset, oratorem per sex annos in numero quadraginta duorum plerumque choro non interfuisse, ex quo eundem minime meritum indulto arbitrabatur.

Hisce perpensis videant EE. PP. ea qua pollent iuris peritia, quid porrectae preces mereantur; quod si ulteriori servitio oratorem adhuc indigere iudicaverint pro iubilationis indulto, perpendant quae Episcopus scripsit « enixe scilicet Vos deprecor EE. PP., ut Oratori indulgere dignemini dispensationem perpetuam a chorali servitio cum facultate lucrandi distributiones omnes, tam ordinarias, quam extraordinarias perpetuas et fixas, nisi gratiam, quam ipse vehementer exoptat, Vobis potius placuerit concedere ». Non raro enim, denegata gratia iubilationis, concessum fuit a Sacro Ordine indultum abessendi a choro, prout in *Firmana Iubilationis, 13 Septembris 1862 j Urbinaten. Indulti 18 Sept. 1802 etc.*

Quibus animadversis, quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 15 Decembris 1894, censuit respondere s *Quoad iubilationem obstant decreta; sed pro gratia vacandi a chori servitio, pro diebus et horis, durante infirmitate, amissis distributionibus, quae, vel ex voluntate fundatoris, vel ex statuto Ecclesiae inter praesentes tantum distribui solent.*

PINNEN.

IURIUM CONFRATERNITATIS

Die 14 Aprilis 1894 et 23 Februarii 1895

Concil. Trid. Sess. '22, cap. 9 De reform.

COMPENDIUM PACTI. In oppido Petranico, Dioecesis Pinnensis, in Ecclesia, non parochiali, Sancti Rochi, subiecta administrationi Municipii, Confraternitas sub invocatione SS. Mariae Virginis Septem Dolorum, additis duobus aliis titulis SS. Sacramenti et Christi Mortui, praevio Regale Decreto approbationis diei 2 Decembris anni 1858, erecta fuit per literas paténtales Rmi Patris Prioris Generalis totius Ordinis Servorum B. M. V., datas sub die 24 mensis Novembris anni 1859; et legitime in eadem Ecclesia constituta per Episcopale Decretum approbationis et executionis datum die 29 mensis Martii anni 1860: « *salvis iuribus parochialibus loci* » uti decernitur in eodem Decreto.

Municipium non solum, usque ad epocham constitutae Confraternitatis, expensas erogabat necessarias refectionibus Ecclesiae S. Rochi, sed prospiciebat etiam cultui divino et quotannis *ab immemorabili* in Libris rationum inscripta invenitur summa L. 7,50 tributa in mercedem Parocho ob functiones sacras nonnullas, praecedentes diem festum S. Rochi, et alias in eadem die peractas in Ecclesia huius Divi

Patroni. Quando Confraternitas instituta fuit, Parochus pro tempore Rmus Dnus Venantius De Vita, renunciatus Director Sodalitatis, pacifice in festo S. Rochi prosecutus est celebrationem suetarum functionum, quum nemo inquireret an titulo Parochi vel potius Directoris Sodalitatis has peragere illi competeret.

Interim quia Ecclesia S. Rochi visa fuit nimis angusta, aucto Sodalium numero et fidelium frequentiae, diruta, annuente Municipio, vetere Ecclesia nec non parva domo ei adnexa ; in eodem solo, collata pecunia inter sodales, alios oppidi fideles et Municipio praebente, praeter solum et alias opes, etiam partem cementorum, nova Ecclesia extructa est, atque anno 1873 cultui divino Ecclesia Sancti Rochi restituta fuit.

Parochus Venantius De Vita usque ad annum 1874 obtinuit officium Directoris Sodalitatis et sub anno 1877 est vita functus, at post dimissum officium, nemine contradicente, functiones diei festi S. Rochi in Ecclesia Confraternitatis celebrare consuevit.

In parochiali beneficio successit Dnus Aloisius de Vita qui, cum occasione Festivitatis S.- Rochi coeperit sibi vindicare functionum celebrationem titulo Parochi, sodales protestati sunt, parocho, nullo iure hoc competere, sed Confraternitati quae in vetere Ecclesia S. Rochi obtinuerat canonicam constitutionem et in nova, suis opibus extructa, sane ius proprietatis poterat sibi adiudicare. Hinc rixae, hinc contentiones quae vulgum in contrarias partes distrahentes, anno 1884, ad vitandas contendentium digladiationes, Sodalitati persuaserunt opportunum fore, occasione festivitatis S. Rochi, clausa Ecclesia, suspendere suetas functiones. Episcopus, approbans hoc consilium, praecepit Confraternitati et Parocho, ut clausa S. Rochi Ecclesia ab huiusmodi sacris functionibus omnino abstinerent. Verum diei S. Rochi illucescente aurora, Confraternitatis Sodales, futuram tempestatem praevidentes se receperant in agros, suis laboribus intenti ; alii, faventes partibus Parochi, machinabantur quomodo in Ee-

clesiam Divi Patroni pervadere possent. Prohibitio publicarum supplicationum magnopere animos etiam ferventiorum fidelium excitaverat, tunc temporis perterritus ob late grassantem morbum Asiaticum. A meridie diei festi, sub hora suetae publicae functionis, furor, usque compressus, erupit, et nonnulli audaciores clamoribus invocante a Sodalibus, ut Ecclesiae ianuam aperirent, quemdam impellerunt et adiuvarunt ut per fenestram Ecclesiam ingrederetur; quo facto, Ecclesiae ianuis patefactis, concurrerunt ad Parochum, qui ad S. Rochi Ecclesiam adductus, ibi, gestiente populo functiones celebravit. Inde acriores evaserunt discordiae inter unam aliamque partem adeo, ut auctoritas politica quotannis, occurrente S. Rochi die festo, caute vigilaverit et prospexerit in publicam quietem tutandam et quia Municipium, nimis aperte Parocho favebat, illud admonere non destitit regia Praefectura per decretum datum 1886, rationibus facti et iuris communitum, ut cessaret a factionibus et potius animis conciliandis studeret.

Cum interim Municipium arenam dereliquerit, in ea solus decertabat contra Sodalitatem Parochus, qui die 3 Iulii anni 1889 ab Episcopo literas obtinere potuit sibi adiudicantes ius functiones peragendi ***ob antiquam consuetudinem'.*** At Confraternitas, vehementer dolens huiusmodi extraiudicialem sententiam, Episcopo persuasit, ut eamdem, quasi dolo extortam, retractaret, quod peregit invitans Confraternitatem ad deliberandum an iudicialiter per curiam Episcopalem cuperet rem definiri. Hoc propositum amplexa est confraternitas et die 4 Augusti anni 1890 pronuntiatum fuit a Vicario Capitulari, Ecclesia tunc viduatâ pastore, Parochum Petranici nullum habere ius speciale supra Ecclesia S. Rochi, qua erecta est Confraternitas sub titulo Beatae Mariae perdolentis, SSmi Sacramenti, et Christi demortui ; ideoque Confraternitatem, independentem esse a Parocho quoad functiones sacras, tum simplices, tum solemnes, pro vivis aut defunctis; salvis tamen iuribus parochialibus.

Parochus sub die 12 Augusti appellationem interposuit

ad S. C. C. Interim non quieverunt contentiones, nam Parochus appellans, pro effectu suspensivo appellationis, putans sibi competere sacrarum functionum celebrationem, ob iuris quasi possessionem antea exercitam, contra Ordinarium impedientem hoc exercitium, petiit a S. C. O. et obtinuit sub die 27 Iulii anni 1892 sequens decretum possessorium manutentionis « *Quatenus ante appellatam sententiam parochus in quasi possessione fuerit iuris sacras functiones peragendi, pro nunc et usque ad exitum iudicii appellationis a sua possessione non esse deturbandum, idque notificetur Episcopo.* » Loci Ordinarius aegre tulit hoc decretum, ratus quasi iuris possessionem potius Confraternitati quam Parocho favere, et uti antea, ita postea curavit, ad effugiendas quaestiones, delegare alium Sacerdotem, Parochiae et sodalitati extraneum ad peragend as sacras functiones die festo S. Rochi: quam adversum rationem agendi Parochus S. C. C. sub die 15 Iulii 1893 aliud obtinuit decretum; scilicet « *in Decretis sub die 27 Iulii 1892.* »

Disceptatio Synoptica

In primis animadversum fuit quod loci Municipium hisce in contentionibus non parvam habuerit partem, et regia Praefectura de hac quaestione diligentem exaraverit relationem, ad suggerendam Municipio prudentem normam agendi et eadem politica auctoritas attendat et confidat, sententiam Ecclesiastici Tribunalis evasurum certum pignus conciliationis animorum et pacificationis.

Confraternitas vero defensionem deduxit ex pleno et absoluto usu sibi concesso a sua institutione in Ecclesia Sancti Rochi ; *reservatis Parocho,* uti decernit Ordinarius, *tantum iuribus parochialibus.*

Parochus vero non potest invocare, instat Sodalitas, immemorabilem consuetudinem peragendi sacras functiones, cum in actis fundationis Confraternitatis, nihil sibi reservans, praesumatur huiusmodi iuribus cessisse.

Denique observat; solummodo Municipio posse recognosci in casu aliquod ius standi in iudicio ad sibi vindicandum ius patronatus in Ecclesiam S. Rochi, non parocho, qui in Ecclesias non parochiales ex iure communi, nullum ius sibi arrogare potest, qua parochus.

Actor in hoc iudicio appellationis, impressam suam edidit defensionem, in qua, ad retorquenda Sodalitatis argumenta in primis totus est in asserenda immemorabili consuetudine commissionis factae Parocho a Municipio ad celebrandas sacras functiones in Ecclesia S. Rochi. Hoc iure merito fecisse Municipium et iure sibi vindicare in praesens et in futurum, probat Parochus ex proprietate Ecclesiae S. Rochi, quam, ipse ait, Municipio sane competere, concesso Sodalitati eiusdem Ecclesiae tantum usu.

Instat, Municipium iure dominii privatum non fuisse ob dirutam veterem Ecclesiam; nam nova Ecclesia extructa est in eodem solo et partim expensis a Municipio erogatis. Ergo, concludit Parochus, quonam iure Sodalitas poterit excludere Municipium a sua Ecclesia? Nam excludens Parochum, illius mandato sacras functiones peragentem, non Parochum, sed Municipium seu dominum excludit.

Demum actor, meliori ratione sui iuris sollicitus refutat argumentum Sodalitatis asserentis, Parochum nullum ius sibi speciale reservasse in limine fundationis Confraternitatis, cum ab Ordinario ei recognita sint tantum iura parochialia. Reponit enim, huic iuri tuendo nullam reservationem necessariam fuisse; quam tamen ad cautelam peregit, quando nova Ecclesia, praesertim eius opera et consilio extructa, fuit ab eodem benedicta. Ius vero celebrandi suetas sacras functiones sibi reservasse defunctum Parochum, probat per actum notorietatis a publico notario rogatum, in quo 11 testes adducti haec omnia confirmarunt.

Ex oificio autem animadversum fuit, opportunum esse ex iure communi revocare celebris *Decreti Urbis et Orbis* editi die 10 Dec. 1703 (1) dispositionem circa pacta attin-

(1) Habes hoc decretum Vol. I, 591 in nota.

gentia communes relationes parochos inter et confraternitates, ita conceptam : « Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione confraternitatum, forsan factis, concordiis inter partes initis et a Sancta Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus et provincialibus et consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis, declaravit atque decrevit si SSmo D. N. videbitur. » Utrum in casu, si non in erectione, postea extiterit aliquod huiusmodi pactum favore Parochi aut eidem faveat immemorabilis consuetudo, dubium est.

Sane quoad rationes a Confraternitate allatas, praesens negotium respicit tantummodo deductio, qua contendit Parochum sibi nullum ius ad sacras functiones nec riservasse nec habere. Nam an Ecclesia S. Rochi Sodalitatis sit, vel quomodo et quatenus a Municipio habuerit, est quaestio a praesente iudicii sede aliena.

Item parochus non suas, sed Municipii agit partes quando eidem vindicat non solum Ecclesiam S. Rochi, sed etiam ius delegandi Sacerdotem ad sacras functiones Festivitatis S. Rochi peragendas ; sed directe suum ius tuetur, cum ex consuetudine immemorabili vel saltem concordia inita in erectione novae Ecclesiae, sibi adiudicat ius has functiones celebrandi.

Hisce animadversis, propositum fuit diluendum Dubium - *An sententia Curiae Pinnensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.* Cui dubio rescriptum fuit die 14 Aprilis 1894 - *Dilata et scribatur Episcopo, ut Municipio praefi,gat congruum terminum ad deducenda iura sua.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. Ratio responsionis haec fuit, quia agebatur an parocho ius competeret peragendi certas functiones in die festo S. Rochi in Ecclesia, ubi fuit Sodalitas instituta, et parochus hoc sibi ius vindicabat, potissimum ob delegationem, usque legitime habitam a loci Municipio, quod Ecclesiae S. Rochi patronus habebatur. Eiusdem Municipii Syndicus, ne parochus victus a iudicio discederet quasi actione destitutus, cum sacras functiones non nomine suo, sed ex Muni-

cipii delegatione ageret, petiit et obtinuit *interventum in causam.*

Quocirca aliam veluti phasim modo ingreditur controversia, cum quaeratur an loci Municipio ius constet, delegandi in Ecclesia S. Rochi, parochum aut quemcumque alium Sacerdotem, ad explendas in die festo huius Beati nonnullas sacras functiones. Sententia vero Curiae spectat alium quaestionis aspectum, nempe an parocho, *qua tali,* in Ecclesia S. Rochi ius competeret, de quo agebatur.

Ordinarius iterum rogatus de informatione, retulit : occasione sacrae visitationis sibi innotuisse, Municipium illius loci concedendo Sodalitati S. Rochi usum Ecclesiae, non dedisse nuncium iuripatronatus, praesertim quoad preces novendiales et festum Sancti titularis indicendi ; idem Municipium tranquille usum fuisse hoc iure etiam post institutionem Confraternitatis in eadem Ecclesia usque ad annum 1884.

Syndicus in primis instat in probando pleno dominii iure in Ecclesiam S. Rochi; quod nec adversarii negant quoad tempus antecedens institutioni Sodalitatis in eadem Ecclesia. Nam Sodales affirmant, occasione institutionis Sodalitii, Municipium eidem cessisse omne suum ius in Ecclesiam ; sed praecipue contendunt, quodcumque evanuisse Municipii dominium quando, vetere Ecclesia diruta, nova aedificata fuit curis et expensis piae Sodalitatis, sub anno 1873.

Quum non possit probari, Municipium veterem Ecclesiam cessisse Sodalitati, quia nullo ex actu, nullo ex facto constat, Syndicus asserit nec novam ullimode in Sodalitii ius pertransiisse. Ait enim, in probatis esse Municipium demolitionis veniam dedisse, *solum* seu *fundum* protestasse pro novo aedificio, insuper 100 ducatos nummos contulisse praeter lapides veteris Ecclesiae, et alterius parvae domus continentis, nec non alterius aedificii vulgo appellati « *Ospedaletto* » aeque demolitorum ; nec non donasse coementa, aestimata ad summam L. 208,08.

Quae aedificationi subsequuta sunt, Municipii ius con-

firmant. Re quidem vera, in altari maiori eadem exposita fuit imago Divi Rochi, cui Ecclesia dedicata fuerat, et in eius-die festo Municipium, nulla expostulata a Sodalitate venia, disposuit singulo quoque anno, non secus ac antea, ut ibi per parochum, ad hoc delegatum celebrarentur novendialia et suetae aliae functiones.

Qui actus Municipii, observat Syndicus, a superiore civili auctoritate approbati, evincunt, clarum et omni exceptione maius, visum fuisse omnibus Municipii ius.

Ad haec notat, quod sodalitas si in suum plenum ius concessione, aedificatione aut quocumque alio titulo Ecclesiam sibi adiudicare potuisset, nunquam S. Rocho eamdem dedicasset, sed Christo Mortuo et SS. Virgini Septem Dolorum, a quibus ipsa sodalitas nuncupatur; uti eadem non tolerasset functiones, a parocho factas ex delegatione Municipii.

Deinde Syndicus vindicat Municipio eiusmodi patronatum per quamplurimorum testium depositiones.

Demum Syndicus ut cuicumque adversariorum difficultati aditum praecluderet, provocavit ad praescriptionem, ex qua etsi, per damnatam hypothesim, nullum aliud ius sibi vindicare posset, Municipii intentio luculenter comprobaretur. Innititur auctoritati Card. De Luca, *De Praescriptione* ita disserentis in *disc. 30, n. 17:* « Ita vero consuetudo non exigit *immemorialem* vel quadragenariam (praescriptionem) cum titulo putativo seu eius famam, eo modo quo requiritur in iis, *quibus ius resistit* et cum quo praesupposito in huius causae decisionibus proceditur, quoniam id non est contra, sed *praeter* ius et consequenter *sufficit sola decennalis.* » Iamvero notat Syndicus, pacificum Municipii usum perdurasse ab anno 1860 ad 1884; quin ad Municipium ulla protestatio aut querela facta sit, cui pro effectu iuridico fieri debebant, non parocho qui non proprio nomine, sed Municipii nomine, sacras functiones peragebat.

Instant Sodales ad suum ius in Ecclesiam vindicandum, a momento quo eamdem, ipsi suis opibus, sua sollicitudine

iterum aedificarent. Ceterum ipse Syndicus admittit, et ultro concedit quod pii Sodalitii *Prior* praefuit operi et personis ad hoc opus specialiter delegatis. Quare in Archivio Sodalitatis, non apud Municipium, extant *libri rationum* pro expensis aedificationis et appositae syngraphae attestantes solutiones et pecuniae aliarumque rerum receptiones. Hinc referunt Sodales, se a Municipio mutuas recepisse Libellas 637, quas debito tempore restituere curavit Sodalitium. Item notant, fidelium oblationes suppetias aedificationi venisse, sed cum expressa voluntate non Municipio, sed piae confraternitati opem et auxilium ferendi.

Quocirca concludunt, ius patronatos Municipio nullatenus competere posse, quia vetus Ecclesia fuit solo aequata, et nova impulsu, curis, impensis Sodalitatis tantum aedificata fuit.

Ius ipsum quod spectat, haec in utramque partem animadversa fuerunt. Agitur de iure patronatus. Modos ordinarios ad hoc ius sortiendum exhibet versiculus « *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.* » An vero istae conditiones *copidative* aut *disiunctive* exigantur, quaerunt *Doctores ;* at unanimiter respondent *disiunctive* has intelligendas esse : Reiff, *h. t. n. 5.* Quare tres iure patronatus utuntur, quorum alter dotet, alter aedificet et tertius fundum conferat.

Sed notandum est ad effectum iuris patronatus acquirendi, *reaeclificationem* Ecclesiae penitus destructae, idem praestare ac *aedificationem,* in quo casu primus aedificans amittit et reaedificans ius patronatus acquirit, Fagnanus in *c. Quoniam h. t. n. 52* et Pirhing *h. t. n. S.* Qui auctores notant, nihil referre quod eadem materia et iisdem lapidibus Ecclesiam reaedificet, prouti advertit etiam Glossa in c. *Quoniam h. t. V. Fundatores.* Quare videtur potius Sodalitas ex titulo reaedificationis, ius patronatus in Ecclesiam sibi vindicare posse. Eo magis quod omnes doctores, post Concilium Trid. *Sess. 25 De reform, cap. 9,* docent, titulum iuris patronatus debere probari non tantum ex simplici praesumptione, sed ex authentico documento, quod in casu sane

deesse Sodalitati non videtur ob factum iam probatum reaedificationis : Reiff, *h. t. n. 15.*

Ex adverso Municipio unum saltem titulum suffragari ad ius patronatus sibi adiudicandum, in aprico est. *Fundus* enim in quo Ecclesia extructa fuit, prouti ultro Sodalitas concedit, a Municipio donatus fuit. Atqui hunc titulum de se iam conferre ius patronatus omnibus in confesso est.

Quapropter etsi admittatur Municipium, destructam Ecclesiam iterum non aedificasse, nihilo secius titulo fundationis innixum se Ecclesiae patronum traducere potest. Utrum vero et quatenus Municipium ipsam Sodalitatem compatronam habere debeat, postquam haec saltem concurrent in reaedificationem, iudicabunt EE. PP. Interim iuvat haec Reiftenstuel excribere verba *h. t. n. 10 : «* ... Imo si plures concurrant ad unum ex tribus modis vel causis allegatis v. g. ad *dotationem* erunt omnes simul, respectu huius tituli, *patroni* habentes aequale Iuspatronatus, etsi unus eorum plus contulerit ; dummodo omnes simul sufficientem praebeant dotem, ut notant doctores citati. Ratio est : tum quia hoc ipso quod ille qui plus confert, alium minus conferentem admittat, censetur velle communicare cum illo *Iuspatronatus.* Tum quia iura simpliciter dicunt, ex *dotatione* acquiri Iuspatronatus, non distinguendo an unus aut plures dotent. Idem est si plures concurrant ad *aedificationem vel fundationem ;* Abbas *loc. cit.* G-arcia *loc. cit. n. 53.* Idem dici, si plures concurrant ad reaedificandam Ecclesiam, penitus destructam etc. »

Hisce noviter adductis propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Pinnensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 23 Februarii 1895, censuit respondere: *sententiam esse confirmandam, salvo iure Municipii delegandi 'Bel Parochum,, vel alium Sacerdotem ad functiones peragendas in die festo S. Rochi et preces novendiales praecedentes.*

MONOPOLITANA

INTERDICTI IN PROCESSIONIBUS

Die 23 Februarii 1895.

Conc. ^rid. Sess. 25, c. 13.

COMPENDIUM FACTI. In oppido - *F asano* - Monopolitanae Dioecesis, cum plures iamdiu constitutae sint confraternitates, inter ipsas de praecedentia in processionibus aeris efferbuit controversia. Haec fuit occasio. Inter has antiquior est confraternitas a SS. Rosario nuncupata, quae proinde in processionibus, praecedendi ceteris sodalitatibus semper ius obtinuit, excepto SSmi Corporis Christi die festo, quo die in processione tunc solemniter ducenda, sodalitas SSmi Corporis Christi alias antecedere solet, ex iure ei recognito et confirmato ex Reali Rescripto *diei 23 Augusti 1843.*

Sub anno 1886 in eodem oppido Tertius Franciscalium Ordo institutus fuit, cui plane in processionibus laicales sodalitates praecedere competebat ; quo tamen iure pacifice uti non posse persenserunt, conclamantibus contra rerum novitatem sodalitatibus ; quare confratres Tertii Ordinis recursum habuerunt ad Episcopum pro suo tutando praecedentiae iure, sed Episcopo visum- est consultius eos vehementer hortari ut a processionibus abstinerent. Quousque Franciscales confratres Episcopi consilio obtemperaverint, ex actis indubie non videtur constare, sed liquet, res pacifice processisse hoc super negotio.

Anno 1888 etiam S. Dominici Tertius Ordo introductus fuit in oppido - *F asano* - a competente auctoritate, facta cuidam sacerdoti Petro Gaito, sodalitatis SSmi Rosarii Spirituali Directori facultate adscribendi Tertio Ordini confratres in huius sodalitatis ecclesia, in quam ius patronatus habet Vincentius Telesio, vir princeps. Episcopus rem habuit ratam.

At ex Tertii Ordinis S. Dominici in oppido - *F asano* - constitutione innumerae excitatae sunt lites praecedentiam in

SS. processionibus respicientes: en obiectum praesentis controversiae.

In primis visum est, sodalitatis SSmi Rosarii eam fuisse mentem impetrandi nempe institutionem Tertii Ordinis S. Dominici in propria Ecclesia, ut se eidem adscriberet ab eoque universa mutuaretur privilegia, quam ob rem posthac posset in processionibus et confratres Tertii Ordinis Franciscales ot SSmi Corporis Christi sodales antecedere, quippe huiusmodi praecedentiae privilegium competit S. Dominici Tertio Ordini. Contra huiusmodi intentionem a sodalibus SSmi Corporis Christi confraternitati SSmi Rosarii attributam ipsi SSmi Corporis Christi sodales ad S. C. recursum habuerunt. S. C. C. de more, pro informatione et voto, controversiae certiorem fecit Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum, cuius mentem S. Cong. significavit Procurator eiusdem Ordinis generalis, affirmans, toto coelo distare SSmi Rosarii sodalitatem a Tertio Ordine S. Dominici, qui in oppido - *Fasano* - nec confusi erant, nec poterant confundi. Episcopus quoque informationem requisitam obtulit Sacrae C. Congregationi; quae, re ita explorata, sub die 4 Iunii 1892 hoc dedit resriptum : « Relatis in S. Congregatione Concilii litteris tum Amplitudinis Tuae, tum Procuratoris generalis Ordinis Praedicatorum circa preces Sodalitatis SS. Sacramenti, loci vulgo - *F asano* - Eminentissimi Patres rescripserunt : Ex adscriptione Confratrum SS. Rosarii ad tertium Ordinem S. Dominici non sequitur, Sodalitium ius praecedentiae acquisivisse super aliis Confraternitatibus. - Idque notificari mandarunt, quod per praesentes litteras exequimur, eidem Amplitudini Tuae, cui fausta omnia precamur a Domino ».

Tunc Tertii Ordinis S. Dominici moderatores ad S. Rituum Congr. confugerunt hanc proponentes quaestionem: « An in processionibus, etiam in solemnitate Corporis Christi, Sodalitati Tertii Ordinis Sancti Dominici ius praecedentiae competat supra quascumque laicas Confraternitates, etiam a Sanctissimo Sacramento nuncupatas? »

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascri-

pti Secretarii, exquisito voto alterius ex suis Consultoribus, ita proposito dubio rescribendum censuit: « Affirmative ; dummodo ea sodalitas gaudeat privilegiis Tertii Ordinis et collegialiter proprio habitu incedat. »

Quocirca hinc inde vehementius exarserunt controversiae et irae, adeo ut etiam politica potestas ad praepediendas populares turbas debuerit de contentione notitiam assumere et diligenter prospicere publicae tranquillitati tutandae.

Sodales SSmi Corporis Christi apud S. C. C. instīterunt, ut tantae deordinationi aliquod afferretur remedium.

Interea idem Episcopus arbitratus est se rem componere posse per decretum, quo S. Dominici Tertii Ordinis confratribus partem in sacris processionibus habere vetabat.

Disceptatio Synoptica

SODALITII SSMI. SACRAMENTI IURA. SSmi Sacramenti Sodalitatis patronus in primis innuit quaestionem esse de facto potius quam de iure ; et facti adminicula et adiuncta iam sufficienter declarata fuisse confidit. Nam primo quidem, ait, in propatulo est Confraternitati SS. Rosarii, qua talis, nullo modo competere iura et privilegia Tertiariis concessa. Ut contrarium probari posset, demonstrari primum deberet omnes singulos confratres Tertio Ordini S. Dominici nomen dedisse, quod veritati conforme non est ; sed dato hoc etiam et non concesso, semper verum est Tertium Ordinem S. Dominici cum Sodalitate SSmi Rosarii nunquam confundi potuisse, uti testatus est Procurator generalis Ordinis P. P.

In probatis est igitur, prosequitur, non modo Confraternitatem, qua talem, non evasisse nec transformatam fuisse in Tertium Ordinem S. Dominici, sed nec id fieri quivisse, obstantibus disciplinis Ordinis S. Dominici, quae vetant Confraternitates et corpora moralia, collective sumpta, erigi in Tertium Ordinem, prouti S. C. C. iam definivit, nempe « Ex adscriptione confratrum SS. Rosarii ad Tertium Or-

dinem S. Dominici, non sequitur Sodalitium ius praecedentiae acquisivisse super aliis Confraternitatibus ».

Dein instat patronus quod, etsi Tertiarii S. Dominici separatum corpus efficiant independenter a Confraternitate SS. Rosarii, tamen ius non habent vindicandi praecedentiam in processionibus. Nec ipsis iuvare, ait, quoddam rescriptum S. Rituum Congregationis latum die 17 Martii 1893, ex quo eruere vellent competere eis ius praecedentiae etiam in processione SS. Corporis Christi, dummodo collegialiter incedant proprio habitu. Nam advertit, aliud est decernere de iuribus quae Tertiariis in genere competere possunt, aliud est decernere de iuribus quae Tertiariis S. Dominici competunt in oppido Fasani. Quod Tertiariis in genere nonnulla iura ac privilegia concessa sint, inter quae ius praecedentiae, ultra ac libenter concedit. Sed non competunt universa huiusmodi iura Tertiariis *Fasani* existentibus. *Fasani,* ex pacifica et non interrupta consuetudiue, Tertiarii cuiuscumque Ordinis ius nunquam habuerunt interveniendi in processionibus, ideoque nec praecedentiae iure nunquam gavisi sunt. De hac diuturna consuetudine testes citat Fasanenses cives universos, testem autem principem, Rmum Episcopum, qui in decreto, de quo controvertitur, inter ceteras motivas considerationes haec habet : quum Fasani ex consuetudine nunquam Tertiarii adsint processionibus ullis——nos ut tranquillitas ex hoc capite servetur, prohibemus eosdem umquam intervenire posse, ne scandala et dissensiones renoventur, quae aliis de causis locum habuerunt.

Iamvero, hoc posito, pergit orator, incassum ab adversariis obiiciuntur iura ac privilegia generatim concessa Tertiariis. Nemo enim est qui ignoret, consuetudini talem inesse vim, ut et legibus scriptis deroget, easque abroget : consuetudo enim et ipsa est ius. Quamobrem de S. Rituum Congregationis rescripto ita ratiocinatur. Aut rescriptum declaravit iura ac privilegia quae competunt Tertiariis in genere, aut prae oculis habuit in specie Tertiarios Fasanenses. Si primum, privilegium Tertiariorum interveniendi in processio-

nibus cum praecedentia sublatum est Fasani per contrariam consuetudinem ; si secundum, tum rescriptum irritum est utpote obreptitium et subreptitium, ex eo quod petentes consulto in precibus reticuerunt contrariae consuetudinis existentiam .

Dein notat patronus reapse in praesenti controversia non agi de iuribus in *abstracto* Tertiariis quibuscunque competentibus, sed quaeri an ob facti particularia adiuncta Episcopi decretum prohibitorium sustineri debeat.

Iamvero quod Episcopus potestatem habeat animadvertendi in ea quae disciplinam, pietatem, ordinem ac tranquillitatem spectant, nemo ibit inficias. Ipse, prout locus, tempus et occasio fert, ut ait Sacrosancta Tridentina Synodus, arcet scandala, in turbolentos ac facinorosos animadvertit, pacem fovet inter fideles, caussasque perturbationum removet. Quin. imo, nec tantum potest, sed vero etiam debet Episcopus pro suo munere haec omnia curare in dioecesi. « Generaliter dicam, in id omne graviter incumbere Episcopum et posse et debere, quod ad doctrinam fidei morumque tuendam servandamque, atque ad disciplinam dirigendam pertinent » Berardi Comm. in *Ius Eccl. I, dissert. 4, cap. II.* Hoc posito, ait, nulla alia ratione infirmari posse decretum diei 28 Novembris, nisi demonstratum fuerit ab adversariis, iustas gravesque causas defuisse de decreto ferendo. Huc autem re adducta, iam causa acta est, exclamat orator. Nam Episcopus in conspectu habebat confratres SS. Rosarii, qui non pietate, non divini cultus studio, sed ambitione moti, Tertio Ordini S. Dominici nomen dederant in eum finem, ut praecedentia super ceteris Confraternitatibus potirentur. Hoc palam iactitabant ; ad hunc finem consequendum lapidem omnem admoverant, adeo ut et ad brachium saeculare confugerant. Altera ex parte Confraternitates resistebant non ex eo quod minus reverenter se haberent erga institutionem Tertii Ordinis S. Dominici, sed quia meridiana luce clarebat, Tertium Ordinem *Fasani* institutum fuisse in odium et detrimentum piarum sodalitatum. Hinc odia, simultates, irae : hinc po-

pullis Fasanensis in duas partes divisus, quarum altera Confraternitatibus, altera Tertiariis favebat.

Interea adventabat dies processionis, solemnis Sacratissimi Corporis Christi, et civilis auctoritas, quo se vertere debuisset, nesciebat. Rogavit Episcopum ut rem componere valeret; sed cum id assequi nequivisset, primum prohibuit processionem, deinde sese in iudicem ecclesiasticum erexit, et confundens Tertiarios singulos cum Confraternitate SS. Rosarii, ac reputans Confraternitatem in Tertium Ordinem immutatam esse, post multos tractatus denique sententiam proferre autumavit, et oblitus controversiam iam definitam esse favore confraternitatis Sanctissimi Sacramenti, iussit processionem SS. Corporis Christi fieri cum praecedentia Tertii Ordinis.

Verum post haec, ipsa civilis auctoritas perspexit publicam pacem ac tranquillitatem facile perturbatam iri ; proindeque manum militarem obtulit. Interea Capitulum receptitiae Ecclesiae S. Ioannis Baptistae animorum concitationem animadvertens et impendentia pericula pertimescere, canonice congregatum, unanimi suffragio délibérât a processione abstinere. Atque ita ob resistentiam Tertiariorum S. Dominici, processio locum non habuit, concludit orator. Atqui in hisce rerum adiunctis, prosequitur, Episcopus non poterat permittere cruentam pugnam in solemni processione SS. Corporis Christi cum S. Mysterii contemptu et fidelium scandalo, nec poterat sinere e converso quod processio nunquam deinceps fieret ex culpa Tertiariorum. Fecit igitur Episcopus id quod pro suo munere facere debebat ; sustulit nempe tanti mali caussam, et suo decreto Tertiariis omnibus in processionibus intervenire prohibuit.

Exinde concludit patronus, Confraternitatem SS.Rosarii, *qua talem,* Tertiariorum iura ac privilegia vindicare non posse: nec Tertiariis, uti singulis, ius esse ex contraria consuetudine, quae *Fasani* viget, interveniendi in processionibus. Quamobrem Confratres qui ex adverso sunt, sive collective, sive singulariter sumpti, nullimode contra Episcopi

decretum insurgera possunt, quod a processionibus ex iustis et rationalibus caussis eos prohibuit.

TERTIARIORUM S. DOMINICI IURA. Ex adverso Tertii Ordinis S. Dominici patronus in primis advertit suis clientibus nunquam insedisse animo sibi vindicare huius Ordinis privilegia, ut eadem Sodalitati SSmi Rosarii communicarent, sed solummodo usque haec iura, legitimo modo acquisita tecta et sarcta voluisse, quae aliunde ipse Episcopus solemniter recognito suo Decreto eodem die dato quod aliud edidit praesentis controversiae obiectum. Hoc vero Decretum quod spectat, observat, quod causa iam ad sapientissimum iudicium Eminentissimorum Patrum delata fuerat, quum Episcopus decretum edidit. Hoc profecto contra compertissimam iuris disciplinam factum fuit, quae vetat quominus lite pendente quidquam innovetur.

Hisce positis, indubium esse ait, Sancti Dominici Tertiarios esse redintegrandos, iuxta notissimum illud « spoliatus, ante omnia restituendus ». Spolium praeterea, observat, summum laesionis fastigium attigisse, quia de praeeminentia tantum cum dimicaretur, Episcopus ad quaestionem radicitus praecidendam ius ipsum processiones ducendi Tertiariis ademit.

In quod propositum adnotat Orator, Episcopum falso existimare se in publicis supplicationibus tam absolutam potestatem habere, ut sibi liceat quamcumque sodalitatem semper ac pro lubitu, precario ac perpetuo admittere vel prohibere ; quod falsum esse probat. Nam fratres Tertii Ordinis in qualibet regulari militia, regularibus aequiparantur. Unde sequitur eorum societates longe aliis iuribus praestare, quam quibus utuntur laicalia sodalitia. Quod luculenter demonstrant tot Pontificiae Constitutiones, quae Tertiarios nedum probaverunt, sed et maximis exornaverunt privilegiis. Ac prae ceteris memorat SS. Pontificem Leonem XIII, quem Deus diutissime sospitet. Hic enim die 17 sept. 1882 Literas encyclicas *Auspicato,* de Tertio Ordine Franciscali propagando edidit, ac die 30 maii 1883 novam Constitutionem *Misericors Dei Filius* promulgavit, postremo adiiçiens : « Quo

facto, nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur, quam omnino volumus immutatam atque integram permanere ».

Exinde Orator postquam recoluerit, Regulares, etsi exemptos, nedum posse, sed debere in processionibus incedere, deducit quod si regulares et Tertiarii debent publicas supplicationes sequi, nefas Episcopo sit illas ab explendo debito prohibere. Ita de privilegio tertii Ordinis Crucem deferendi in exequiis et processionibus, recentissima est sententia S. C. Episcoporum et Regularium die 18 martii 1887 in Tricaricen. seu Ordinis Minorum Reformatorum, quam fuse recensent *Acta Sanctae Sedis* vol. XX, pag. 100.

Quinimo, instat, non modo Tertii Ordinis sodalitates ius habent in supplicationibus incedendi, sed nobiliori privilegio gaudent, nempe praecedentia super ceteris laicis, etiam antiquioribus. Hanc praeeminentiam compertissimam faciunt quamplures Sacrarum Congregationum decisiones, quas confirmat nuperrima in hac ipsa causa decisio S. Rituum C. coram qua disputatum fuit : « An in processionibus etiam in solemnitate Corporis Christi, sodalitati Tertii Ordinis S. Dominici ius praecedentiae competat supra quascumque laicas confraternitates, etiam a SSmo Sacramento nuncupatas » et S. C. respondit « *affirmative,* dummodo ea Sodalitas gaudeat privilegio Tertii Ordinis, et collegialiter proprio habitu incedat ».

Ceterum et ipse Antistes semel ac iterum Sodalium Sancti* Dominici praeeminentiam agnovit etiam supra Sodalitium SSmi Sacramenti quoties Ordinarius loci indulgeat, ut processionibus adsint.

Ad haec notat patronus, Regulares in processione Sanctissimi Sacramenti speciali privilegio frui, quod Gregorius XIII in Constit. 10 *Cum interdum,* § *2,* ita indulsit : «Universis et singulis clero et clericis, ac personis ecclesiasticis tam saecularibus quam Ordinum Religionum ac militiarum, Regularibus, ac etiam etc. liceat ipsis tam die ipsa Dominica infra octavam Corporis Christi, quam aliis totius Octavae praedictae diebus, Processiones suas celebrare etc.

Nec super eo .... Quomodolibet molestari, inquietari vel perturbari etc. tenore praesentium concedimus et permittimus ».

Nec in processione tantum Sanctissimi Corporis Christi, Regulares S. Dominici hoc privilegio utuntur, pergit Orator, sed in altera SS. Rosarii eadem gaudent potestate. Ita Card. Petra *tom. 5 Commentar, ad Const. XVIII Sixti IV num. 15 et 16.*

Dein patronus advertit, has facultates Regularibus fieri non tantum ad privatas processiones et intra claustra peragendas. Nam nec Constitutio Gregorii XIII, neque docti illius interpretes hanc distinctionem ediderant, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Pitonius haec habet *in Parergon ad discept, eccl. num. 58* — ibi — « Ceterum observabam quod contraria intelligentia ex aliis etiam considerationibus convincitur insubsistens, tum quia agitur de processione publica et solemni, quae nunquam celebratur intra Claustra, etiam per Regulares, quidquid sit de processionibus privatis— tum etiam quia Gregorius revocando Const. Pianam concessit celebrationem processionis in die Dominica, omnibus non solum Regularibus, sed etiam saecularibus, unde non potest dici intelligere voluisse de processionibus intra claustra, dum saeculares non habent claustrum ».

Sed etsi non extiterit hoc privilegium, patronus aeque contendit, Episcopum sua facultate prohibendi processiones uti non posse, nisi ex causa, et quidem ex causa rationabili. Alioquin provocationi ad S. Sedem aditus conceditur, quae vel licentiam iniungit, vel servari solitum rescribit. Quod confirmat verbis Ferraris *voc. processiones num. 10* - ibi - « Processiones ex devotione populi et Confratrum introductae, possunt ex causa ab Episcopo prohiberi. Sac. Cong. Rit. in Elboren. 14 Ianuarii 1617 ». Ac num. 26 et 27 - ibi - « Regulares in processionibus, quas ipsi faciunt extra claustra, egent licentia Episcopi.... Nisi pro aliquibus Processionibus habeant speciale privilegium.... Episcopi autem et parochi non debent denegare talem licentiam Regularibus, alioquin si denegetur recurritur ad Sedem Apostolicam, a qua rescri-

bitur Episcopo ut licentiam concedat, prout rescripsit Sac. Congr. Episc, in Papien. 11 Mai 1696 ».

Haec si ex iure explorata sunt quum agitur de negata quandocumque venia, prosequitur orator, multo magis urgent in interdicto perpetuo adversus omnes cuiuslibet Tertii Ordinis sodalitates.

Quia Episcopus in controverso Decreto ad consuetudinem provocat quam etiam laudabilem appellat, nempe non solere Tertiarios in sacris processionibus incedere, notat patronus sane haud laudabilem esse consuetudinem Sacris Canonibus contrariam; at vero hanc consuetudinem nunquam extitisse, nec in dioecesi Monopolitana, neque in aliis provinciae Neapolitanae locis. Quapropter recolit Orator, ex ephemeridibus, nuperrimas attestationes quibus evincitur Tertiarios maxima cum pompa in publicis supplicationibus incessisse.

Ad Monopolitanam dioecesim quod attinet, memorat patronus , quod Tertius Ordo S. Dominici in oppido *F asano* institutus fuit anno 1889. Post annum Episcopus decrevit a quolibet Sodalitio dandam esse praeeminentiam Tertio Ordini S. Dominici. Moderatores Tertii Ordinis ss. Francisci et Dominici, autumant nunquam vetitas fuisse processiones in civitate Monopoli.

Quum idem Episcopus in suo decreto Tertiariis obiiciat scandala reprobanda, patronus instat, nunquam nec anno 1893 neque annis superioribus, tumultus ac dissensiones animos exagitasse. Haec municipii magistratus testatur per epistolam ad provinciae Praesidem diei 26 Maii 1893 aiens: quamvis tumultus et seditiones timerentur, tamen tranquillitas plena servata fuit.

Documenta igitur, iuxta patronum, demonstrant scandala et iurgia fuisse ab adversariis conficta, quae tamen, ait, etsi vera fuissent, iustum ac dignissimum episcopalis auctoritatis erat, animos potius sedare, violentiam coercere, in perduelles animadvertere, quam iura contemnere et Tertiarios tantum ab omnibus processionibus perpetuo prohibere. Patronus instat, se intelligere non posse, qua de causa hi iurgia et dissen-

siones provocare debuissent. Non de praeeminentia, quam Sacrae Congregationes, ac ipse Episcopus constituerunt et Tertiariorum sodalitas a se abdicare non posset. Non ob ambitionem vel aemulationem, nam qui iure suo utitur, nemini iniuriam facit.

Unde concludit Orator potius de sodalitate SS. Corporis Christi iurgia timenda esse, quae a S. Ordine Vestro, postulavit : aut deleri tertium ordinem s. Dominici, et quemlibet alium . . . . . aut si supersint, fas eisdem non sit egredi extra proprias ecclesias, ne publica turbetur fidelium tranquillitas.

Post haec patronus causam actam esse affirmat, tamen, pro corónide resumit nuperrimam decisionem S. Congregationis EE. et RR. in causa Sypontina seu Tertii Ordinis S. Francisci latam anno 1892. Quaestio haec erat. Viget in civitate Syponti sodalitas Tertii Ordinis S. Francisci. Haec haud semel ius vindicaverat publice et sub propria cruce ab ecclesia egrediendi, ut associationem perageret defunctorum confratrum, et processionibus interesset. Obstiterat Archiepiscopus, tum quia id ab institutione societatis alienum putabat, tum quia in parva civitate quatuor erant confraternitates, ac propterea dissensiones erant expectandae. Sacra Congregatio, de more, rescripsit « P. Procuratori pro informatione et voto ».

Cuius voti haec verba refert Orator, nempe « Rmus quidem Archiepiscopus Sypontinus timet ne difficultates exoriantur cum aliis eiusdem civitatis confraternitatibus ; sed si Rmus Ordinarius uti par est praefatas S. Sedis decisiones prudenter et opportune manifestet, omnes lites praecaveri facile poterunt, et ceterarum piarum Confraternitatum sodales, sicuti omnes veri nominis catholici, obedientiam praestabunt, ac dicent : Roma locuta est, causa finita est ». Dubia demum proposita fuerunt.

« I. Utrum et quomodo Confraternitas Tertii Ordinis saecularis S. Francisci erecta in civitate Manfredoniae possit egredi extra ecclesiam ad associanda cadavera confratrum et crucem propriam prae se ferre in casu ?

Et quatenus affirmative :

« IL Utrum praedicta Confraternitas habere possit praecedentiam prae ceteris confraternitatibus, iam existentibus in casu ?

« III. Utrum et quomodo eadem Confraternitas dependere debeat a iurisdictione Archiepiscopi in casu ?

Et Sacra Congregatio respondit:

Ad I. *Affirmative, eum proprio veocillo. . . . .et habitu Tertii Ordinis. . . . . . .*

Ad IL *Affirmative.*

Ad III. *Affirmativee exceptis iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant. . . . .*(1)

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sustineatur Decretum editum a Rmo Episcopo monopolitano die 28 Novembris 1893, de Fratribus Tertii Ordinis S. Dominici a processionibus inhibendis in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 23 Februarii 1895, censuit respondere: *Decretum Episcopi non sustineri, et ius esse tertio Ordini s. Dominici interveniendi et praecedendi in processionibus, quoties cum proprio habitu et collegialiter interveniant ; seclusis omnino, qui regulariter eidem tertio ordini non sunt adscripti.*

Ex QUIBUS COLLIGES. Tertiarios frui privilegio interveniendi et praecedendi in processionibus quibuscunque laicorum; Tertium vero Ordinem s. Dominici etiam Tertium Ordinem s. Francisci praecedere debere in processionibus.

(I) Recole Vol. XXV, 238

NICIEN.

CANONICATUS

Die 5 Aprilis 1895.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1820 volvente, pius sacerdos Eugenius Spitalieri di Cessole in civitate Niciensi Hospitium a Providentia nuncupatum pro puellis in periculo mundi versantibus erexit aptisque statutis, etiam regia approbatione roboratis munivit.

Iuxta haec statuta Hospitii administratio constat Episcopo pro tempore et duobus Consulibus civitatis quibus ex decreto praefectitio progressu temporis additum est unum ex membris familiae fundatoris. Variis deinde articulis administrationis munera determinantur et signanter art. 9 edicitur, quod administrationi spectat deputare virum integritate morum, prudentia et charitate commendabilem et quoad fieri potest ecclesiasticum, ceu Operis *Protectorem,* cuius officium sit art. 14 et 15 Instituto eleemosynas procurare, redituum exactionem urgere, et exeuntes puellas honeste collocare. Protectoris munus ad vitam primum obtinuit ex regio decreto diei 11 Iulii 1820 ipse Fundator di Cessole.

Elapsis 17 annis ab Hospitii fundatione anno nempe 1837 quaedam pia mulier Angela Pazeri, vidua Ioannis Blanchi d'Aiglun in Cathedrali Niciensi canonicatum instituit annui reditus libell. 600, ad ipsum vocato *Rectore pro tempore* memorati Hospitii ; et servans sibi, quoadusque vita frueretur, ius ad nominationem, fundatrix voluit, ut post mortem suam haec nominatio perficeretur a Capitulo, praevia praesentatione trium candidatorum, facienda ab administratione Pii Operis seu Hospitii Providentiae : deinde designatis qualitatibus habendis a candidato, quas inter ut ipse exnle-

veri t quadragesimum aetatis annum, et oneribus novo canonico imponendis, ad hunc canonicatum, eodem instrumento institutionis, elegit Aloysium Bres iam honorarium canonicum eiusdem Cathedralis.

Illico post mensem Episcopus Niciensis devenit ad decretum erectionis canonicae praefati beneficii, simul ratam habens nominationem factam a fundatrice ; sed in Bulla erectionis nulla mentio expressa facta fuit, sive de iure activo favore Rectoris pro tempore, supra memorati Hospitii, sive de praesentatione trium Candidatorum facienda ab Administratione Hospitii.

An. 1841 die 12 Ianuarii Aloysius Bres canonicatum resignavit, et acceptata a Fundatrice resignatione, eodem actu ipsa nominavit ad vacantem canonicatum fratrem germanum resignantis, nempe Iosephum Bres : defuncta die 13 Octobris eiusdem anni fundatrice, Capitulum Cathedralis noluit admittere ad canonicatum sacerdotem Bres et quaestione proposita apud S. Congreg. Episcoporum et Regularium hac die 7 Feb. 1845 rescripsit deveniendum esse ad novam nominationem « *ita ut in praesentatione trium Candidatorum ab administratione Pii Operis Providentiae recenseatur loseph Bres cum dispensatione super defectu aetatis* ».

Ad huius resolutionis tramitem fundator de Cessole tres Candidatos Capitulo praesentavit, quod die 20 Martii ad canonicatum nominavit D. Iosephum Bres. Interim die 28 Martii 1864 sacerdos di Cessole diem vidit supremum et in officium Protectoris Hospitii ei suffectus fuit canonicus Ioseph Bres, quod retinuit usque ad eius obitum die 2 Septembris 1893.

Commissio administrativa Hospitii, innixa art. 9 statutorum, rata se non tenere, ad praesentationem trium candidatorum, ita devenit ad nominationem novi Protectoris et canonici die 10 Novembris 1893. « *Commissio Administrativa Hospitii a Providentia nominat Rmum D. Iosephum Fabre* (Vic. Gen. Episcopi Niciensis) *Prot actorem Hospitii cum iure exclusivo ad canonicatum d'Aiglun, eique assi-*

gnat libel. 1600 declarans in hac summa reditus canonicatus contineri ».

In sequelam huius nominationis sacerdos Fabre petiit admitti inter canonicos Capituli Cathedralis : sed acriter obstitit Capitulum obtendens 1.° Canonicatum d'Aiglun non esse adnexum officio Protectoris Hospitii, sed officio Rectoris seu Directoris Spiritualis eiusdem Hospitii. 2.° Sibi spectare nominationem ad eundem canonicatum, praevia praesentatione trium candidatorum ex parte administrationis Hospitii, et consequenter nominationem sacerdotis Fabre nullam esse : e contra administratio innixa supra relato art. 9 statutorum et sacerdos Fabre qui tamen postea a lite recessit, contendebant canonicatum esse adnexum officio Protectoris et administrationi ; minime Capitulo, spectare nominationem ad eumdem : utraque pars suum delegit patronum.

Disceptatio Synoptica,

IURA ADMINISTRATIONIS HOSPITII. Huius Defensor primo contendit canonicatum d'Aiglun adnexum esse officio Protectoris Hospitii, ita ut administratio nominando Protectorem censeatur etiam nominasse ad canonicatum. Sane compertum esse dicit, sacerdotem de Cessole Regio Decreto Protectorem Hospitii ad vitam designatum fuisse, et fundatricem Angelam Pazeri instituisse canonicatum favore Rectoris *pro tempore* Hospitii. Iam vero subdit patronus hae duae personae ad invicem non distinguuntur et probat epistola eiusdem fundatricis diei 11 Iunii 1837, in qua declarat morti sacerdotis di Cessole consulere velle instituendo canonicatum favore Rectoris *pro tempore,* qui ei succedei in administratione Hospitii. Si ergo, concludit patronus, sacerdos di Cessole erat Protector Hospitii, et ille qui succedit in officio est Rector *pro tempore,* clarum per se est quod Rector et Protector non sunt nisi *una eademque persona.*

Quin aliquid in contrarium facessat quod vivente di Cessole, canonicatum alter obtinuit siquidem, respondit patronus, haec separatio fuit temporanea et cessavit morte prae-

fati sacerdotis di Cessole : aliunde haec est exceptio, facta pendente vita fundatricis, et notum est adagium quod *exceptio firmat reg alam in contrarium.*

Tandem observat Defensor, quod si haec separatio admitteretur, nedum Hospitium novis expensis oneraretur, sed quod magis est, adesset in administratione nova persona quod est contra Hospitii statuta quae taxative membra dirigenda designarunt.

Firmato quod canonicatus est adnexus officio Protectoris, Defensor transit ad inquirendum de relativo iure nominationis. Praemittit quod Hospitii administratio iuxta art. 9 Statutorum ius habet absolute et simpliciter Protectorem nominandi ; quod ita est exclusivum, ut pro nominatione sacerdotis di Cessole, ex parte Supremi Principis, in Protectorem, opus fuit regia derogatione statutorum. Hoc admisso pergit patronus, profecto explicari non posset hoc ius in administratione cum obligatione, ceu vult Capitulum, ei praesentandi tres candidatos pro nominatione ad Canonicatum officio Protectoris adnexum : hinc cum iuri quaesito administrationis opponatur conditio apposita a fundatrice d'Aiglun, haec ceu nulla haberi debet, ad instar nonnullarum conditionum adiectarum in contractibus quae vitiantur et non vitiant.

Invocatam autem ex adverso decisionem S. Congregationis Episcoporum et Regul. diei 7 Febr. 1845 dicit non facere ad rem. Ibi agebatur de invalidanda nominatione facta a fundatrice post resignationem Canonicatus d'Aiglun, emissam ab Aloysio Bres : et administratio neque vocata fuit in causa neque audita ; proinde edita sententia ipsam attingere non potest iuxta illud iuridicum effatum « *res inter alios acta, nobis nec prodesse\, nec nocere potest* ».

Multo minus, pergit Defensor praetensum Capituli ius convalidari potest ex facto sacerdotis di Cessole qui, occasione nominationis ad canonicatum Iosephi Bres, tres candidatos Capitulo praesentavit, quasi administratio suum ius abdicasset, et praescriptio favore Capituli incoepisset : Di

Cessole enim uullum mandatum ad hoc habuit ab administratione ; proinde cum egerit suo nomine, praeiudicare non valuit administrationi ; quoad invocatam praescriptionem respondet, eam subsistere non posse neque in iure neque in facto : non iure quia praescribi nequit quod supremus Princeps sibi reservavit, non in facto quia deficit decurrentia temporis, quod effluere coepit an. 1860, quo Niciensis civitas Galliae adnexa fuit, et existentia legalis Hospitii, regii decreti productione, statuta et declarata fuit.

Demum non omittit revelare damna et pericula quae exoriri possint ex praetensi Iuris admissione in Capitulo. Primo cum saepe saepius ab administratione Gubernio exhibenda sint statuta pro sanciendis suis actibus, Gubernium facile hanc immutationem in nominatione Protectoris cognoscere valet et hinc occasionem nancisci incorporandi Hospitium, nunc independens, officio vel administrationi publicae beneficientiae Niciensis. Secundo ex testamento fundatoris di Cessole eius haeres ius habet invigilandi, ut appositae Hospitio conditiones serventur ad unguem, et in casu quod hae negligatur sibi bona Hospitii vindicandi : proinde ex nova introducta ratione eligendi Protectorem facile ipse exurgere posset ad bona legata repetenda.

IURA CAPITULI. EX adverso qui rationes Capituli sustinet praemittit quod praetensio administrationis Hospitii est prorsus nova : siquidem nemo ante mortem canonici Bres umquam dubitavit quod nominatio ad canonicatum Capitulo pertineret, praevia praesentatione trium candidatorum, ipsa administratione comprehensa ceu patet ex eius deliberatione diei 20 Ianuarii 1885 : at mortuo canonico Bres, administratio, revoluto pallio, nullam declarat praefatam deliberationem et ius quod non habet réclamât, cum ipsum exclusive ad Capitulum spectare evincat nedum actus fundationis canonicatus, sed etiam ipsa erectio canonica. Unde deducit, quamcumque electionem factam contra praescriptam formam esse omnino nullam.

Hisce praemissis, contendit canonicatum d'Aiglun insti-

tutum esse non favore Protectoris, sed Rectoris *pro tempore* Hospitii, ceu innuunt clare tabulae fundationis : hunc autem esse personam omnino distinctam a Protectore arguit, tum ex obligationibus impositis a fundatrice novo canonico, quae sunt omnino distinctae ab officiis quae iuxta statuta gravant Protectorem, tum ex diversa missione utriusque. Rector nam directionem spiritualem habet, sacramenta administrat puellis easque erudit in religione dum Protector invigilat rectae rationi oeconomicae et disciplinae Hospitii. Deinde officium Rectoris, utpote canonicatui adnexum, est ad vitam, e contra Protectoris potest esse etiam ad tempus : ad illud nominari debet semper persona ecclesiastica, ad hoc etiam laica iuxta statuta. Proinde, concludit, cum Rector et Protector sint personae omnino distinctae, nil mirum si etiam adsit diversa methodus eas nominandi.

Expendens autem fundatricis epistolam diei 11 Iunii 1837 ex adverso oppositam, nullo in calculo habendam esse censet, quia cum fere duobus mensibus sit posterior actui fundationis hunc variare non poterat, neque ullo in calculo habuit Curia dioecesana quando an. 1843 ei exhibita fuit.

Sed detur in hypothesi adversariorum quod persona vocata ad Canonicatum non sit nisi Protector Hospitii, non ideo iuxta patronum sequeretur quod Capitulo remaneret tantum ius investiendi ad canonicatum. In hac enim suppositione haberetur conflictus inter statuta ex una parte et actum fundationis ex alia : iam vero neuter ex his prohibet quominus cumulata officia in una persona separari queant ; quin imo haec separatio -attributionum ex ipsa rerum natura suadetur, tum quia una persona non potest omnia explere, tum quia officium superioris in communitate parum conciliari potest cum officio Directoris Spiritualis : hinc in supposito casu ad separationem officiorum iuxta Defensorem esset deveniendum.

Sed urget defensor, detur etiam quod officium Protectoris sit absolute inseparabile ab officio Rectoris, ut ita his investiri debeat una tantum persona : in hac hypotesi tantum

duae viae adsunt ad evitandum conflictum inter statutum Hospitii et tabulas fundationis canonicatus, nempe vel moderatio articuli 9 statuti ad salvandum canonicatum, vel relinquere seu renunciare Canonicatui ad statutum manutenendum : prima via non videtur Defensori impossibilis : non enim agitur de deroganda lege generali proprie dicta in bonum comunitatis iussa, sed de temperando simplici statuto privati instituti, quod'urgente necessitate optime moderationem pati potest, et iam passum est quando in administratione quarta persona .est introducta nempe haeres fundatoris. Si vero administratores aliam viam inire volunt, tunc valedicendum erit canonicatui d'Aiglun, qui consequenter remanebit purus et simplex canonicatus, absque honore complendi officium spiritualis Directoris in Hospitio.

Progrediens Defensor ad refutandam theoriam de conditionibus impossibilibus, ex adverso productam, dicit quod haec male in casu applicatur ; siquidem ea locum habet in testamentis, et inter contractus tantum- in matrimonio, non in actibus inter vivos, qualis censeri debet actus fundationis canonicatus d'Aiglun : sed deinde etiamsi admitteretur theoria adversariorum, consequentia semper esset favorabilis Capitulo, quia posita impossibilitate conditionis adiectae a fundatrice, donatio ab ea facta Hospitio corrueret, et sic remaneret simplex et purus canonicatus in Cathedrali, absque honore speciali curandi bonum spirituale Hospitii.

Ex hucusque expositis Defensor infert nihili faciendos esse inanes timores, vel terricula obiecta ab administratione vel de cessatione independentiae Hospitii et eius incorporationis officio publicae beneficentiae, vel de vindicatione bonorum Hospitii ex parte haeredis fundatoris : non enim res est de violatione statutorum, vel de immutatione radicali Instituti, sed de simplici moderatione articuli 9 statuti obtinenda a competenti auctoritate : hinc in memoriam revocato quod ius Capituli innititur, nedum pacifica et non interrupta possessione, plus quam quinquennium, sed etiam aliis solemnioribus titulis quales sunt, actus fundationis, de-

cretum erectionis canonicae, et solemne iudicatum S. Congregationis Episc, et Regul. concludit implorans decisionem seu declarationem, sub utroque puncto Capitulo favorabilem, nempe canonicatum adnexum esse officio distincto Rectoris pro tempore Hospitii et Capitulo spectare nominationem, praevia praesentatione trium candidatorum.

Sic partium rationibus compendiatila relatis, proposita sunt enodanda sequentia

Dubia

I. An canonicatus d'Aiglun rite erectus in Cathedrali Niciensi haberi debeat adnexus officio Protectoris, vel potius illi distincto Rectoris, seu Directoris spiritualis Hospitii a Providentia in casu.

II. An et quomodo Capitulo Cathedralis eiusdem competat ius nominandi ad dictum canonicatum in casu ?

RESOLUTIO. Sacra Congr. Episc, et Regul. re mature discussa, sub die 5 Aprilis 1895 respondit.

Ad I. *Affirmative quoad Protectorem, negative quoad Cappellanum vulgo Aumônier.*

Ad II. *Affirmative, ita ut Capitulum ius habeat exigendi praesentationem candidatorum tantummodo in casu quo Protector, sive Rector praesentari nolit, vel non habeat qualitates requisitas a fundatore ; quatenus autem Protector praedictas qualitates habeat et canonicatum consequi velit, eligi debeat a Capitulo tamquam passive vocatus.*

VELITERNEN. Quoad praxim non genuflectendi ad verba *et incarnatus est* in *Credo.*

Cathedralis Basilicae Veliternae Caeremoniarum Praefectus, qui iuxta Constitutiones Capitulares curare debet, ut omnia quae ad Caeremonias attinent rite ac recte ab omnibus peragantur, Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime exposuit, nimirum : « In choro diebus festis adsunt, praeter Canonicos, Beneficiati et Ven. Seminarii Alumni. In Missa solemni, ad *Credo*, omnes Symbolum recitant cum celebrante, simulque ad verba « Et incarnatus est... » genuflectunt. Absoluta recitatione, omnes sedent. Cum deinde cantatur praedictus versiculus « Et incarnatus est » Beneficiati et Seminarii Alumni sedentes non faciunt ad eadem verba alteram genuflexionem. Et haec praxis duobus abhinc annis obtinet, vi resolutionis sumptae in Collatione Casuum moralium et liturgicorum, habita die 20 mensis Iulii anni 1893, praeside Rmo Dno Episcopo Suffraganeo et Vicario Generali adstantibus Canonicis, Beneficiatis et Seminarii Alumnis, qui disciplinis Theologicis vacant. Inde postulavit :

« An servari possit huiusmodi praxis non genuflectendi prout in casu? »

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus attente consideratis, rescribendum censuit: *Affirmative*, iuxta Decreta in *Neapolitana* 15 Februarii 1659, et *Maioricensi* 13 Februarii 1677 (1) et praxim

(i) In commodum lectorum en quod ad rem facit.

NEAPOLITANA

Die 13 Februarii 1659.

Dubium 2um. An, dum cantatur Symbolum a Cantoribus, attenta consuetudine, quod ad versum: ***Et incarnatus est*** etc., Canonici caput inclinent, reliqui vero inferiores genuflectant, etiam celebrans, si fuerit e numero Hebdomadariorum, genuflectere teneatur?

Basilicarum Urbis. Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 15 Iunii 1895.

CAL Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. gg S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secret.*

DECRETUM. SANCTI MINIATI. Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Theophili a Curte sacerdotis professi Ordinis Minorum sancti Francisci de observantia.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Usque adeo, virtutibus in exemplum excultis et charismatum supernorum praestantia Venerabilis Theophilus inclaruit, ut, vel eius aspectu, ad pietatem homines passim componerentur. Qui enim, Apostolo singularem in modum obsequutus, *proximo placere in bonum ad aedificationem* sategerat, et maiora in dies *incrementa* protulerat *frugum iustitiae suae;* eundem in-

***Responsum* ad 2um, Ad versum, *Et incarnatus est* etc., omnes, nec excepto Episcopo, teneri genuflectere, quandocumque stantes incidant in illa verba: *Et incarnatus est* etc. tum si ab ipsis ore proferantur, tum si a cantoribus cananlur, vel etiam si sedeant, in ipsa Nativitatis die, nec non Annunciationis B. M. V. festo. Ceteris vero diebus indiscriminatim sedentes omnes, nemine excepto, teneri caput detectum inclinare. Nec eo casu locum habere dispositionem Caeremonialis, quod, caput inelinantibus Canonicis, inferiores genuflectant.**

MAIORICEN.

Die IS Februarii 1677.

2°. Ad versum: *Et incarnatus est* etc. omnes, nec excepto Episcopo, teneri genuflectere, quandocumque stantes incidant in illa verba: *Et incarnatus est* etc. tum si ab ipsis ore proferantur, tum si a cantoribus cantenlur; vel etiam si sedeant, in ipsa Nativitatis die, necnon in Annunciationis B. Mariae festo.

Ceteris vero diebus indiscriminatim sedentes omnes, nemine excepto, teneri caput detectum inclinare. Nec eo casu locum habere dispositionem Caeremonialis, quod caput inclihantibus Canonicis, inferiores genuflectant, prout etiam alias resolutum fuit per eamdem S. C. in una Neapolitana *die 15 Febr. 1659.* Et ita decrevit et servari mandavit.

colae Corsicae ubi Curiae ortum habuit, Franciscalium Minorum familia cui nomen a teneris dedit, gentesque Etruriae quam potissimum, caritate adactus, pervigili animarum zelo fecit illustrem, mirum sane quantum veneratione suspicerent et prosequerentur amore. Immo, fama ad ceteros etiam populos diffusa, eum, dum vita adhuc suppeteret, sanctum nomine et Christi imaginem referentem certatim compellare, omnibus in more fuit. Nec defuere viri dignitate conspicua, qui Theophilum cum Beato Thoma a Cora saepenumero conferrent, quem non modo sibi societate coniunctum et moribus similem, sed etiam laborum comitem et fortitudinis aemulum fuerat nactus. Nam qua scelestis hominibus ad meliorem mentem revocatis, qua religiosis Recessibus christianae perfectioni arctius addictis, qua innumeris omne genus aerumnis invicto animo contemptis, id unum habuit in optatis, quo Ecclesiae dire tunc temporis lacessitae adiumento et solamini evaderet. Quod eiusmodi obtigit, ut caeleste quoque prodigiorum testimonium famuli Dei sanctitati fidem cummaxime comparasse diceretur. Haec vero opinio ut continenter succresceret et aleretur, mors ipsa fecit, quam placidissimo exitu, in oppido Phiceclo magis magisque cumulatus meritis Venerabilis Theophilus oppetiit, xiv calendas iunias anno millesimo septingentésimo quadragesimo. Inoleverat siquidem magnamque fiduciam ingesserai sententia, nihil non expectandum a Deo, qui iure conceptam in servi sui ad supernam patriam evecti suppetiis spem populorum, apud pretiosas praesertim eiusdem exuvias, haud paucis obfirmaverat miraculis. Quo factum, ut, ad virum merentissimum Beatorum honoribus augendum, vitae eximie actae monumentis in examen omnimoda, qua par erat, iudicii gravitate adductis, iis caussa proficeret auspiciis penes Sacram Rituum Congregationem, quibus permotus Pius VII, vix a triennio post quinquennale exilium, universo catholico nomine plaudente, ad Romanam Sedem redux, Venerabilem Theophilum illis accensendum, quorum virtutes heroicum adeptae sint fastigium, solemniter pronunciaverit, die nascenti Deiparae sacro, vi idus septembres anno millesimo octingentesimo decimo septimo. Ut autem, sanctimonia penitus adserta, veritas etiam enucleate vindicaretur prodigiorum, quae populi, eius opem et interventionem apud Deum sibi advocantes, Theophilo tribuere non destiterant, disquisitionibus ad iuris normas feliciter initis, de binis speciatim miraculis, qua-

druplici actione rite confecta, est disceptatum. In comitiis nimirum' antepraeparatoriis vi idus maias anno millesimo octingentesimo nonagésimo secundo habitis in Aedibus cl. me. Cardinalis Aloisi Serafini, Causae Relatoris; in duobus conventibus praeparatoriis ad Palatium Apostolicum Vaticanum coactis, x calendas maias posteriore anno millesimo octingentesimo nonagésimo tertio ; et deinceps, quaestione tutius instaurata, hoc vertente anno millesimo octingentesimo nonagésimo quinto, XVIII calendas februarias ; ac demum in coetu generali coram Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII ad Vaticanum indicto, eodem anno, postridie calendas apriles. Hac vero postrema in Congregatione Rmus Cardinalis Vincentius Vannutelli Causae Relator, in Cardinalis Serafini e vivis erepti locum suffectus, dubium ad discutiendum proposuit : *An, et de quibus miraeulis constet in casu et ad efectum de quo agitur?* Atque omnes qui interfuere Rmi Cardinales ceterique Patres Consultores suffragium singuli ediderunt Beatissimus vero Pontifex Maximus LEO XIII, quamvis, Sui quid iudicii robore probaret satis innuerit ; pro rei tamen pondere, a Patre luminum impensius exoraturus divinae sapientiae praesidium, sententiam Sibi adhuc differendam censuit.

Hodierno autem die auspicatissimo, qui anniversariis solemnibus Christi in coelum ascendentis festus incidit cunctandum diutius non esse duxit, quin supremum testimonium accederet miraculis, ad causam provehendam allatis Venerabilis Theophili, qui singulari in Christi triumphos amore praestiterat; ut, non sine providentis Dei consilio, nostris hisce tempestatibus Fidei vel maxime infensis, novam miraculorum facem demirati ad coelestia animi vehementius assurgerent. Sacro igitur religiosissime peracto, hanc Vaticanam aulam adiit, solioque Pontificio assidens, Rmos Cardinales acciri iussit Caietanum Aloisi-Masella S. R. C. Praefectum, atque Vincentium Vannutelli Causae Ponentem, nec non R. P. Augustinum Caprara Fidei Promotorem, meque insimul infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus edixit : *Constare de duobus propositis miraculis j* scilicet de primo: *lnstantaneae perfeetaeque sanationis puellae Iosephae Aleati a diuturna coxalgia, gravissimis stipata symptomatis ;* atque de altero : *lnstantaneae perfeetaeque sanationis Francisci Tognetti ab inveterata paraplegia, e sclerotica myelitide orta.*

Hoc insuper Decretum evulgari et in S. R. C. acta referri mandavit, x calendas iunias anno millesimo octingentesimo nonagésimo quinto.

G. CARD. ALOISI-MASELLA *Praefectus.*

L. œ S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

DECRETUM ^VESTMONASTERIEN. Confirmationis cultus venerabiiium servorum Dei Hugonis Faringdon, Ricardi Whiting, Ioannis Bechii, Rogerii lames, Ioannis Thorn, Gulielmi Eynon, Ioannis Rugg ei Hadriani Fortescue et servi Dei Thomae Percy in Anglia pro fide interemptorum.

Avitae Anglorum fidei et Catholicae Religioni faustissima illuxit dies vigesimanona decembris, anno millesimo octingentesimo octogesimo sexto, qua, per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII cultum confirmavit antiquiorum Angliae Martyrum, qui ab anno 1535 ad 1583 pro Fide Catholica et pro Romani Pontificis Primatu occubuerunt, eorum praesertim quorum passiones auctoritate Gregorii XIII Pontificis Maximi in templo SSmae Trinitatis de Urbe olim depictae, anno 1584 cum privilegio eiusdem Pontificis et apposito titulo, aere cusae sunt. Quum vero in praelaudato Decreto tantum quinquaginta quatuor Beati nominatim inscripti fuerint, Archiepiscopus Westmonasteriensis aliique Britanniae Praesules, tum sua tum cleri plebisque fidelis vota depromentes, ab eodem Sanctissimo Domino-**Mostro** enixe efflagitarunt, ut Beatis iam recensitis eos etiam, quos cum illis una fides ac causa in extremo certamine sociaverat, per novum Decretum pari titulo atque honore decorandos, adnumerare dignaretur, nimirum Venerabiles Dei Servos: Hugonem Faringdon, Riccardum Whiting et Ioannem Beche, Abbates Ordinis S. Benedicti, Rogerium lames, Ioannem Thorn, Guglielmum Eynon et Ioannem Rugg Monachos eiusdem Ordinis ; necnon Servum Dei Thomam Percy, Comitem Northumbriensem, qui oblatos cum vita honores, si modo descisceret a fide, martyrio fortiter posthabuit. Asserebant enim ex certis Armisque argumentis in medium prolatis constare hos omnes in vera Christi Ecclesia edoctos: *Quae sunt Caesaris Caesari, et quae Dei Deo esse reddenda,* superna gratia et apostolico exemplo robora tos, debitam ipsi Deo **3t** non hominibus obedientiam una cum sanguinis effusione prae-

stitisse, eodemque in censu habendos esse ac ceteros Martyres Anglos, quorum cultus per enunciatum auspicatissimum Decretum ab Apostolica Sede recognitus ac probatus fuit. Quas humillimas preces iidem Sacrorum Antistites speciali quoque postulatione cumularunt rogantes, ut praedictis Venerabilibus Servis Dei Ordinis S. Benedicti et perillustri Viro Servo Dei Thomae Percy adiungi possit Venerabilis Hadrianus Fortescue, Hierosolymitanus Eques, qui, ob constantem fidei Catholicae confessionem, capite plexus die 8 Iulii 1539, ab eodem Sacro Ordine Militari et in Insula Militensi antiqua ac publica religione praecipue colitur. Hanc porro Causam cognoscendam et discutiendam una cum Ordinario Processu in Anglia constructo aliisque authenticis documentis ad rem pertinentibus Sanctissimus Dominus Noster peculiari Coetui aliquorum S. R. E. Cardinalium, necnon Praelatorum Officialium Sacrorum Rituum Congregationis, nuperrime confirmato ac renovato, benigne commisit; praevia exegesi per R. P. D. Augustinum Caprara S. Fidei Promotorem exaranda. Quo Coetu in particulari Congregatione die VII vertentis mensis et anni ad Vaticanum coadunato, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Angelus Bianchi, Episcopus Praenestinus et Causae Relator, sequens proposuit dubium : *An, propter peculiaria Romanorum Pontificum ac ipsius Leonis Papae XIII indulta, relate ad antiquiores Angliae Martyres, qui ab anno 1535 ad 1583, pro Fide Catholica et pro Romani Pontificis in Ecclesia Primatu mortem obierunt, constet de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII in casu, et ad effectum de quo agitur Ì* Emi porro ac Rmi Patres una cum Praelatis Officialibus, audito scripto et voce praelato S. Fidei Promotore, reque accurate discussa ac perpensa quoad novem recensitos Martyres, respondendum censuerunt « *Affirmative seu constare de casu excepto* ». Super quibus omnibus, facta Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, fideli relatione; idem Sanctissimus Dominus Noster sententiam Sacrae Congregationis Particularis approbare dignatus est, die 13 Maii 1895.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. C. R. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. C. R. Secretarius.*

DECRETUM. PERUSINA. Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Iacobo a Querceto Sacerdoti professo ordinis Eremitarum s. Augustini beato nuncupato.

Iacobus a Querceto, intra fines Perusinae Archidioeceseos haud ignobili oppido, exeunte fere saeculo decimo tertio ortum habuit. Ingenuus ac pius iuvenis, pueritia vix exacta, mundana spernens oblectamenta et divino flagrans ardore in Perusinum Coenobium Augustinense SS. Philippi et Iacobi secessit, ibique in Eremitanam Familiam, communi religiosorum laetitia, circa annum MCCCIV cooptatus fuit. In illo regularis observantia, rigorosa abstinentia, assidua oratio, illibata virginitas aliaeque egregiae virtutes mirabililer praefulserunt. Hanc vitam in Deo absconditam, sanctissime actam et aetate gravem anno MCCCLXVI piissime deposuit. Namque constans traditio id contigisse refert, dum ipse flexis genibus ante Beatae Mariae Virginis imaginem devotissime orabat, ita ut eius mors veluti transitus suavissimae conversationis e terrestri loco ad caelestem patriam adstantium oculis apparuerit. Hoc etiam memoriae proditum est in signum felicissimi transitus aerea campana, nemine pulsante, tunc temporis sonitum e turri dedisse. Huius Servi Dei corpus more fratrum et Ecclesiae ritu sepultum, paucis elapsis ab obitu annis elatum nobilique in urna reconditum, Beati titulo, virtutum et miraculorum encomio inscripto, populi pietati ac venerationi propositum fuit. Sanctimoniae fama e praeclaris virtutibus orta una cum miraculis cultum Iacobi a Querceto statim genuit et ad posteritatem transmisit, prouti inde àb anno MDCLIV probati testes ac senes de visu et scientia propria et de **publica** traditione maiorum perhibuerunt, approbante ac sententiam ferente ipso Rmo Episcopo Perusino, qui sacras Servi Dei exuvias ex humili loco ad nobiliorem transferri et honorifice sub ara condi decrevit. Quum vero super huiusmodi cultu ante Urbanianum aevum praestito nuperrime nova accesserit sententia iudicis delegati ab Illmo et Rmo Domino Friderico Foschi, Archiepiscopo Perusino, idcirco, instante Rmo P. Sebastiano Martinelli Ordinis Eremitarum S. Augustini Priore ac Postulatore Generali, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli huiusce Causae Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententia Iudicis a Rmo Archiepiscopo Pe-*

rasino delegati super cultu ab immemorabili tempore exhibito Servo Bei, super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et od effectum de quo agitur? Emi porro et Rmi Patres, Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu sententiam esse confirmandam.* Die iv Iunii MDCCCXCV.

Facta postmodum de his per me infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationis Praefectum Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habere et confirmare dignata est die x iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

EX 3. CONGREGATIONE INDICIS

Feria VI, die 14 Iunii 1895.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, die 14 Iunii 1895, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Documenta quaedam' Sacrae Scripturae cum doctrina Sanctae Hildegardis de rationalitate (V. Migne 888, D. et Pitra 249, III, 511 A. B. C. D), *et de antiquo dierum.* Composita cura et studio Sac. Augustini Damoiseau. — Genova, Tipografìa Sordomuti, 1894.

U Apocalisse edil Ministero Eucaristico, coli'aggiunta di diversi scritti Spirituali. — Genova, Tipografìa R. Istituto Sordomuti 1894.

Piccolo Vangelo — Deus charitas est — ossia raccolta di diversi scritti spirituali intorno alla vita dell' amore — Genova, Tipografìa del R. Istituto Sordo-muti 1894.

Bovio Giovanni. — *S. Paolo* — Con prefazione e ritratto dell' Autore. 4° Migliaio. — Napoli, 1895. Edizione del periodico *Fortunio,* 24, Egiziaca a Pizzofalcone — *uti praedamnatum in Regulis Indicis.*

Lacaze Félix. — *A Lourdes avec Zola.* — Parallèle au Roman de Zola. Dédicace à Sa Sainteté le Pape Léon XIII et double préface: par l'auteur, en mémoire du Professeur Docteur Charcot, pour T Ecole de la Salpétrière, par le Professeur Docteur Bernheim, pour l'Ecole de Nancy. —Paris, E. Dentu Editeur, 3 et 5 place de "Valois, palais-Royal.

Odón de Buen, Doctor en Ciencias naturales - Catedrático por oposición de Historia natural en la Universidad-de Barcelona. — *Trattado Elemental de Geologia.* — Barcellona, Establecimiento Tipografìco-Editorial " La Academia „, 6, Ronda de la Universidad, 1890 — *tamquam praedamnatum in Regulis Indicis.*

— *Tratado Elemental de Zoologia,* Barcellona, Establecimiento Tipografìco-Editorial " La Accademia „ 6, Ronda de la Universidad, 1890 — *tamquam praedamnatum in Regulis Indicis.*

Garda Moreno y el ***P.*** *Berthe* por Gilberto (Ramón Illarramendi). — Maracaibo, Tipografìa de " Los Ecos de Zulia „ 1894.

Angelini Francesco, Auctor operis : *Storia d' Italia ad uso delle classi liceali, magistrali e tecniche* — parte seconda. (Età moderna dal 1492 al 1883).—Napoli, 1884; probib. Decr. 25 Ianuarii 1894-*laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

Frigeri Antonio, Auctor operis : *Il progetto del Ministro Bonacci. Lettera aperta agli onorevoli Signori Senatori e Deputati.* — Palermo - Giovanni Villa, Editore; prohib. tamquam praedamnatum Decr. S. Off. Fer. IV, die 16 Agusti 1894 — *laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

De Castro D.r Francisco ; lente cathedratico da Facultade de Medicina do Rio de Janeiro, Director da Directoria Sanitaria da Capital Federal. — *o invento Abel Partente no ponto de vista do diretto criminal, da moral publica e da medicina clinica.* — Rio de Janeiro, Laemmert et C., Livreiros - Editores, 66, Rua Ouvidor, 1893.—Decr. S. Off. Fer. IV, 6 Februarii 1895.

Regula Fratrum Minorum iuxta Romanorum Pontificum Decreta et Documenta Ordinis a E>. P. Hilario Parisiensi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum Provinciae S. Bonaventurae, Custode Generali, Doctore in Thelogia et in Iure Canonico, explanata — Apud H. Pelagaud Filium et Roblot, SS. DD. Papae et Archiepiscopatus Lugdunensis Bibliopolas. — Lugduni. Via Mercatoria, 48. Parisiis, Via Turnonensis, 5. - 1870. — Decr. S. Off. Fer. IV. die 12 Iunii 1895 — *Auctor laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

Exposition de la Règle de S. François d'Assise, avec l'histoire de la Pauvreté par le T. R. P. Hilaire de Paris de l'Ordre des Frères Mineurs Capucins, Docteur en droit canonique et en Théologie, Membre de l'Académie de la Religion Catholique à Rome, Missionnaire Apostolique. — Fribourg, Imprimerie de Ph. Haesler et Comp., 13 Rue des Alpes — 1872. — Decr. S. Off. Fer. IV. die 12 Iunii 1895 — *Auctor laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 15 Iunii 1895.

f SERAPHINUS EPISCOPUS TUSCULANTJS
CARD. VANNUTELLI PRAEFECTUS.

Fr. MARCOLINUS CICOGNANI, PROC GEN. O. P. a Secretis.

Loco Sigilli.

Die 17 Iunii 1895. Ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia *Mag. Curs.*

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Emum Gibbons Arch. Baltimorensem, quibus commendatur propositum augendi nova studiorum curricula in catholica Universitate, in urbe Washington constituta.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. Benevolentiae testandae curaeque Nostrae erga Universitatem istam studiorum catholicam, rursus oblata est causa, nuncio abs te gratissimo accepto. Eam scilicet, quam Nosmetipsi auctoritate apostolica constituendam curavimus legitimoque auximus iure, magnopere laetamur, non modo ubertate bonorum fructuum sese Nobis per sexennium probasse, verum etiam ad ampliora coepta pleno gradu procedere. Huiusmodi Nos incrementa sperare significavimus non ita pridem, quum te ceterosque tecum Episcopos allocuti per epistolam sumus. Jamque ex alacritate vestra et piorum liberalitate fieri compertum est, ut octobri proximo nova doctrinarum magisteria in eodem Lyceo dedicentur; quae adolescentibus clericis utilitates maiores pariant et laicis quoque non mediocriter proficiant ad studia cultiora. Haec ipsa studia recte consuluisti ut Facultate contineantur philosophiae; eaque tamen instructa et ornata variis adiutricibus disciplinis, quae fusius traditae atque eruditius, vel lumen veritati praebeant explorandae decusque exploratae addant, vel eam in opinione hominum faciant usuque fructuosiorem. Nobili autem proposito consentaneum exitum pollicentur nomina magistrorum egregia qui ad id muneris sunt delecti; eo praesertim quod deliberatum omnino habeant Thomae sancti Aquinatis certissimam philosophandi rationem, secundum praescripta Nostra, religiose persequi ducem. — Quarum rerum perspecta excellentia, non poterat sane eisdem coeptis comprobatio deesse atque auspicia huiusce Apostolicae Sedis, quae honestísima quaeque studia pro merito laudare omnique ope provehere perpetuo consuevit. "Votis igitur Nostris, Lyceum istud magnum eo amplius ex facta accessione praestet, vigeat, floreat in religionis pariter civitatisque praesidium et ornamentum. Ad ipsum catholica iuventutis collegia alumnos mittere studeant acrioris ingenii et spei laetioris: in eo autem sanctae unitatis vincula inter catholicos obstringantur, perutili exemplo; ex eoque, tanquam ex communi fonte, eiusdem doctrinae et actionis electa vis late dimanet influatque in animos saluberrima.

Interea tibi, Dilecte Fili Noster, unaque Archiepiscopis et Episcopis, quorum in tutela Universitas ipsa est, item iis, quorum beneficientia munifica alitur et augetur, Doctoribus atque alumnis nova curricula inituris, ceterisque omnibus, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 29 iunii anno 1895, Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXVII CONTINENTUR

LITTERAE ET ACTA li. PONTIFICIS

EX

EX S. CONGR. RITUUM

EX S. C. EP. ET REG.

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

EX S. C. INDICIS

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

••oa>

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Litterae testimoniales.

Matrimonium.

Productio testium *septimae manus* haud exigenda est in causis nullitatis matrimonii ex quocumque titulo ; sed huiusmodi testimonium, stricto sensu sumptum, exigi debet ad corroborandam confessionem coniugum quoad inconsummationem matrimonii, *ibid.*

Testes *septimae manus* haud proferunt testimonium *scientiae,* sed *credulitatis ;* rogantur enim an credant vera dixisse coniugem, a quo inducti fuerunt, perspecta eius religione et honestate, *ibid.*

Episcopi, absque Summi Pontificis delegatione, non possunt instruere processum in causis matrimonialibus pro obtinenda SSmi dispensatione: quia Episcopi auctoritate carent iudicandi hanc materiam per sententiam definitivam, *pag.* 154.

Id eruitur etiam ex *Constit. Benedictina* § *14;* qua Ordinarii praecipiuntur exhibere R. Pontifici supplicem libellum, in quo exacte exscripta sit facti species, et causae conducentes ad obtinendam petitam dispensationem, nullo facto verbo de strepitu iudiciali, *ibid.*

Absoluta instructione causae ex titulo impotentiae, evicta, per corporis inspectionem, uxoris virginitate, licet ad instantiam uxoris processum ulterius tractare, et ad Sacram G. G. mittere acta causae, etsi non probata viri impotentia: quia mulier iure utitur suo si petat a Romano Pontifice dispensationem a matrimonio rato et non consummato, *ibid.*

Necesse autem non est mittere una cum actis causae votum Theologi et Canonistae, sed tantum mittendas esse animadversiones defensoris vinculi ex officio, *ibid.*

Etiam in *articulo mortis* non possunt Episcopi, aut ab eis delegati dispensare, ad matrimonium ineundum, super impedimento s.ordinis Presbyteratus, et affinitatis in linea recta ex copula licita provenientes, *pag.* 245.

Romanus Pontifex, etsi de rigore iuris valeret dispensationem concedere super impedimento affinitatis in primo gradu lineae rectae, ex copula licita promanantis : hac tamen auctoritate nunquam usus est, maximae indecentiae causa. *ibid.*

Sanatio in radice concedi solet ab Apostolica Sede quando constet, matrimonium, de facto initum, speciem habuisse veri matrimonii, *ib.*

Solummodo metus, iniuste illatus, ad extorquendum matrimonium, valet illud dirimere, *p.* 306.

Quoties enim metus non incutitur ad extorquendum matrimonium, sive a causa libera sive a causa naturali, matrimonium non irritatur : et ideo validum esset matrimonium contractum a detruso in carcere, qui carceri praeferret matrimonium, dummodo detrusus non fuisset causa matrimonii ineundi, *ibid.*

Hoc enim in casu involuntarium quod in dicto matrimonio invenitur, occasionem habet a propria

urdines sacri.

Parochi coadiutor.

Parochus.

Praebendae canonicales

Praecedentia in processionibus.

Professio religiosa.

Cum quilibet praesumatur sanae mentis esse, impugnans validitatem religiosae professionis, utpote emissae a non compote suae mentis, concludenter probare debet, emittentem professionem vere dementia affectum esse : neque satis est allegare quod insania antecesserit, vel subsecuta sit professionem, sed opus est demonstrare, eam extitisse tempore emissae professionis. ***pag.*** 630.

Potiora argumenta in hisce causis desumuntur ex peritiis medicorum; sed non ita eis deferendum, ut aliae coniecturae prorsus excludantur: et a iudice confundendos non esse cum inordinationibus mentalibus, nonnullos actus, qui potius adscribendi sunt singularitati caracteris et fervori indolis, et qui communiter dicuntur ***originales,*** et tamen dici nequeunt insani actus. ***pag.*** 631.

Circumstantiae antecedentes et concomitantes professionem , multum concurrunt ad eius valorem statuendum; hinc si novitius regulariter novitiatum expleverit, et expleto triennio votorum simplicium, solemniter professus sit, quin aliquid in contrarium umquam exorsum sit, praesumitur eius professionem potiri omnibus conditionibus a iure requisitis, ***ibid.***

Resignatio Beneficiorum.

Resignationes beneficiorum, quae fiunt in manibus Ordinariorum, subiiciendae sunt modo et formae praestitutis a Gregorio XIII in ***Constit. Humano vix iudicio,*** ut eliminentur fraudes, simoniacae conventiones, et incommoda quamplurima, ***pag.*** 13.

Modus et forma a Pontifice tradita ubiqué et semper observari debent, exclusa in huiusmodi resignationibus, qualibet aequipollenti publicatione, sub poena nullitatis, ***ibid.***

Sponsalia.

Ex doctorum sententia sponsalium validitas magis probatur per mutuam significationem voluntatis a partibus editam, quam a formulis verborum, ***pag.*** 612.

Hinc sufficit ad probanda privata sponsalia, probatio mutui consensus, collecta sive ex verbis, sive ex facti adiunctis, sive etiam ex coniecturis, ponderandis in eiusmodi quaestionibus, ***ibid.***

Sponsalium existentiam sequitur coactio resilientis, mediis a sacris canonibus designatis ; sed quum matrimonia coacta malos soleant habere exitus, ideo benigna iuris interpretatio concessit resilienti facultatem aut nubendi aut pecuniariam praestationem tradendi, ***ibid.***

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Patriarcha Constantinop. Vicesgerens.